




C 1144.10 (5)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

# C O R P U S R E F O R M A T O R U M.

VOLUMEN XXXIII.

---

IOANNIS CALVINI  
OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS  
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN V.

---

BRUNSVIGAE  
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.  
(M. BRUHN.)  
1866.

c1144.10 (5)

www.libtool.com.cn

15 49 161  
54 45  
8

# IOANNIS CALVINI

www.libtool.com.cn

## OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU Scriptorum

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

---

VOLUMEN V.

---

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1866.

1877 Jan. 13.  
Walker fund.

**IOANNIS CALVINI**

**TRACTATUS THEOLOGICI MINORES.**

**TOMUS PRIMUS.**

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## CONTINENTUR HOC VOLUMINE

(Asterisco notamus quae apud Bezae desiderantur)

	pag. IX—LVIII.
I. L. Annaei Senecae libri de clementia cum Io. Calvini commentario (1532) . . . . .	" 1 — 162.
II. Vivere apud Christum non dormire animis sanctos qui in fide Christi deceidunt, quae vulgo Psychopannychia dicitur (1534) . . . . .	" 165 — 232.
III. Epistolae duae de rebus hoc saeculo cognitu apprime necessariis (1537) . . . . .	" 233 — 312.
Epistola prima. De fugiendis impiorum illicitis sacris et puritate christianaे re- ligionis observanda . . . . .	" 239 — 278.
Epistola secunda. De christiani hominis officio in sacerdotiis papalis ecclesiae vel administrandis vel abiiciendis . . . . .	" 279 — 312.
IV.* Catechismus s. christianaे religionis institutio genevensis ecclesiae suffragiis re- cepta (1538) . . . . .	" 313 — 362.
V. Iacobi Sadoleti cardinalis epistola ad senatum populumque genevensem qua in obedientiam romani pontificis eos reducere conatur . . . . .	" 365 — 384.
Io. Calvini responsio (1539) . . . . .	" 385 — 416.
VI. Epinicion Christo cantatum (1541) . . . . .	" 417 — 428.
VII. Petit Traicté de la Saincte Cene de N. S. Iesus Christ (1541) . . . . .	" 429 — 460.
VIII.* Consilium admodum paternum Pauli III. pontificis romani, datum Imperatori in Belgis per cardinalem Farnesium pro Lutheranis. Et Eusebii Pamphili eiusdem consilii pia et salutaris explicatio (1541) . . . . .	" 461 — 508.
IX.* Les Actes de la Journée imperiale, tenue en la cité de Regenspourg, aultrement dite Ratispone, sur les differens qui sont aujourdhuy en la Religion (1541)	" 509 — 684.

C1144.10

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

# PROLEGOMENA.

## CAPUT I.

### COLLECTIONES TRACTATUUM CALVINI THEOLOGICORUM ANTEHAC EDITAE.

Opuscula Io. Calvini theologica sive tractatus varios minores primum separatim editos iam ipso autore superstite et post eius mortem plures coniunctim edi curavere. Quae editiones varii sunt generis, sed nulla earum talis ut in ea simpliciter recudenda acquiescere possimus. Atque hic non magni momenti res est quod vel in locupletissimis opuscula nonnulla desiderantur quae fortasse in hanc seriem referri debuissent; haec enim facilissimo negotio caeteris addere poteramus. Multo magis nos offendit quod, quum Calvinus libellos suos alias latino sermone, alias gallico conscripserit, omnes illae editiones eos nonnisi alterutro eodemque unico exhibit, ita scilicet ut versiones ab aliis factae passim archetypis mixtae legantur. Quae quum ita sint, iure dixeris nullam unquam tractatum illorum collectionem institutam esse, quae eos re vera ad suas authenticas formas expressos in unum corpus redegerit. Nobis vero, ut iam in prima nostra praefatione significavimus, plane alia via ingredienda videtur, et unicuique opusculo sua prima et vera facies vel servanda vel restituenda. Caeterum de consilio nostro mox plura dicturi pri-  
mum pro more antiquiora ista tractatum corpora sigillatim recensebimus et accuratius describemus.

#### I.

#### EDITIO GALLASII.

Primus qui de minoribus Calvini scriptis iunctim edendis cogitasse videtur fuit Nicolaus des Gallars (Gallasius) verbi divini apud Genevenses minister, cuius nomen in thesauro epistolico calviniano frequentissime occurret. Is iam anno MDLII satis amplum volumen opusculorum collegae sui in publicum exire iussit cuius titulus hic est:

IOANNIS CAL- | uini opuscula omnia in | vnum volumen collecta. |  
Quibus accessit libellus nunc primum editus, *De aeterna Dei praedestina- | tione, aduersus Albertum Pighium*  
*Campensem, et Georgium Siculum. | Locorum sacrae Scripturae in his opusculis obiter interpretatorum index. |*  
(Insigne typographi.) GENEVAE. | Apud Ioannem Gerardum. | M. D. LII.

*Calvini opera. Vol. V.*

B

Insigne typographi exhibit palmam illam cum puero manu suspenso quam in editione Institutionis gallica apud Iac. Bourgeois anno 1561 impressa vidimus (Calvini Opp. T. III. pag. XXXIX) sed absque adagio. In fine autem voluminis exstat notissimum illud emblema Io. Gerardi, gladius flammis circumdatus, quem duae tenent manus, cum inscriptione eius formae quam habuimus in eiusdem bibliopolae editione gallica Institutionis anni 1551 (Tom. III. pag. XXXIV). Totum volumen constat septuaginta novem ternionibus formae maioris (quam hodie vulgo in folio minore dicunt) et uno quaternione qui penultimum locum occupat (a. B—Z; aa—zz; AA—ZZ; Aaa—Kkk. a). Ternio primus continet, praeter titulum, praefationes tres, unam Gallasii editoris, item duas Calvini ad primum tractatum, ridiculo operariorum errore a suo textu seiunctas, indicem denique opusculorum in hoc volumine denuo evulgatorum. Quorum textus comprehenditur paginis 946 si typographum audias, cuius tamen signaturae innumeris vitiis scatent, ita ut in laudandis singulis locis vix ac ne vix quidem iis uti possis. Revera sunt 938. Textum sequitur pagina una erratorum. Ternionem ultimum obtinet index locorum Scripturae. Si hunc indicem exceperis et erratorum tabulam, omnia eo typorum genere exscripta sunt quos hodie cursivos dicimus.

Tractatus ipsos a se collectos editor hac praefatione a nobis minime negligenda commendat:

*Nicolaus Gallasius piis lectoribus S.*

Quum hactenus quam plurima et veterum et recentiorum autorum scripta hominum incuria perierint, quae maximum nobis fructum adferre potuissent, nos profecto, extremis hisce temporibus, quibus magnae gravesque calamitates imminent, diligentiores esse oportet in conservandis thesauris quibus Dominus ecclesiam suam locupletavit, nisi admodum ingrati esse velimus. Ac sedulo occurrentum est fraudibus Satanae qui haec nobis eripere atque e medio tollere modis omnibus conatur, ut iterum iactatis errorum seminibus nos inermes atque incertos facilius opprimat. Nemini enim nisi caeco perspicuum non est quid superioribus saeculis acciderit et quam late grassata sit supersticio et impietas, quum sublatis doctoribus et doctrina sparsisque tenebris Satan oculos paene omnium incredibili astutia perstrinxit. Nullis quidem artibus efficere potuit ut sacrae literae interirent: sed ita ab earum lectione et vera interpretatione averterat omnium animos, ut fabulis et mendaciis potius quam veritati locus esset, vanisque et frivolis quaestionibus potius quam solidae scripturae tractationi vel ipsi theologiae candidati incumbenter. Ita perierat legitimus verbi usus, ita ecclesiae administratio et disciplina eversa, ita sacrilega et detestabilia commenta pro veris institutis Dei recepta erant. Nunc quum insigni Dei beneficio sacrae literae ab impiis eiusmodi commentis vindicatae suaque puritati restitutae sint ab iis quos Dominus nostris temporibus adversus Antichristi tyrannidem excitavit, danda est opera ut eorum studia, praeclaras actiones insigneque virtutes imitemur. Ac potissimum in id toto animo incumbendum est, ut puritatem doctrinae tueamur, qua sola cultus Dei et religio conservari possunt. Qua igitur fide et diligentia, qua reverentia et modestia praestantes hi viri locos sacrae scripturae tractarint, qua prudentia et dexteritate actus et fraudes adversariorum detexerint eorumque insidias vitarint, quam scite monstrarint fucos et fallacias impostorum, quanto pietatis studio accensi errorum monstra oppugnarint, quanta vehementia in Antichristum eiusque mancipia invecti sint, diligenter nobis animadvertisendum est. Et quo rariores sunt hae dotes, eo maiore studio viros qui iis praediti sunt, et quae ab iis proficiuntur, amplecti debemus: ut attente diligenterque contemplerur quemadmodum usi sint gladio verbi, ne inani eius splendore aut sonitu contenti simus. Porro inter veritatis propugnatores qui nostris temporibus excelluerunt, quam fidelem, strenuum, fortem et invictum se praebuerit D. Calvinus, sic testantur eximia eius scripta, ut alieno praeconio non indigeant. Iam ab ineunte adolescentia, simul atque a Deo vocatus est, tanta constantia fidem

suam non dictis solum, sed scriptis etiam ac factis testatam fecit, ut multos, ubicunque versatus est, reliquerit testes eius *luminis ille quod acceptum* a Deo caeteris, quantum in se fuit, communicavit. Quod si prompto et alaci animo Dominum vocantem sequutus est, ac viam semel ingressus nec languori nec otio se dedidit: quo etiam magis progressus est et graviores sustinuit pugnas, eo ardenter in hoc instituto perseveravit. Non referam singula quae alio loco fortassis aptiora erunt. Sed haec mihi nunc perstringenda putavi, quo magis perspicuum sit omnibus, non frustra collecta esse in unum corpus opuscula quae a tanto viro iam ab octodecim annis subinde profecta sunt. Nam maximo usui erunt iis exercendis et confirmandis qui ad veritatis propugnationem sese accingunt. Quod ut re ipsa experti sunt ii qui studiose ea legerunt, ita omnes, qui eodem studio ducentur, idem experturos spero ac confido. Non levis autem fuisset iactura, plerosque libros qui hoc opere continentur interire, quod facile, ut aliis plerisque, accidisset, si semper excusi seorsim ac sparsi essent. Nam etsi peregrini sunt nonnulli, uberrimos tamen fructus pariunt, et doctrinam saeculis omnibus accommodam comprehendunt. Ac quamvis plerisque haec temporaria videri possint, doctrinam tamen utilem ac perpetuam tradunt, qua pii non minus in posterum quam hoc tempore adversus evangelii hostes munitantur. Nam ut videmus, ea quae Augustinus aliisque sancti ac celebres viri olim adversus idolorum cultores, haereticos ac seductores scripserunt, nobis hodie maximo usui esse, ne dubitemus quin hi libri summopere profuturi sint posteris, quibus graviora profecto bella sustinenda erunt, nec cum unius tantum generis hostibus decertandum erit. Nova in dies errorum portenta parit diabolus, vetera etiam renovat atque interpolat, et tam specioso colore tegit ut nunquam extitisse videantur. Artificia mira excogitat, quibus veritatem aut obscuret aut suspectam atque invisam reddat. Quamobrem his certaminibus exerceri necesse est, ut insidias eius vitare et fraudulenta consilia detegere possimus: et quum manus conseruae erunt, forti et invicto animo obstatamus, ac confidamus fore ut Dominus, sicuti admonet Paulus, Satanam sub pedes nostros brevi conterat. Itaque insigne exemplum in hoc praestanti ecclesiae pastore nobis proponitur, qui cum variis hostibus saepenumero congressus est. Nec enim unius generis hostes negotium nobis facessunt. Nunc ab exteris impetumur, nunc a domesticis, hoc est ab iis qui nostri videri volunt, quum tamen alienissimi atque inimicissimi sint. Qualem se adversus exterios et apertos hostes gesserit noster Calvinus, ut nunc insolentem Pighii arrogantiam cohauerit, nunc putidas Sadoleti blandicias et calumnias diluerit, nunc Sorbonicos censores convicerit insciiae et impudentiae suae, nunc Concilio Tridentino larvam detraxerit: denique ut semper occurrerit insidiis Antichristi, impiaque eius tyrannidi sese opposuerit, ac tandem ut lenonum eius, hoc est Interimistarum, laqueos diremerit, hi libri facile indicabunt. Sed cum aliis etiam hostibus non minus perniciosis ei negotium fuit: qui quum veritatis fautores videri velint, errores nihilominus et mendacia admiscent, quibus omnia pervertunt ac corrumpunt. Quemadmodum ii qui ex Anabaptistarum genere exorti novum necis genus animis inferebant, suidentes se hoc modo purgatoriis figmentum sublaturos: ac si error errore tolli posset. Cum iis primum Aureliae congressus, tam apertis scripturae testimoniis eorum deliria confutavit, ut statim eorum virus, quod longius serpebat, represserit: atque sic opem tulit multis quorum animi iam anticipati cogitatione distrahebantur, ut etiam docuerit ea quae omnibus saeculis prodesse et spem beatae ac immortalis vitae confirmare possint. Postea quum videret plurimos, quibus nota erat Dei veritas, nihilominus se nefandis impiorum sacris polluere, magisque fortunarum aut vitae rationem habere quam Dei, eos aculeis verbi stimulando ac tum privatim tum publice excitando putavit: ne degenerarent tandem, lumenque illud divinum quod in animis eorum accensum erat extinguerent. Itaque, ut quod privatim saepius monuerat publice quoque testaretur, epistolas duas edidit, quas de hac re ad quosdam amicos ex Italia scripserat, ut quam detestandum sit coram Deo idolatria crimen, omnes intelligerent. Graves tunc auditae sunt querimoniae multorum, qui se ita pungi atque e veterno suo excitari aegre ferebant, quasi severior ac rigidior erga ipsos Calvinus esset. Sed iis repugnantibus atque invitis tantum suis exhortationibus efficit, ut plurimi qui fucum Deo sibique prius facie-

bant, culpam suam agnoscerent aliamque omnino vivendi rationem ineundam esse faterentur, et re ipsa Christians se in posterum praebarent. Alii sibi indulgentes, externum idolorum cultum pervicaciter excusare, atque horrendum scelus vanis coloribus obducere non destiterunt. Quamobrem saepius ineunda haec pugna fuit, aliisque libris ostendendum, quam inanes eiusmodi colores essent. Exortum est deinde aliud bellum adversus Anabaptistas, quorum dogmata prius sepulta rursus emerserant: item adversus fanaticam Libertinorum sectam, qua leves quaedam nostrorum ac vicinorum mentes abreptae erant. Horum impietatem ac vesaniam ita patefecit, ut nemo, nisi admodum hebes, ab iis postea falli posset. Sed ne longior sim persequendis singulis quae ad reformandam ecclesiam, ad imbuendos pia doctrina rudium animos, ad scandala vitanda, ad tolerandam crucem, ad curiosas artes reiiciendas, denique ad conservandum religionis statum his libris aperte fideliterque docuit, ex eorum lectione, quam utiles ac fructuosi sint, melius intelliges. Eos quidem pleniores atque ubiores habere potuisses, si iterum ipse manum adhibuissest: sed quales ab initio prodierunt nunc etiam existare maluit, quum iis pure ac perspicue omnia tractentur. Nec sane viro gravissimis rebus occupato importuni esse voluimus, ut ea rursus tractaret quae iam fidelissime tradidisset. Nam maiora in dies ab ipso exspectamus. Accessit etiam hisce diebus perutilis ac necessarius liber De aeterna praedestinatione, de qua variae quaestiones tum a levibus et curiosis ingenii, tum ab hostibus verbi agitatae fuerunt. Vix certe ipsum hoc tempore editurus erat, nisi insolens male feriati cuiusdam erroris protervia eum pepulisset. Tantus enim erat omnium ecclesiarum consensus in hac doctrina, ut eius argumenti tractatio non admodum necessaria videretur. Sed quum hic impostor erroribus, quos ex putidis Georgii Siculi et Pighii lacunis hau serat, ecclesiam nostram turbasset, statim obviam eundum fuit, atque edito unius manu nostrum omnium consensu monstrandum, quid in hac re piis omnibus ex scripturae autoritate sentiendum sit: ut et vanas quaestiones vitent et aeterno Dei consilio tribuant quod arrogantes et vani homines impio praetextu detrahere non dubitarunt. Sed in scelerato eorum conatu benignam erga nos Dei providentiam agnoscamus, qua effectum est ut maxime prodessent ea quibus isti se maxime nocere posse existimarunt. Nam clariora et illustriora redditia sunt quae iam pridem multas piorum alioqui hominum mentes implicuerant, atque omnino satisfactum iis quorum sanae ac sobriae mentes erant. Pervicaces enim ac morosos aut fastidiosos homines, quibus nullae satisfaciunt vel apertissimae rationes, nihil est quod moremur. Piis, modestis, placidis ac minime contentiosis haec omnia scripta sunt, qui si, ut integras mentes Deo offerunt ut ei in obsequium addicant, ita integro et candido ad haec animo accesserint, magnam profecto ex his libellis confirmationem uberrimumque fructum percipient. Valete. Genevae, pridie Cal. Mart. M. D. LII.

Ex hac Gallasii praefatione patet ipsum Calvinum collectionis opusculorum suorum iunctim edendorum neque suasorem neque curatorem fuisse. Laboris meritum sibi soli editor tribuere videtur, certe disertissimis verbis affirmat, autorem nequaquam manum operi adhibuisse, sed maluisse suos libellos sic recudi quales primum prodierint. Inde sequitur nos quoque in textu authentico constituendo, ubicunque id fieri poterit, editiones primarias adire iisque unice uti debere in diiudicandis, si quae fuerint, variis lectionibus.

Tractatum tituli in catalogo operi praefixo recensentur viginti quos hic integros describere lubet, posthac simili occasione oblata magis compendiose designandos: I. Psychopannychia, qua refellitur quorundam imperitorum error qui animas post mortem usque ad ultimum iudicium dormire putant. II. Epistolae duas: Prior, de fugiendis impiorum illicitis sacris et puritate christianaee religionis observanda. Altera, de christiani hominis officio in sacerdotiis papalis ecclesiae vel administrandis vel abiiciendis. III. Iacobi Sadoleti romani Cardinalis epistola ad senatum populumque genevensem qua in obedientiam romani Pontificis eos reducere conatur. Cum Io. Calvini ad eam epistolam responsione.

**IV.** De Coena Domini. **V.** Epinicion Christo cantatum. **VI.** Catechismus ecclesiae genevensis, hoc est formula erudiendi pueros in doctrina Christi. **VII.** Formula sacramentorum administrandorum in usum ecclesiae genevensis conscripta. **VIII.** Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de servitute et liberatione humani arbitrii, adversus calumnias Alberti Pighii Campensis. **IX.** Admonitio paterna Pauli tertii romani Pontificis ad Caesarem Carolum quintum, cum scholiis Io. Calvini. **X.** Articuli a Facultate sacrae theologiae parisiensi determinati super materiis fidei nostrae hodie controversis, cum antidoto. **XI.** Supplex exhortatio, ad Caesarem Carolum quintum et Principes aliosque ordines Spirae imperii conventum agentes, de necessitate reformandae ecclesiae. **XII.** Brevis instructio muniendis fidelibus adversus errores sectae Anabaptistarum. Item, adversus fanaticam et furiosam sectam Libertinorum qui se Spirituales vocant. Item, Epistola ad fideles qui degunt Rotomagi, adversus Franciscanum quendam Libertinorum erroris sectatorem. **XIII.** Admonitio qua ostenditur quam e re christiana reipublicae foret Sanctorum corpora et reliquias velut in inventarium redigi, quae tam in Italia quam in Gallia, Germania, Hispania caeterisque regionibus habentur. **XIV.** De vitandis superstitionibus, quae cum sincera fidei confessione pugnant. Item excusatio adversus Pseudoniconemos. Quibus accessit responsum pastorum tigurinae ecclesiae. **XV.** Acta Synodi Tridentinae, cum antidoto. **XVI.** Vera christiana pacificationis et ecclesiae reformandae ratio, una cum appendice. **XVII.** Admonitio adversus Astrologiam quam iudiciariam vocant, aliasque praeterea curiositates nonnullas quae hodie per universum fere orbem grassantur. **XVIII.** Consensio mutua in re sacramentaria, ministrorum tigurinae ecclesiae et Io. Calvini ministri genevensis ecclesiae. **XIX.** De scandalis quibus hodie plerique absterrentur, nonnulli etiam alienantur a pura evangelii doctrina. **XX.** De aeterna Dei praedestinatione qua in salutem alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit. Item, de providentia qua res humanas gubernat, Consensus pastorum genevensis ecclesiae a Io. Calvino expositus.

Series opusculorum quam editor constituit paucis exceptis ad temporum rationem exacta est. Quod ad sermonem attinet quo singuli tractatus primum in lucem editi fuerunt, in tota illa collectione quinque sunt vel sex gallice ab autore conscripti et ab ipso Gallasio (ut plurimum) latinitate donati, scilicet illi quos N. IV. VII. XII. XIII. et XVII. insignivimus, et XIV. ex parte.

Ad manus fuit exemplar Bibliothecae civicae turicensis, cuius praefectus, vir clarissimus Iacobus Hornerus, inde a studiorum nostrorum calvinianorum primordiis ea tam liberaliter omnibus modis adiuvit, thesaurosque suae custodiae creditos tam late patere voluit, ut nunquam, vel cumulatius praedicata laude, meritis grates aequasse nobis videamus. (Nuperrime ipsis rarissimum opus redimere contigit.)

## II.

### EDITIO BARBIRII.

Pauciores tractatus ex illis quos Gallasius ediderat forma minori octonaria denuo excuderunt anno 1563 Nicolaus Barbier et Thomas Courteau, typographi genevenses qui antea prelum Basileae exercuerant, quorumque emblema in Prolegomenis Voluminis tertii operum Calvini pag. XLIII descriptissimus. Facies libelli haec est:

IOANNIS | Caluini opuscula. | De animae immortalitate. | Contra Anabaptistas, | Libertinos, et | Franciscum quendam. | De vitandis superstitionibus. || Contra Pseudoniconemos | et Consilia Phil. Melan- | cthonis, Martini Buceri, | Petri Martyris et eius- | dem Caluini, etiam con- | clusio

et duas Epistolae. || *CVM COPIOSISSIMO* | indice, et rerum et locorum sacrae Scripturae ab ipso Authore interprætatorum. | (*Insigne typographorum.*) Excudebat Nicolaus Barbirius, et Thomas Courteau. | M. D. LXIII.

Singulorum tractatuum tituli hic in duabus columnis dispositi eos referunt quos apud Gallarium numeris I. XII. et XIV. insignivimus. Nam quae hic inscribitur de immortalitate animae disputatio ipsa est Psychopannychia, et qui Franciscus dicitur, Franciscanus ille est adversus quem epistola Calvini ad Rotomagenses libello contra Libertinos subiungi solet. Denique consilia Melanchthonis, Bucerii et P. Martyris etiam apud Gallarium exstant in appendice ad diatriben de vitandis superstitionibus.

Totum volumen constat quadraginta et duobus quaternionibus, quorum primus (asterisco notatus) exhibet praeter titulum praefationem Gallasii sua editioni praemissam, et duplicem Calvini ad Psychopannychiam. Octo sequentes (A—H) continent hoc ipsum opusculum (pag. 1—115) cum indice locorum sacrae scripturae, qui est undecim paginarum sine numerorum notis, quibus accedit folium unum album. Reliqui triginta et tres (a—z; aa—kk) habent caeteros libellos (pag. 1—489). Finem faciunt 37 paginae non numeratae cum tribus indicibus, primo locorum, secundo rerum ad eosdem pertinentium, tertio rerum quae in Psychopannychia tractantur. Typi maiores quam pro voluminis forma exspectares. Praefatio Gallasii et Calvini prior charactere minusculo romano, posterior italicico vel cursivo expressa. Exemplari usi sumus e bibliotheca guelferbytana petito et humanissime nobis concesso.

Singulare aliquid deprehendimus et explicatu difficillimum in fine praefationis Gallasii, quae olim data fuerat Genevae pridie Cal. Mart. 1552, hic vero pridie Cal. Febr. 1547 scripta dicitur. Alibi contrarium factum videmus nec minus mirandum. In fine scilicet epistolae dedicatoriae quam idem editor sua versioni opuscularum a Calvino adversus Anabaptistas et Libertinos gallice conscriptorum praefixerat, olim eius diem natalem Idus Martii a. 1546 fuisse significaverat, pro quo hic Idus Febr. a. 1563 legimus.

### III.

#### EDITIO BEZAE GALLICA.

Post Calvini excessum Beza duplum Opuscularum viri clarissimi et amicissimi collectionem meditatus est, quarum alteram gallico sermone editam intra proximi biennii spatiū absolvit, alteram latinam post integros decem annos demum prelo submisit. Atque prioris gallice titulus hic est:

RECEVEIL | DES OPVSCVLÉS, | C'est à dire, | Petits traictez de M. Iean Caluin. | Les vns reueus et corrigez sur le Latin, les autres trans- | latez nouuellement de Latin en François. | (Emblème de l'Imprimerie.) A GENEVE, | Imprimé par Baptiste Pinereul. | M. D. LXVI.

Emblema illud ipsum est quod in Prolegomenis Tomi primi pag. XLIII ex editione Institutionis genevensi a. 1561 ab Antonio Reboul procurata descripsimus. Folio tituli verso conspicies effigiem Calvini aeri incisam, non ligno, eandem quam exhibet editio Institutionis gallica eodem anno a Perrino splendide excusa. Subiunctum habet emblema Calvini, manum cor tenentem cum adagio: PROMPTE ET SINCERE. Sculptoris insigne additur crux duplex cum literis PWDB in monogrammatis formam redactis subscripto numero 66. Forma libri est maxima. Ternio primus (\*) praeter titulum continet epistolam Bezae dedicatoriā et indicem tractatuum, illam septem, hunc tribus paginis absolutum. Volumen ipsum praeterea complectitur 125 quaterniones (b—z; aa—zz; aaa—zzz; aaaa—zzzz; aaaaa—zzzzz; aaaaaa—lllll). Paginae numerantur 2006, sed revera sunt 2000 si typographi errores varijs emendaveris.

Opus inscriptum est illustrissimae Ferrarensi ducissae Renatae, Ludovici XII. regis Galliae filiae, feminae vel inter pauciores nobili et sacris instaurandis iam ab initio intentae, ad quam plures existant Calvini literae, thesauri eius epistolici non infimum decus. Verum ipsa editoris verba lectu hodie que dignissima hic tecum communicare, benevole lector, non pigebit.

*A tresillustre et treshaute princesse, Ma dame Renee de France, duchesse de Ferrare et de Chartres etc. Grace et paix en nostre Seigneur Jesus Christ.*

*Ma dame, si je vouloye m'arrêter à discourir bien au long les temps et les occasions qui ont esmeu feu M. Iean Calvin, ce grand et fidele serviteur de Dieu, à mettre en avant tous ses excellens traittez, qui ont esté maintenant recueillis comme en un corps: outre que cela ne serviroit pas de beaucoup, ie ne doute point qu'il ne vous rafraichist la douleur que vous avez receue, avec toute la vraye Eglise de Dieu, de la perte d'un si excellent personnage: et pourtant ie m'en deporteray. Si i'entrepreneoye aussi de monstrar amplement, et par le menu, le profit que peut apporter à tous Chrestiens la lecture d'iceux, i'auroye à escrire plusstot un livre qu'une Epistre: ce que ie n'ay entreprins pour le present. Je diray donc seulement, et ne craindray point en cela de garentir ma promesse, qu'à grand' peine se trouvera-il que de nostre temps il se soit levée ou renouvelée aucune heresie, qui ne se trouve ici confutée par si vives raisons, et si fermes témoignages de l'Ecriture sainte, que tout homme de bon iugement en recevra singulier contentement: et qui-conque y contredira, donnera certaine preuve ou de bien grande ignorance, ou d'opiniastreté inexcusable. Car entre autres vertus excellentes que le Seigneur avoit tres-liberalement departies à ce saint personnage, il en avoit deux singulieres en matiere de dispute, c'est à savoir, une merveilleuse dexterité d'esprit, pour voir incontinent le noyau des matieres, et soudainement les desvelopper: et puis avec cela, une telle intégrité de conscience, qu'en fuyant toutes vaines subtilitez sophistiques avec toute ambitieuse ostentation, il n'a iamais cherché que la simple et pure vérité. I'ose bien dire aussi que Dieu luy a fait la grace de la trouver comme il l'a cherchée: et mesmes de l'enseigner aux autres aussi dextrement et fidelement, que Theologien qui ait iamais manié les saintes Escritures. Vray est qu'il y en a beaucoup, suivant cest ancien proverbe, qui dit, Que la vérité engendre haine, qui ne m'accorderont pas ce point: mais cependant s'il y a entre ces contredisans un seul homme de quelque savoir et iugement, ie m'asseure que pour le moins il me confessera qu'à grand' peine se trouvera-il Theologien Grec ne Latin, ancien ne moderne, auquel il soit plus fascheux de contredire: ce qui me servira pour le moins de preuve de ce que t'ay dit, de la dexterité de son esprit, remettant le surplus à ce que tout homme vray amateur de vérité en trouvera par experience. Je respondray seulement à ceux qui n'approuvent la vehemence de laquelle il a usé en plusieurs endroits, en s'attachant, comme ils disent, aux personnes plus aigrement qu'il ne seroit de besoin: sur quoy ie ne veux pas nier que douceur et modestie ne soyent grandes et Chrestiennes vertus, et mesmement qu'il ne soit requis, sur tout en disputes contradictoires, de tenir bonne mesure, en se gardant de toute passion qui nous peut empescher de bien iuger des raisons contraires, avec un sens tout clair et bien rassis. Je ne veux point nier aussi que celuy dont ie parle n'ait esté d'une nature vehemente et fort prompte à s'esmouvoir, voire mesmes quelque fois moins patiente qu'il n'eust esté à desirer: ce que luy-mesmes connoissoit mieux, et approuvoit moins que homme du monde, comme peuvent tesmoigner tous ceux qui ont eu ce bon heur du Seigneur de le cognostre familiere-ment. Mais i'ay beaucoup de choses à repliquer sur ce point, qui seront, comme i'espere, trouvées raisonna-bles. Je di donc en premier lieu, qu'ainsi que le Seigneur a preveu en quel estat il veut employer ses ser-viteurs, et envers quelles gens il s'en veut servir, il a pareillement accoustumé de former et disposer, ou mes-mes alterer ou changer leur naturel, comme un ouvrier façonne les utils selon la besongne qu'il en veut faire. Ceste consideration est fondée sur une raison tres-apparente, et confermée par tant d'expériences, que tout homme de savoir me l'accordera aisément, et sur tout ceux qui ont receu ceste grace du Seigneur, d'apprendre*

des saintes lettres, comme il faut iuger des choses humaines. Car si on veut considerer par quels instru-  
 mens le Seigneur a fait ses grandes œuvres, on trouvera l'une et l'autre partie de mon dire plus que veri-  
 table. Abraham estant choisi de Dieu pour commencer par bien petis commencemens cest edifice qui se pour-  
 suit encores aujourdhuy, et poursuyvra iusques à la fin du monde, avoit besoin sur tout d'une ferme asseu-  
 rance en la parole de Dieu: puis apres, d'une patience singuliere, pour temporiser saintement parmi tant de  
 dangers, et ce nonobstant d'une magnanimité excellente pour resister à plusieurs efforts: aussi trouverons-nous  
 par son histoire, que Dieu l'a doué de toutes ces vertus en toute excellence, tellement toutesfois qu'il est aisè  
 à cognostre qu'il n'y a eu ni estoilles, ni nourriture, ni temperament naturel qui l'ait ainsi façonné: mais  
 une seule grace de Dieu, à fin que l'honneur luy en fust rendu, et non pas au cours ordinaire de nature.  
 Je pourroy monstrer le semblable en ses successeurs gouverneurs du peuple de Dieu, dont les uns se trou-  
 ront dès leur naissance avoir esté formez avec un naturel merveilleusement doux et paisible, comme sont entre  
 autres Iacob, Salomon, Ezechias. Les autres d'un esprit fort vehement, comme Iosué, Gedeon, Samson; Asa,  
 Iosaphat, Iosias et autres. Aucuns aussi d'une trempe divinement adoucie entre l'aigre et le doux: comme  
 Ioseph, Moyse, et David entre tous les autres. Mesmes c'est merveilles de voir comme le Seigneur a disposé  
 par fois les plus vitieux à faire des actes de grande vertu, non point en changeant, mais en moderant leur  
 malice. Nous en voyons un singulier exemple en Saul, qui pour quelque temps fit plus de bien qu'il ne cui-  
 doit, et puis revient à son naturel. Le semblable est de Ioas, qui d'un agneau devint un tigre bien cruel: et  
 le tout pource que Dieu s'en vouloit servir pour punir son peuple. Je di le semblable de ceux qui ont eu  
 l'administration de la parole en Israel, et sur tout des Prophetes dont nous avons les escrits, aucunesfois si  
 doux qu'il n'est possible de plus, aucunesfois si vehemens, qu'ils ont par maniere de dire esbranlé le ciel et  
 la terre: et si aigres qu'ils n'ont espargné grands ne petits. Ce qui n'est point advenu qu'ils fussent ainsi  
 variables ou transportes par quelles passions particulières: ains d'autant que l'Esprit de Dieu les esmouvoit  
 selon la circonference des temps et des personnes. Cela se peut voir evidemment en l'histoire de Iesus Christ  
 mesmes, et par tous les escrits des Apostres. Je di donc pour conclurre ce point, qu'ës personnes publiques,  
 et sur tout en ceux par lesquels le Seigneur veut faire de grandes choses en son Eglise, il faut monter ius-  
 ques à Dieu, et iuger tout autrement d'iceux que du commun et vulgaire: comme quand Esaie a appellé les  
 Iuifs, Peuple de Sodome et de Gomorره, et descris par une sainte moquerie l'entrée de Nabuchodonosor ès  
 enfers: quand Elie s'est si plaisamment moqué de Baal et de ses sacrificateurs qu'il a tantost apres mis en  
 pieces: quand Ezechiel parle d'Ohola et Oholiba: quand les autres Prophetes usent d'infinies similitudes si  
 aigres et picquantes: quand saint Jean Baptiste appelle les Scribes et Pharisens en leur presence, Engeances  
 de Viperes: quand Iesus Christ les appelle tant de fois hypocrites, sepulchres blanchis, brigands et larrons,  
 et tout le peuple, nation bastarde, et enfans du diable, et meurtriers, et l'un de ses principaux apostres satan,  
 et l'autre diable: quand saint Pierre aussi appelle haut et clair les Iuifs homicides: quand saint Estienne  
 en pleine justice dit à ses iuges qu'ils sont incircuncis de cœur: quand saint Paul traite les Galates si  
 rudement, et ailleurs nomme chiens ceux de la circoncision, et Ananias sacrificateur, paroy blanchie. Dirons-  
 nous donc sans blasphemie que tels personnages ayent été transportes de colere, ou n'ayent tenu assez bonne  
 mesure en faisant leurs charges? Je di le semblable des bons Evesques et Docteurs, qui ont maintenu de  
 paroles, et par escrit la doctrine Apostolique doucement ou aigrement, selon que la matière et les personnes le  
 requeroyent. Car encores qu'à la vérité ils n'ayent eu pareille quantité de l'Esprit de Dieu que les Pro-  
 phetes et Apostres, si est-ce que nul ne peut nier qu'ils n'ayent esté gouvernez par le mesme saint Es-  
 prit en defendant la doctrine de ceux-là, suivant ce que dit l'Apostre, Que Iesus Christ monté en haut pour  
 donner des dons aux hommes, est celuy qui donne les pasteurs et docteurs à son Eglise. Or s'il fut iamais  
 un siecle où l'ignorance et superstition meslée avec une malice et dureté desesperée ayant regné, ç'a esté nostre

temps pour certain, et l'est encores. Qui s'esmerveillera donc si Martin Luther au commencement, et Iean Calvin depuis, ayans affaire à telles bestes, se sont quelques fois eschauffes en telle vehemence? Il faut bien donc mettre difference entre zele et colere, combien que l'une et l'autre de ces deux affections tirent quelques fois du cœur et de la bouche un mesme langage: principalement quand ceux-là parlent, que Dieu a suscitez et appellez pour parler et escrire en son Eglise. Car quant à ceux qui contrefont les sectateurs sans considerer la mesure des dons qu'ils ont receus, ou bien qui poursuyvent leurs querelles particulières, sous ombre de maintenir la verité de Dieu (qui est une espece d'hommes dont ie confesse qu'il y a grande foison pour le iourd'huy, tant entre ceux qui se nomment Catholiques, qu'entre nous autres qui nous appellons reformes) ie n'enten les comprendre en ce nombre, et di que pour les bien cognostre, à fin que puis apres ils soyent bien chastiez par ceux qui en ont la puissance, il faudroit les remarquer par leurs fruits, c'est à dire, par leur doctrine et leur vie, suivant l'enseignement de nostre Seigneur Iesus Christ. Cela estant fait, ie ne craindray iamais que celuy duquel ie parle maintenant soit trouvé de ce nombre. Car quant à la doctrine, plus on l'appardchera de la pierre de touche, plus elle sera trouvée des plus vrayes et pures: et quant à la vie, ie say fort bien que s'il y a eu de nostre temps homme eslougné d'ambition, d'avarice, de folle opinion de soy-mesme, de haine et malveillance en quelque affaire particulier pour quelque chose de ce monde (qui sont les passions qui transportient volontiers en mauvaise colere les plus patients) et au contraire, s'il s'est trouvé pasteur oubliant soy-mesme, et ne se souciant des commoditez et avantages de ceste vie presente, mais bien ialoux de l'honneur de Dieu, ami de verité, ennemi de tout vice, et sur tout des faux docteurs et sophistes, q'a esté celuy duquel ie parle maintenant, dont ie ne puis alleguer ni meilleur ni plus certain tesmoignage que tout le cours de sa vie. Mais outre cela, où sont ces mots si picquants? Sera-ce le mot de Papistes? Qu'on condamne donc à meilleur droit toute l'antiquité qui a nommé les sectateurs d'Arius Ariomanites. Sera-ce ce qu'il appelle chiens et pourceaux, et d'autres noms semblables, ses contredisans? Qu'on condamne donc Iesus Christ, les Prophetes et les Apostres, és passages ci dessus alleguez. Et si ce n'est assez de condamner ceux-là, qu'on en face autant de Tertullien contre Marcion et Praxeas, et d'Epiphanius en tout son livre qu'il a écrit contre les heresies. Sera-ce de ce qu'il n'espargne les plus grands? Qu'on condamne donc Elie, et quasi tous les Prophetes, et saint Iean Baptiste, et saint Estienne comme par trop iniurieux: Chrysostome appellant Herodias l'Emperiere Eudoxia soit tenu pour seditieux: Innocent Pape premier de ce nom escrivant à l'Empereur Arcadius, et le comparant avec Cain soit puni comme criminel de lese maiesté: Nanzianzenus escrivant contre l'Empereur Julian en termes si aigres et estranges, voire mesmes apres la mort d'iceluy, soit condamné comme mutin et par trop intolerable. Sera-ce de ce qu'il touche quelque fois les moeurs et imperfections de ceux ausquels il a affaire, ce qui ne semble appartenir à la cause? Soyent doncques supprimés tant d'excellens Docteurs, qui ont si songeusement taxé non seulement la fausse doctrine, mais aussi toute la vie des herétiques, voire mesmes iusques à n'espargner leurs imperfections naturelles: comme nous voyons que Nanzianzenus en a fait, parlant du visage et du port de Julian Empereur apostat. En somme donc quant à ceux qui reprennent par envie la vehemence de celuy dont ie parle, ie loue Dieu, qu'ils n'ont autre moyen de desgouster les hommes de la lecture de ses escrits tant utiles et necessaires à l'Eglise de Dieu: et m'asseure que mourans tous secus tous ces povres envieux, la vertu demeurera en son entier. Quant à ceux qui le font par malice, se descouvrans tels tout clairement, en ce qu'eux mesmes sont les plus iniurieux et mordans de tout le monde: ie les remets au iugement de Dieu. Quant à ceux qui le font par ignorance, ie les prie d'apprendre et retenir qu'en toutes gens de bon entendement Cognoscance marche devant Louange ou Reprehension. Quant à ceux qui le font ou pensent faire avec bonnes et iustes raisons, ie les prie que sans se desgouster, ni faire perdre l'appetit aux autres, ils daignent bien poiser les raisons que i'ay alleguées: et quand mesmes cela ne leur satisfera, qu'ils ne condamnent tant de rares et exquises vertus, pour une imperfection de laquelle peut estre eux-mesmes

ne sont exempts, sachans que c'est une chose divine et non humaine, de ne rien ignorer, et de tenir si bonne mesure par tout, qu'il n'y ait que redire. Voyla, Ma dame, ce que i'avoye à repliquer sur ce point, à cause de ceux qui s'approchans des grans, cerchent d'apparoir par la reprehension d'autrui: ausquels ie ne pense point faire tort, si ie leur souhaite plus de iugement, et moins d'opinion d'eux-mesmes qu'ils n'ont. Au reste, ce n'a point esté sans grandes raisons que i'ay pris hardiesse de vous dedier ce present recueil. Car en premier lieu, ie say quelle estoit la reverence que le defunct vous a portée toute sa vie, comme à celle qu'il a en partie enseignée, et partie aussi confermée en la doctrine de verité, de plus longtemps que Dame qui soit aujourd'huy vivante. Je say aussi quelle estoit sa coustume à consacrer ses livres au nom des personnes qu'il desiroit proposer en exemple à toute l'Eglise de Dieu: tellement que s'il parloit encores aujourd'huy, il n'y a doute qu'il ne m'advouast en ce faict. Il y a cela d'avantage, que voyant comme il vous plaist continuer en la personne du nepveu l'affection que vous avez portée à l'oncle: et ayant tenu tousiours le defunct pour mon pere, i'ay fait mon conte qu'apres son deces l'obligation estoit comme passée de luy iusques à moy, qui ay choisi des meilleures et plus precieuses pieces de ses meubles (car d'autres n'en avoit-il) pour vous en faire present, non tant pour satisfaction, que pour tesmoignage d'un cœur reconnoissant son devoir. Finalement, ie ne dissimuleray iamais comme ie me sens infiniment obligé, tant en mon particulier pour tant d'honneur et de faveur qu'il vous a pleu me faire durant ces derniers troubles et depuis, qu'en general pour l'assistance que tant de povres fideles ont receue de vous, ayant encores plus fait pour les garentir de l'extreme cruaute de leurs ennemis, que ne fit iadis Obadias nourrissant les cent Prophetes en la caverne: voire iusques à declarer alors que tout respect estant postposé on vouloit forcer vostre maison de Montargis, que vous vous presenteriez doncques la premiere à la bouche du canon, plutost que de souffrir que telle cruaute eust lieu en vostre maison, parole vrayment digne d'une telle Princesse, non seulement fille de Roy, et d'un tel et si debonaire Roy que vous estes, mais aussi fille de ce grand Dieu et Roy éternel. A raison duquel bien-faict, qui m'est commun avec tant de gens de bien, ie n'ay iamais cessé depuis de chercher les moyens de vous en faire reconnoissance par quelque public tesmoignage, iusques à ce que me trouvant trop povre et foible quant à moy, i'ay fait comme ceux qui empruntent d'autrui pour s'acquitter: et suis bien deceu si ie n'ay si bien rencontré en cest endroit, selon vostre esprit et affection, que vous aures le present pour agreable, tant pour sa qualité, que pour le nom de l'auteur que vous avez tant aimé vivant, que la memoire vous en est precieuse, comme à tous vrais et fideles serviteurs du Seigneur.

Ma dame, ie prie nostre bon Dieu et Pere, qu'en vous multipliant ses graces de plus en plus, il maintienne vostre grandeur en sa sainte et digne garde. De Genève ce XX. de May, l'an 1566.

Vostre tres-humble et obeissant serviteur Theodore de Besse,  
Ministre de la Parole de Dieu en l'Eglise de Geneve.

Tractatus illi viginti quos olim Gallasius collegerat etiam in hoc opuseculorum corpore leguntur omnes, eodem quo antea ordine dispositi. Neque est quidquam cuius causa, quantum ad hanc novi operis partem spectat, hoc loco te moremur, praeter hoc unum quod diatribe illa polemica cui titulus est: Interim adultero-germanicum, cuiusque complementum de vera ecclesiae reformatae ratione Gallasius solum receperat, (XVI) hic suo loco restituta est.

His iam accedunt fere totidem tractatus recentiores post Gallasii syllogen demum a Calvinio editi, quibus ut prioribus suos numeros adscribimus, neque a Gallasio neque a Beza additos, ut his simpliciter usi posteriorum collectionum recensionem paucis absolvere possimus. Sunt vero hi: XXI. Homiliae s. conciones IV, quarum prima de fugienda idololatria agit, altera de persecutione ferenda, tertia de pulchritudine donaus Domini, postrema de Deo libere colendo. Quibus subiungitur expositio Psalmi LXXXVII. His omnibus Beza, nescimus qua de causa, certe omnino repugnante temporum ratione,

locum suum assignavit inter N. XIV et XV collectionis a Gallasio institutae. XXII. Defensio orthodoxae fidei s. trinitatis adversus prodigiosos errores Michaelis Serveti. XXIII. Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de sacramentis. XXIV. Secunda defensio orthodoxae de sacramentis fidei contra Iachimi Westphali calumnias. XXV. Ultima admonitio ad L. Westphalum. XXVI. Dilucida explicatio sanae doctrinae de vera participatione carnis et sanguinis Christi contra Heshusium. XXVII. Optima ineundae concordiae ratio. XXVIII. Responsum ad fratres Polonos quo modo mediator sit Christus, ad refutandum Stancari errorem. XXIX. Censura seu brevis refutatio calumniarum Antonii Cathalani. XXX. Brevis responsio ad diluendas nebulonis cuiusdam calumnias quibus doctrinam de aeterna Dei praedestinatione foedare conatus est. XXXI. Gratulatio ad Gabrielem de Saconay praecentorem lugdunensem. XXXII. Confutatio cuiusdam Hollandi qui speciose obtendens, Christianos a se prorsus spirituales redditum iri, concedit ut corpora polluant quibusvis idololatriis. XXXIII. Responsio ad versipellem quendam mediatorem qui pacificandi specie rectum evangelii cursum in Gallia abrumpere molitus est. XXXIV. Praefatio ad Bezae responsum contra Balduinum. XXXV. Valentini Gentilis impiatum et triplicis perfidiae ac periurii brevis explicatio. XXXVI. Brevis admonitio ad fratres Polonos ne triplicem in Deo essentiam pro tribus personis imaginando tres sibi deos fabricent. XXXVII. Epistola quae fidem huius ad Polonos admonitionis confirmat. XXXVIII. Responsio ad Balduini convicia. XXXIX. Confessio fidei nomine ecclesiarum gallicarum scripta.

Ex his omnibus quatuor tantum opuscula gallico idiomate ab autore exarata fuerant, sc. XXI. XXIX. XXXII. XXXIX.; caetera omnia hic de latino conversa leguntur.

Huius editionis quum rarissime occurrant exemplaria venalia, ipsi nullum adhuc nacti quod copiis nostris adderemus, primum ex Guelferbytana bibliotheca allato uti constitueramus. Illud vero, lumentissime nobiscum communicatum, nulli nobis usui fuit quum fere dimidia ex parte mancum et mutillum sit et in pagina 1312 subsistat. Tum Turicenses nostros optimos fautores adiimus a quibus aliud exemplar accepimus fere integrum, in quo tamen tres terniones e medio volumine iam perierant quo tempore ea quae nunc est ligatura donatum fuit. Desunt enim ggggg, hhhh, oooo, sive paginae 1561—1592 et 1673—1688, quae sunt partes tractatum polemicorum de sacra coena latine edendorum, quibus facile carere poterimus.

## IV.

## EDITIO BEZAE LATINA.

Altera Bezae editio, ut iam supra diximus, decennio post priorem prodiit sumptibus Petri Saint-André bibliopolae genevensis, eadem forma, paulo minus splendide impressa, verum locupletior et singulis tractatibus non pro sua aetate ut antea dispositis sed ad argumenti rationem digestis. Titulus integer sic habet:

IOANNIS CALVINI | TRACTATVS | THEOLOGICI | OMNES, NUNC PRIMUM | IN VNVM VOLVMEN | certis classibus congesti: | QVORVM ALIQVI NEC LATINE | nec Gallice prius editi fuerunt. | HIS ACCESSE RVNT EIVSDEM | CALVINI IN LIBROS SEMPER DE | Clementia Commentarii. (Emblema.) GENEVAE, | Apud Petrum Santandream, | M. D. LXXVI.

Emblema officinae exhibit mulieris nudae figuram in lapide cubico sedentis, pede in globo terrestri posito et dextra manu solem, sinistra librum et palmae ramum tenentis. Est haec secundum epigraphen ΑΛΗΘΕΙΑ ΗΑΝΑΙΑΜΑΤΩΡ. Caetera ornamenta declarare non attinet.

C\*

Quatuor tantum sunt folia praeliminaria, praeter titulum, Bezae epistolam dedicatoriam ad Guilielnum principem Arausiacum scriptam et indicem continentia. Sequuntur terniones nonaginta novem, A—Z; Aa—Zz; AA—ZZ; AAA—GGG qui numerum paginarum faciunt esse 1188 non 1168 ut vitio operarum scriptum est. His comprehenduntur tractatus theologici proprie sic dicti. Accedit, quem iam titulus promittebat, Senecae liber de Clementia, sed appendicis loco a maiore corpore distincti et facillime separandi:

IOANNIS CALVINI | IN L. ANNAEI SENECAE, | ROMANI SENATORIS AC | PHILOSOPHI  
CLARISSIMI, LIBROS | duos de clementia, ad Neronem | Caesarem, | COMMENTARII. (Emblema.) GENE-  
VAE, | Apud Petrum Santandream, | M. D. LXXVI.

Sunt huius appendicis terniones septem (A—G) cum folio uno numerum excedente, i. e. in toto folia Romanorum more signata XLIII.

Bezae epistola priori illi, gallica editioni praefixa, simillima est, adeo ut ex parte verbo tenus illam referat; attamen quia Calvini laudem et apologiam exhibit acriore animo adversus eius obtrectatores scriptam, hoc loco silentio eam praeterire nolumus.

*Illustrissimo et potentissimo Principi ac domino, D. Gulielmo, Principi Auraico, Comiti Nassaensi, etc.  
Evangelii Christi in Hollandiae et Zelandiae insulis assertori vindicique fortissimo, Gratiam et pacem a  
Domino.*

*Aut ego vehementer fallor, Illustrissime Princeps, aut gratum simul et utile T. E. futurum munus adfero, sed ab alio desumptum, ne quisquam id a me parum pudenter commendari, aut a me quidquam, ut ambitiosi homines solent, praeter tuum et commune commodum captari opinetur. Eius auctoris est, qui quantus vir fuerit, tres locupletissimos testes habemus. Ac primum quidem copiosissimam ipsius laborum messem, id est innumerabiles paene ecclesias per universam praesertim Galliam dispersas, quae ab isto, secundum Deum, parente se prognatas esse merito profitentur: deinde vero ab eo tam multa, tam erudite, tam iudicose, tam etiam eloquenter, tam denique admirabiliter scripta, ut, quod citra invidiam sit dictum, quae in caeteris singularia eluent, in hoc omnia simul coniuncta eminere plane videantur. Istis adiungo certissimum illud virtutis non vulgaris testimonium, quod neminem Satan acrius quam unum Calvinum lacescit, a quo nimirum sese in primis ad vivum usque (quod aiunt) penitus sauciari sensit. Et hunc quidem mirum non est perpetuum salutis hominum hostem, aut eos qui apertum veritati bellum indixerunt, Antichristi nimirum romani mancipia, eum a quo oppugnantur vicissim persequi. Illud autem plane triste est, tantam esse posse partim erroris efficaciam, partim quorundam in ipsam etiam conscientiam ultro peccantium improbitatem, ut paene ex eius unius oppugnatione palmam petant, a quo maxime erudiri potuerunt. Sed hoc tamen usque adeo novum non est, ut contra non alia unquam summorum virorum conditio fuerit: cuius rei praecipue nobis exemplum Athanasius et Chrysostomus praebent. Origenem enim ne ii quidem satis excusare potuerunt qui sunt ab eo fascinati. Caeterum iure an iniuria tot in eum undique hostes ferantur, operaे pretium quoque fuerit, expendere. Monet Dominus ut ex fructibus pseudoprophetas dignoscamus. Hos fructus esse statuo, vitam et doctrinam. In Calvini vita quid isti tandem reprehendent, nisi hoc illis vitiosum videtur quod eorum minime similis fuit? homo aliqui peccator (ne quis ita insaniat ut hunc a me velut in deos referri cum antichristianis illis mancipiis clamet) sed, ut omnia paucis dicam, istis prorsus dissimilis, qui neque cuiusquam unquam gratiam captasse, qui nullos unquam honores ambivisse, qui nullas unquam opes dici possit quaesivisse, cui tamen nihil eorum defuit quibus ad eas res abuti homines nimium multi consueverunt. Id vero an istis ipsius antagonistis conveniat, omnes in quorum oculis versantur iudicanto. In doctrina vero quid isti reprehendunt? Arrodunt nonnulli hunc vel illum locum ex ipsius scriptis excerptum, homines*

*maxima ex parte sic imperiti ut ne refutatione quidem egeant, quasi ex eo quod quispiam certo loco breviter scripserit, statim statuendum sit quid quisque de dogmate quopiam senserit. Alii quasdam eius explicaciones non probant. ~~Et sicut modo nihil~~ dicatur quod cum fidei analogia non consentiat, suum hic cuique iudicium liberum esse oportet, et spiritus prophetarum prophetis subiectos. Sed quae haec est improbitas, donum illud interpretationis excellens quod huic homini Deus concederat, sive iudiciorum acumen, sive eruditionem, sive candorem species, vel aspernari prorsus, vel dissimulare, ut nonnulla aut non animadversa, aut satis apposite dicta reprehendas? Non minus iniqui sunt, qui quod non iisdem atque aliis formulis aut distinctionibus utatur, veluti quod fidem non fecerit poenitentiae partem, quod cordis contritionem non vocet mortificationem, quod venialis et mortalis peccati distinctione non utatur, quod non doceat fidem et spem adoptionis amitti, ferre in ipso non possunt, et occasionem adversarii nos tanquam dissidentes accusandi praebent, quum tamen, si quis omnia proprius expendat, vel nullum, vel levicum in rebus ipsis dissidium esse sit comperturus, vel fortasse (quod confidenter dico) Calvinum sit tandem fassurus non ab re de quibusdam paulo aliter dixisse. Quasi vero in veteribus etiam illis quos nonnulli volunt omni exceptione esse maiores, eadem aut similiter expressa omnia comperiantur. Alii denique ipsum ut blasphemum et impium accusant. Quinam id vero? quia scilicet Deum facit peccati auctorem, qui tamen, stertentibus istis religiosissimis pietatis defensoribus, hoc ipsum dogma in Libertinis ex professo coarguit. Stoici fati dogma nonnulli etiam ipsi impingunt, D. Philippi auctoritate abutentes, qui tamen hac ipsa de re ad Calvinum scribens, Scio, inquit, nostra cum tuis prorsus congruere. Sed nostra maxime sunt, et ad vulgi captum accommodatoria. In has autem eruditorum virorum accusationes incidere eos oportet, qui vel eorum scripta, quos tamen audent reprehendere, attente non legunt: vel praeiudicatas opiniones afferunt quae ipsorum luminibus manifeste officiunt: aut ex aliorum potius sensu, quam animi iudicio loquuntur et scribunt. Quod ad eos autem attinet qui illum ut Arianum, aut de tribus hypostasibus non recte sentientem accusant, quo tamen nullum acriorem adversarium nostris temporibus haberunt trinitatis aut deitatis Christi hostes, non recuso quin ex ipsius scriptis iudicium fiat. Certum est scilicet impietatis crimen inter A se et Per se ex scholastica theologia non ubique distinxisse: et filium esse Deum de Deo negat qui unicam ac singularem esse Dei patris ac filii deitatem docuit. Sed illud capitale nimirum crimen est, quod corpus illud Christi alibi nunc non esse quam in coelis, ac proinde non ore sed fide sola, vere tamen, percipi in coena quoque Domini constanter docuit, et sacramentalē unionem hoc unum requirere sensit, ut quod signo adjuncto promittitur vere offeratur, non item ut eodem loco signum et substantiae significatae statuantur. Hinc isti clamores, negari Dei omnipotentiam, ad nihilum redigi filii Dei testamentum, separari naturas in Christo, et caeterae eiusmodi putidae calumniae, quas indignantur quicunque vel leviter imbuti sunt religionis christianaे notitia ab iis proficiisci potuisse qui doctores caeterorum haberi volunt: ac non potius ab omnibus pro impiis ac blasphemis haberi qui hypostaticam unionem sola deitatis energia definiunt cum Nestorio et Monophysitis: et idiomata deitatis in carnem re ipsa effusa cum Eutychete aperte docent: incarnationem cum ascensione, et hanc rursum cum sessione ad dexteram patris confundunt, qui unicam deitatis per carnem operationem cum Monotheitis statuant, denique usque adeo sunt impudentes; ut vel cum illo detestando Severo uni eidemque subiecto duo repugnantia, nempe circumscriptum esse, et incircumscripsum esse attribuant: vel cum Marcionitis carnem Christi in spectrum transformat. Sed de his, cessantibus huius saeculi hominibus quos erroris efficacia fascinavit, tum posteritas, tum ipse tandem Dei filius certe iudicabit. Et de his quidem is accusatur, cuius istas tractationes in unum volumen coniectas nunc edimus, de quibus doctorum, ut spero, omnium consensu dicere mihi fas est, vix ullam hoc nostro saeculo fuisse renovatam, aut recentis excogitatum haeresin, quae non sit in his libellis, firmissimis solidissimisque ex imo Dei verbo petitis rationibus, refutata. Fuit enim homo iste eo iudiciorum acumine, eaque bonitate ingenii, Dei beneficio, praeditus, ut in quibusvis controversiis statim quid in quaestionem veniret, animadverteret, et causae iugulo petito, veritatis*

adversarios sterneret, inanium argutiarum fugitans, omnis sophistices hostis acerrimus, zelo asserendae veritatis ubique sic fervens, ut fugientem etiam hostem persequeretur. Hinc factum ut vehementius interdum in ipsas ~~newetiam libtpolam~~ personas ferri videatur, quo nomine qui usque adeo ipsum accusant ut conviciatorem etiam appellant, velim etiam atque etiam secum cogitent heroicos illos spiritus divinitus et peculiaribus quibusdam afflatis impelli, quod nisi consideremus, multa saepe in illos etiam omni exceptione maiores, sanctos videlicet prophetas, reprehendendos in iis existimaverimus, de quibus tamen summam laudem promerentur. Mitissimo ingenio fuerunt Iacob, Solomon, Ezechias: acerrimo Iosue, Gedeon, Simpson, Asa, Iosias: moderato Iosephus, Moses, David. Prophetis interdum nihil acerbius, interdum nihil dulcius fangi potest. Agebat enim eos Dominus prout tempora et eorum mores ferebant, ad quos mittebantur. Alioqui quomodo probabis Esaiam clamantem: Popule Sodomae et Gomorrae, et tot sarcasmis Nebucadnesari in mortuorum persona illudenti? Et Eliam quo spiritu dixerimus impulsum in re tam seria Baalitas irridere? Et illa Ezechieliis de Ohola et Oholiba, et infinitae paene similitudines apud prophetas a foedissimis etiam rebus desumptae, illud Ioannis Baptiste, Progenies viperarum, in eos etiam contortum qui ad ipsius baptismum accedebant, illa denique Christi in quo peccatum nullum fuit: hypocritae, parietes dealbati, diabolō patre nati, latrones, natio spuria, homicidae, flagellum ex funiculis repente confectum, mensarum et numulorum eversio, et illa Pauli: insani Galatae, et cavete canes, cuiusmodi tandem fuerint? Quamvis autem cum istis omni exceptione maioribus minime conferendi sunt consequuti ecclesiae doctores, quasi pari spiritus mensura praediti: in eo tamen similes non dubito pronunciare quod eodem spiritu pro suo modulo donati eandem causam egerint. Talis fuit adversus Marcionem, Praxeam, Hermogenem Tertullianus: in Eudoxiam Chrysostomus: adversus Julianum Nazianzenus, quibuscum certe nolim Hieronymum comparare. Epiphanius autem qualem sese adversus haereticos praebet? tales quoque nostra memoria nonnulli vere heroico spiritu, quoniam malo nodo cuneis opus erat. Omnino vero tam inter se diversa sunt, Dei causam agere immoderata etiam, si libet, vehementia, et temere ac vitiouse irasci, quam lux et tenebrae inter se differunt. Itaque si quis Calvinum cuiquam convicium in his scriptis fecisse, aut in privata causa irae induxisse, ac multo magis si quis cum mendacio patrocinatum fuisse convicerit, tum ego plane de sententia decessero. Sin vero quam a natura insitam vehementiam habebat, ea ipse adversus perditos sophistas usus est, ut interdum etiam modum non tenuisse videri possit, rogo moderatissimos istos homines quibus nimium incalescere videntur, quicunque ipsorum more non frigent, ut pro quo et in quem dicatur paulo attentius expendant, neque heroicis istos spiritus ex ingenio suo metiantur. Et de his quidem hactenus. Sunt enim iis ista minime necessaria quibus per se veritas sapit. Iis autem quos Dominus sic excaecavit ut non modo conscientiae sed etiam scientiae, sive, ut loquitur apostolus, fidei quoque naufragium fecerint, insanierim quidem ego, si satisfieri ulla ratione posse speraverim. Vincet tamen veritas, aut iam potius vicit. Tuae vero potissimum Excellentiae, Illustrissime Princeps, hoc excellens volumen duabus praecipue de causis consecrandum duxi. Quum enim iniurias tibi maximas illatas ita sis adhuc fortissimo maximeque animo persequutus, ut quacunque te ius et aequum circumduxit, Christum quocunque pervenisti simul introduceris, eiusque regnum hac ratione quantum nullus adhuc nostra memoria princeps amplificaris, existimavi non posse me tibi tam praedclare rem gestam auspicatus gratulari quam si eius hominis scripta quam eruditissima in unum hoc veluti corpus congesta tibi consecrarem, quo nullus hoc nostro saeculo (singulari quodam Opt. Max. Dei beneficio) reipublicae christianaे pomoeria longius propagavit. Deinde quum eae tibi provinciae sint a Deo attributae quas constat omnium portentosissimarum haereseon, cuiuscunque tandem id culpa fiat, adhuc feracissimas fuisse, merito, ni fallor, statui nihil magis oportune posse fieri quam tuis illis fortissimis ducibus quibus ad Satanam hostem illum omnium maxime formidabilem debellandum uteris, non tam arma quam armamentarium, mitterem, unde omnis generis tela nullo negotio depromant, quorum etiam nonnulla comperient ipso debellatorum hostium sanguine cruentata. Iis certe si dextre utantur et in hoc prae-

*cipue incubueris, ut in opere illo Domini laborantes iuves, (quod futurum confido), aut illa monstra ne impressionem quidem primam sustinebunt, aut quo pertinacius restiterint, eo gloriosiorem ex eis victoriam reportabis. Haec spes ne nos fallat, Illustrissime Princeps, et ut Excellentiam tuam sanctissimorum votorum brevi compotem videamus, Deum Opt. Max. precor. Genevae, XVII. Martii, Anno Domini M. D. LXXVI.*

*Excellentiae tuae deditissimus*

*Theodorus Besa.*

Superest ut Bezae methodum et rationem in digerendis tractatum classibus tibi declaremus. Duas eorum partes primarias constituit quarum alteri τὰ διδαχῆς, alteri τὰ ἐλεγκτικὰ tribuit. Prior pars octo titulos complectitur, quos, ne prolixiores simus, iis numeris quibus supra eos insignivimus, addita compendiaria inscriptione indicabimus: IV. Coena. V. Epinicion. VI. Catechismus. VII. Formula sacramentorum. XI. Exhortatio ad Caesarem. XIX. Scandala. XXXIX. Confessio gallicana. Quam praecedit XL. Formula confessionis fidei cui se adstringere tenentur omnes studiosi publicae scholae genevensis. Altera sectio scripta polemica continet quorum numerus multo maior est pro natura rerum et saeculi illius ingenio. Haec Beza non incommodie in septem classes distribuit. Quarum prima ea refert quae adversus Papistas edita sunt, scil. III. adv. Sadoletum. VIII. adv. Pighium. IX. adv. Paulum P. R. X. adv. theologos Parisienses. XIII. de Reliquiis Sanctorum. XV. adv. Synodum Tridentinam. XVI. adv. Interim. XXXIII. adv. versipellem mediatorem. XXXIV. et XXXVIII. adv. Balduinum. XXXI. adv. G. de Saconay. XXIX. adv. Ant. Cathalanum. Secunda est adversus Anabaptistas et Libertinos et habet: I. Psychopannychiam et XII. tres libellos eius argumenti a Gallasio olim in unum conflatos. Tertia inscribitur adversus Pseudonicodemos et sibi vindicat: II. Epistolas duas de sacris papisticis. XIV. De vitandis superstitionibus, cum suis appendicibus. XXI. Homiliae quatuor. XXXII. Confutationem Hollandi. Quartam perficit tractatus unus XVII. adv. Astrologiam. Ad quintam pertinent scripta adversus Antitrinitarios, nempe: XXII. Servetum et XXXV. Gentilem, tum tres libelli XXVIII. XXXVI. XXXVII. ad Polonos dati, quibus accedit XLI. Responsio ad quaestiones Georgii Blandratae. Sexta constat duobus tractatibus de Praedestinatione XX. et XXX. Septima denique complectitur quae pro vera sententia de Coena Domini Calvinus ediderat scil. XVIII. Consensum, XXIII. eiusdem Defensionem; XXIV. et XXV. adv. Westphalum; XXVI. adv. Heshusium; XXVII. Concordiam.

Ex hac titulorum recensione patet tractatus illos nec latine prius nec gallice editos, quibus promiserat Vir clarissimus collectionem se locupletaturum, re vera paucissimos esse, et, sive paginarum ambitum sive argumenti gravitatem respexeris, vix dignos quorum peculiarem faceret mentionem. Sed his missis de alio potius additamento Bezae industriam laudabimus. Scias eum, ne quid lector desideraret, in ipso tractatum indice annotasse quo quisque tempore et qua lingua ab ipso autore scriptus sit. Sane hoc multis gratum fecit, nobis maxime novis editoribus, qui sic citra omnem laborem, quae potissimum rescire nostra intererat, a tam fido teste definita nobis offerri videbamus. Verum mox, re diligentius examinata, non omnia hic plana et expedita esse nobis persuasimus. Natales nonnullorum tractatum ipse Beza ignorasse videtur, quem vol nullam (XXXII.) vel satis incongruam anni notam (scil. M. D.) adscribat (XIII. XXIX.), imo falsam (XVI. 1547.) saltem maxime dubiam (XXX.) aut minus accuratam (XVIII.). De lingua etiam eo ipso loco, quo facile dubius aliquis haerere posset, dubitationem silentio suo magis auget, tantum abest ut solvat (XIV.). Quae omnia suae veritati reddere non huius loci est.

Haec editio, nec non sequentes Bezanae omnes in nostra bibliotheca calviniana exstant.

## EDITIONES LATINAЕ ITERATAE.

Bezae collectio latina plus semel post primas editoris curas prelo subiecta est absque omni viro-  
rum doctorum recognitione, ita ut emendationes pariter ac menda omnia, quaecunque citra autoritatem  
editionum principum et authenticarum in textum anno 1576 evulgatum irrepserant, in sequentibus ser-  
vata sint. Pertinent huc

## I. EDITIO SANTANDREANA SECUNDA.

IOANNIS | CALVINI | TRACTATVS THEO-| LOGICI OMNES, IN | VNVM VOLVMEN  
CERTIS | classibus congesti: | QVORVM ALIQVI NEC LATINE | nec Gallice prius editi fuerunt. | AL-  
TERA EDITIO, EMENDATOR, CVI | ACCESSERVNT EIVSDEM CALVINI IN | libros Senecae de Cle-  
mentia | Commentarii. | (*Emblema.*) GENEVAE, | Apud Petrum Santandream. | M. D. XCVII.

Forma maxima, typi minus grandes, textus binis columnis exscriptus. Emblema idem atque in  
prima editione sed figuris minoribus expressum et aliis ornamentis circumdata. Accedit etiam novum  
adagium: VERITATI OMNIA CEDVNT. Ternio praeliminaris praeter titulum habet Bezae dedicatio-  
nen et Indicem Tractatum. Corpus libri absolvitur ternionibus octoginta quatuor (A—Z; AA—ZZ;  
AAa—ZZa; AAaa—PPpp) quorum ultimus non integer est, paginis 1003.

Commentarii in Senecam, ut in priore editione, habent suum proprium titulum, praeter anni  
notam et minorem emblematis formam ei simillimum quem iam descriptimus. Textus absolvitur quin-  
que ternionibus et uno quaternione (a—f) paginis 75.

## II. EDITIO STOERIANA.

Tituli facies plane eadem ac praecedentis, ita ut verbotenus eum iterum depingere supervacaneum  
ducamus. Tertia tamen editio dicitur et indicem promittit. Prodiit Genevae ex typographia Iacobi Stoer  
MDCXI, forma maxima ut caetorae. Emblema officinae ex Ep. I. ad Corinthios (c. 3. v. 7) petitum illud  
ipsum est quo olim usus fuerat Thomas Courteau, et quod descriptimus in prolegomenis Vol. III. pag.  
XLIII. Post ternionem praeliminarem (\*) habetur Index rerum quatuor foliis absolutus (\*\*). Textui  
ipsi tribuuntur terniones septuaginta duo (A—Z; Aa—Zz; Aaa—Zzz; Aaaa—Cccc), paginae 864 in binas  
columnas divisae. Etiam hic commentarii in Senecam appendicis loco veniunt titulo speciali ornati, ter-  
nionibus quinque cum dimidio (a—f) paginis 66.

Exstant huius editionis exemplaria quoad titulum primum variata. Ipse enim Stoerius quibus-  
dam anni M. DC. XII. notam praefixit, simul Indicem rerum praecipuorum copiosissimum  
longiore formula in ipsa libri fronte pollicetur, quem antea simpliciter Indicem dixerat. Alias omnino  
nihil in toto opere novi deprehendes. Paucis annis postea triumviri Ioannes Vignon, Petrus et Iacobus  
Chouet quum Operum Calvini omnium corpus meditarentur, hoc Tractatum volumen eidem inserendum  
non denuo prelo subiecerunt, sed Stoeriana exemplaria, quamvis typis minoribus et vilioribus excusa et  
caeteris tomis parum similia, simpliciter sua fecerunt et pro novis vendiderunt. Quorum titulus est:  
Iohannis Calvini operum omnium theologicorum tomus septimus continens tractatus  
theologicos omnes in unum volumen certis classibus congestos caett. Postrema editio  
caett. MDCXVII. Emblema officinae est anchora cum serpente quam duas manus sustinent supra

oceano et monstra natantia, sine epigraphe. Praeter titulum etiam ultimum eiusdem ternionis folium denuo typis exaratum est et quidem minoribus quam reliqua.

Appendix Senecam continens in omnibus exemplaribus eodem titulo ornatur, scil. Stoeriano cum nota anni 1611.

### III. EDITIO AMSTELODAMENSIS.

De editione operum Calvini amstelodamensi egimus in Prolegomenis Voluminis nostri primi p. XII. Cuius Tomum VIII. obtinet collectio tractatuum theologicorum omnibus numeris ad Bezae exemplar conformata, textum tamen castigatiorem exhibens. Terniones sunt sexaginta duo, paginae 744. Etiam hic libri Senecae separatim excusi ternionibus quinque, paginis 59 exstant.

### VI.

### EDITIO STOERII GALLICA.

Idem ille Iacobus Stoer typographus genevensis, qui Bezae latinam Tractatuum calvinianorum collectionem denuo typis mandavit, eodem anno 1611 etiam gallicam ex officina sua iterum prodire iussit. In qua describenda, quanquam prioris, quod ad textum attinet, purum putum apographon est, propter additamenta quaedam tam in fronte quam in calce libri obvia paullulum subsistere non abs re erit. Titulus hic est:

**RECEUIL | DES OPVSCVLÉS | Cest à dire, | Petis Traictez de M. Iean Caluin. | LES VNS REVEVS ET CORRIGEZ | sur le Latin; les autres translates de Latin en françois. | DEVXIESME EDITION, | Soigneusement releue, et enrichie des tesmoignages de l'Ecriture Saincte, des | Docteurs anciens, et de remarque de l'ordre des matieres | traitees par l'Auteur. | PREFACE DE M. THEODORE DE BESZE A MADAME | RENEE DE FRANCE, Duchesse de Ferrare: avec | QVATRE INDICES, | I. Des Traictez. II. Des passages du Vieil et du Nouveau Testament, alle- guez et | expliquez. III. Des sentences des Docteurs. IIII. Des matieres | notables traitees en tous les Opuscules. | (Emblema.) || A GENEVE, | De l'Imprimerie de Iacob Stoer. | M. DCXI.**

De officinae Stoerianaæ emblemate supra diximus. Ternio præliminaris haec habet: Fol. 2. exhibetur effigies Calvini xylographice expressa, et hactenus diversa ab ea quae in priore editione fuerat, sed eodem adagio ornata. Supra eam legitur: Pourtraict de M. IEAN CALVIN, de Noyon en Picardie, Pasteur de l'Eglise de Geneve, avec un sommaire de sa vie et mort, par Th. de Besze. Hoc curriculum vitae, adeoque ipsam effigiem descripsit editor ex Bezae notissimo libro qui titulum habet: Icones, i. e. verae imagines virorum illustrium caett. primum anno 1580 latine, tum anno sequente gallice edito. Qui quum hodie rarissime occurrat ipsum textum hoc loco apponere lubet: D'autant que le tes moignage du fils pour son pere ne peut pas estre du tout hors de soupçon: qu'on cognisse donc, ô Calvin, par tes deportemens, que tu as été un excellent instrument en la main de Dieu tout puissant et tout bon, qui par ton ministere a parachevé la restauration de la vraye religion, heureusement encommencée par certains autres quelques années auparavant. Car c'est toy specialement, à la doctrine, diligence et zele ardant duquel la France et l'Escosse se rendent redétables du restablissement du royaume de Christ au milieu d'elles: les autres Eglises, esparses en nombre infini par tout le monde, confessent l'estre grandement obligées pour ce regard. De cela soyent tesmoins, premierement tes livres qui vivront à iamais, et que tous hommes doctes et craignans Dieu, reconnoissent estre dressez avec tel iugement, de si solide erudition, et d'un stile si beau,

Calvini opera. Vol. V.

D

que l'on ne sauroit trouver homme qui jusques à present ait exposé plus dextrement l'Ecriture sainte: et pour l'autre bande de tesmoins, voici les furieux mataeologiens ennemis iures de la verité de Dieu, qui ont escumé toute leur rage contre toy devant et apres ta mort. Mais cependant, ioui aupres de Iesus Christ ton maistre des loyers dont il recompense ton fidele service: et vous, Eglises du fils de Dieu, continuez d'apprendre des livres de ce grand docteur, qui ayant la bouche close ne laisse toutesfois (maugré l'envie) de vous enseigner encores aujourd'huy. Quant à vous, Sophistes, monstres detestables et vouez à perdition, en continuant d'abayer apres ce saint et docte Theologien, descourez de plus en plus vostre sottise et meschanceté, afin que l'on vous siffle et maudie, en attendant que le iuste iuge viene pour rendre à chascun selon ses œuvres. Au reste, Calvin devenu phthisique, à cause de ses veilles et abstinences trop grandes, mourut à Geneve l'an mil cinq cens soixante quatre, le vingtseptiesme iour de May, estant en l'age de cinquante quatre ans, vingt trois desquels il avoit employez en la charge de pasteur et docteur de ceste Eglise par lui dressée et affermie non sans grandes difficultez, et qu'il avoit heureusement gouvernée avec ses doctes compagnons au ministere durant ce temps. Il fut enterré sans aucune pompe, comme il en avoit donné charge expresse, et fut regretté comme pere de tous ceux de Geneve, et de plusieurs fideles espars en diverses parties du monde. Entre les autres ie Th. de Besze fus un de ceux qui deploray son trespas par un epigramme Latin, lequel a esté tourné en François comme s'ensuit:

*Pourquoy dans une fosse obscure et incogne  
Est la chair de Calvin par la mort detenue?  
De ce docte Calvin, tant et tant redouté  
De Rome ruineuse et de la Papauté,  
Duquel les gens de bien desirent la presence,  
Et de qui les meschans craignent mesmes l'absence:  
De qui vertu pouvoit (tant il estoit vestu  
Et orné de grands dons) apprendre la vertu.  
En l'admirable cours de son heureuse vie  
Pour compagne ordinaire il eut la modestie:  
Elle enterra Calvin de ses deux propres mains.  
O moncelet poudreux, que ton hoste t'honore!  
Qu'il y a de tombeaux ore entre les humains  
Ialoux et desireux de l'heur qui te decore!*

Textum latinum huius carminis, quod ipse autor ob singularem formam *ἐπιμυτον* dicit, utpote primarium et authenticum, subiungimus:

*Romae ruentis terror ille maximus,  
Quem mortuum lugent boni, horrescant mali,  
Ipsa a quo potuit virtutem discere virtus,  
Cur adeo exiguo ignotoque in cespite clausus  
Calvinus lateat, rogas?  
Calvinum assidue comitata modestia vivum,  
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.  
O te beatum cespitem tanto hospite!  
O cui invidere cuncta possint marmora!*

Folia tria sequentia Epistolam referunt Bezae dedicatoriam ad Renatam Ferrariensem ducissam, quam supra transscripsimus integrum: ultimum vero plura alia carmina ex eo genere quod poetae italici prae caeteris adamantur, ex recentioribus Germani maxime imitati sunt, sonettorum nomine ubique terrarum cognitum et aestimatum. Quae etsi non eadem omnia palma digna videntur, hoc tamen loco praeterire noluimus: tu ea, benevole lector, aequo iudicio excipias rogamus, ut pii coaetaneorum in Calvinum animi documenta:

## TVMBEAV A IEAN CALVIN

PAR ANTOINE DE CHANDIEV DIT ZAMARIEL.

*Quand le ciel retira le Theologien,  
Qui docte a surmonté la Papale ignorance,  
La terre ayant perdu sa plus grande excellence,  
Tu es (dit-elle au ciel) envieux de mon bien.*

*I'ay pris (respond le ciel) celuy qui estoit mien,  
Le couronnant du prix de sa ferme esperance:  
En terre il ne pouvoit faire sa demeurance,  
Car il estoit celeste, et non pas terrien.*

*Cessez (dit l'Eternel) et vous l'aurez tous deux:  
Car ie luy ay donné un nom tant glorieux,  
Qu'il n'y a mort, oubly, ne tombeau qui l'enserre.*

*Le ciel aura l'esprit, la terre gardera  
La gloire de son nom: et immortel sera  
L'esprit vivant au ciel, le nom vivant en terre.*

## A V T R E.

*Je pensoy' que la mort auroit trop tost fermé  
L'œil, l'oreille et la bouche à ce chef venerable,  
Qui a veu et ouy le fruct inestimable  
De son dire excellent entre tous renommé.*

*Car maintenant son corps, qui demeure enfermé,  
Aveugle, sourd, muet, au tumbeau qui l'accable,  
Ne void, et n'oid plus rien, et sa bouche admirable  
Ne peut plus enseigner son troupeau bien aimé.*

*Mais quand ie pense aux maux survenus apres lui,  
Et qu'on ne void, on n'oid, on ne dit plus qu'ennui,  
Que guerre, que tourment, qui de si pres nous touche:*

*Alors ie conoy bien, Calvin, que tu es mort  
En un temps propre à toy, et qu'heureuse est la mort,  
Qui t'a fermé ton œil, ton oreille, et ta bouche.*

D\*

## A V T R E.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

*Lors que Calvin changea ceste vie mortelle  
A l'eternel repos de sa felicité,  
L'ennuyeux mois de May, qui le nous a osté,  
Changea tout au rebours sa façon naturelle.*

*May, qui doit resouir la terre universelle,  
Et revestir les champs de sa verte beauté,  
May, qui doit descouvrir la riche nouveauté  
De mille et mille fleurs que la terre nous cele:*

*May nous a despouillez de tout contentement,  
May a changé son verd en dueil et en tourment:  
Bref, ce May fut un mois au mois de May contraire.*

*Car au lieu d'en donner, il ravit nostre fleur.  
Mais en l'ostant du monde, il n'a pas sceu tant faire,  
Qu'au monde il n'en demeure une immortelle odeur.*

---

*Calvin, grand Docteur en l'Eglise,  
N'est clos de sepulture exquise,  
Au repos des Saints trespassée.  
Ne lui dressons des Cenotaphes,  
Des discours, ni des Epitaphes:  
Ses écrits lui en font assez.*

*L. M.*

Textus ipse cum indicibus centum terniones obtinet (A—Z; Aa—Zz; Aaa—Zzz; Aaaa—Zzzz; Aaaaa—Hhhh) in quibus sunt 2318 columnae numeratae, et praeterea quadraginta paginae postliminares. Opuscula a Stoerio edita, ut iam diximus, eadem illa sunt quae Beza anno 1566 collegerat, eodemque ordine veniunt, uno excepto. Diatribae scilicet duae contra Balduinum scriptae, quas prior editio nonnullis aliis interpositis separaverat, iam se presse sequuntur, ita tamen ut posterior (XXXVIII) priorem (XXXIV) praecedat. Notae marginales frequentiores et locupletiores quam apud ipsum Bezam.

Indices sunt quatuor, primus Tractatum seriem exhibens duabus paginis absolvitur; secundus loca S. S. ab autore allegata recenset paginis viginti octo, tertius nomina patrum passim laudatorum refert paginis duabus; quartus denique rerum praecipuarum catalogum alphabeticum praebet, octo paginis comprehensum. Duo locupletiores illi, secundum dicimus et quartum, ternis columnis expressi sunt.

Exemplar hoc Stoerianum in nostro museo exstat.

## VII.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## EDITIO PAULI LACROIX.

*Oeuvres françoises de J. Calvin, recueillies pour la première fois, précédées de sa vie par Th. de Bèze et d'une notice bibliographique par P. L. Jacob, Bibliophile. Paris, Librairie de Charles Gosselin. 1842. XII et 352 pp. 12.*

Editor V. Cel. Paulus Lacroix, bibliothecae quae dicitur armamentarii parisiensis praefectus, cuius fama in historia literarum excolenda tam sub hoc eius vero nomine, quam *γενδαρίπους* (le Bibliophile Jacob) inclaruit, in praefatione huic nitido volumini praemissa iure miratur, opera Calvini gallico idiomate conscripta nunquam antea iunctim edita fuisse, quum editio Bezae, ut ipsi supra declaravimus, libellorum latinorum versiones ab aliis factas authenticis autoris scriptis miscuerit. Simul non immerito queritur, a maioribus operum Calvini collectionibus textus gallicos prorsus exsulare, vel potius latine tantum versa in iisdem legi. Quibus rationibus motus ipse de colligendis gallicis opusculis cogitavit eademque si non omnia, plura tamen popularibus obtulit, non tam, quod alii intenderunt, ut theologorum studiis inserviret, quam ut sermonis gallici recentioris initia illustraret gloriampque calviniana commendaret facundiae, ab hac parte diutius neglectam, minime vero negligendam. Statim enim ab initio maximas stili calviniani laudes canit, quas, utpote a tali iudice profectas, lectores sane lubentius ac securius excipient quam quae nos ipsi vel in eandem vel in diversam sententiam diceremus. Ecce eius verba: *Le style de Calvin est un des plus grands styles du seizième siècle: simple, correct, élégant, clair, ingénieux, animé, varié de formes et de tons, il a commencé à fixer la langue française pour la prose, comme celui de Clément Marot l'avait fait pour les vers. Ce style est moins savant, moins travaillé, moins ouvrage, pour ainsi dire, que le style de Rabelais; mais il est plus prompt, plus souple et plus habile à exprimer toutes les nuances de la pensée et du sentiment; il est moins naïf, moins agréable et moins riche que celuy d'Amyot, mais il est plus incisif, plus imposant et plus grammatical; il est moins capricieux, moins coloré et moins attachant que celui de Montaigne, mais il est plus concis, plus grave et plus français, si l'on peut reprocher à l'auteur des Essais d'écrire quelquefois à la gasconne.*

Huic tali elogio, quatenus ad Calvinum nostrum pertinet, nos quoque subscribere minime abnui-  
mus. Est tamen hic aliquid de quo te moneri patiaris. In laudando Calvini stilo gallico cautela qua-  
dam tibi utendum est, et opera genuina ab aliorum versionibus ex latino factis sedulo et accurate dis-  
tinguas oportet antequam arbitria tua feceris. Haec vero Vir doctissimus fortasse non satis respexit,  
qui de Calvino inter primarios patrii sermonis autores referendo unice sollicitus, eique debitum locum  
in classicorum serie vindicare gestiens, huic minime vituperando studio criticum labore, quo alias egre-  
gie defungi solet, postposuisse videtur. Certe in catalogo suo operum Calvini gallicorum plurima re-  
censet latina, quae ab ipso autore gallice quoque exarata esse, quamvis neque probabile sit, neque ab  
ullo teste affirmetur, imo etiam aperte negetur, ex mera coniectura asserit. Huc pertinent maxime exe-  
getica, tum etiam tractatus nonnulli polemici: ut de concionibus taceamus, quae sane primum gallice  
editae sunt, verum ex ore loquentis ut plurimum exceptae, non scribentis quasi sigillo notatae.

Caeterum opuscula gallica ab editore in hoc volumen relata haec sunt, numeris supra iisdem  
adscriptis hic quoque insignienda: XVII. de Astrologia. XIII. de Reliquiis. IV. de Coena. XXI.  
Quatuor conciones. XII. adversus Franciscanum. XXIX. adversus Cathalanum. XXXIX.  
Confessio fidei. Penultimo loco inseritur Praefatio Calvini ad Psalmos a Clem. Marot gallice ver-  
sus, quae ab antiquioribus Tractatum collectionibus aberat. Desiderantur igitur libelli gallici hi: VI.

VII. Catechismus cum suis appendicibus et Liturgia. XII. Scripta contra Anabaptistas et Libertinos. XIV. Libelli de vitandis superstitionibus et XXXII. adversus Hollandum. Adeoque primum locum obtinet Psychopannychia, cuius versionem gallicam anno 1558 primum editam Vir clarissimus ipse Calvinus tribuit, in quo ut ei assentiamur, a nobis impetrare non possumus.

In rebus orthographicis editor nostrae aetatis morem saepius respexit quam saeculi decimi sexti consuetudinem; in quibus ordinandis etsi aliam omnino legem nobis scribamus, si quem finem sibi ille proposuerit in libro suo edendo consideramus, eius rationem sane excusandam, imo laudandam dixerimus.

## CAPUT II.

### NOVAE EDITIONIS CONSILIUUM ET SUBSIDIA.

Paucis tibi, benevole lector, consilium nostrum in nova opusculorum Calvini editione condenda declarare possumus, paucioribus etiam idem tibi commendare. Adeo simplex et rationi consentaneum nobis esse videtur. Iam satis dictum est, unumquemque tractatum eo sermone recusumiri quo olim primum editus fuerit, minimeque nobis in animo esse ut Bezae exemplum sequuti vel in Gallorum usum qui forte minus docti fuerint, omnia ipsorum lingua edamus, vel in exterorum commodum, qui forte hanc non calluerint, omnia latina faciamus. Calvinum ipsum et genuinum, non aliena veste indutum et sibi dissimilem posteritati tradere volumus. Et quod nonnulli somniarunt, illum talem et tantum virum, tamque multis curis et negotiis distractum, suis scriptis ex altera lingua in alteram vertendis operam impendisse, post ea quae in eius Institutione tractanda nuper plane contraria comperimus et demonstravimus, id nobis nullo modo persuaderi patiemur, et, ubi e re fuerit, omnino erroneum et respuendum esse suis locis sigillatim ostendemus.

Verum dum de his inde ab initio inter nos ne minimum quidem dubium exstitit, paulo diutius haesimus quoad ordinem libellorum calvinianorum in hac nova collectione constituendum. Olim, fatemur, non parum arridebat Bezae dispositio in latina sua editione singula scripta pro argumento in certas classes referentis et in lectorum commodum similibus iungentis similia. Sed re accuratius expensa a tali consilio destitimus. Ipsam enim Bezae divisionem pluribus nominibus arbitrariam et minus rectam esse cognovimus. Facillime quidem, neque incommodè, tractatus contra Pontificios editos, ut hoc exemplo utamur, aut contra Antitrinitarios, a caeteris separatos suo proprio loco reservare poterat: sed quo pacto dogmatica a polemicis distinguere conatus sit, ita ut in utraque collectionis eius parte scripta occurrant de coena Domini, nec non de reformanda ecclesia, iure aliquis quaesierit. Plura, si iuste aestimaveris, tam singularis argumenti sunt, adeoque a reliquis diversa, ut sibi sola classem aliquam constituant, quod ipsum Beza in libro de Astrologia agnovisse videmus, in aliis non sensisse miramur. Sic apud eum liber de Scandalis medium locum inter Catechismum et Confessionem obtinet; sic carmen Epinicion, quae est pagina inter calviniana monumenta plane peculiaris, inter dogmatica legitur post Coenae libellum, ut locum suum mero casu nactum esse videatur. Haec igitur dispositio vix servanda fuisse si simpliciter de collectione Bezana recudenda cogitassemus; verum quum ipsi nonnulla a veteri editore omissa caeteris addere nobis proposuerimus, his vel novos classium titulos facere oportuisset, vel pristinis servatis minus apta castra assignare. Quibus de causis potius eam rationem sequendam duximus quae et Gallasio adeoque ipse Bezae in sua editione gallica placuerat, scilicet ut annorum respectu habito unicuique opusculo locum suum pro natalium ipsius iure daremus. Tali ordine stricte observato Calvini labores, et omni

tempore varios, et singulis vitae stadiis nunc huc nunc illuc maxime intentos facilius cognosces. Atque ut plenius in lectoris commodum redundet utilitas, quae ex tali materiarum dispositione nasceretur, tractatus pro sermonis varietate dispescere, et gallicis a latinis seiunctis duplicem eorum seriem constituere no-luimus.

Iam quod ad fontes attinet ex quibus textus nobis hauriendus erat verus et authenticus, mox vidimus recentiores editiones corporis tractatum Bezanae mera esse apographa, in quibus ne manifestissima quidem errata typographica correctoris alicuius, vel primis clementis imbuti, oculos offenderint manusve senserint. Amstelodamensem solam paucissimis mendis expurgatis fide aliquanto caeteris digniorum esse cognovimus, ita quidem ut editor, quisquis ille fuerit, interdum vetera exemplaria inspexisse videatur. Bezae vero librum ipsum plurimas lectiones exhibere intelleximus quas ab antiquioribus alienas neque sensum luculentius reddidisse dixeris, neque phrasin excoluisse, imo saepissime textum vitiasse, sive id casu et negligentia acciderit, sive industriae male feriati cuiusdam scioli debeatur, qui autoris mentem minus bene assequutus sibi emendandi officium temere arrogarit.

Verum etiam si haec non ita se haberent, res ipsa monebat ut ad editiones principes rediremus, quas Calvinus ipse curavit et pro quibus solis, dum typis exsribuerentur, excubias egisse putandus est. In his autem conquirendis non eadem illa fortuna usi sumus quae nos in maiore opere Institutionis comparando, utpote multo frequentiore, adiuverat. Cuius latinas editiones ad unam omnes ipsi possidemus, omnium mortalium in hac parte rerum ditissimi, gallicarum quoque plurimas nostras fecimus, caeteras omnes, quotquot unquam exstitisse rescivimus, ex variis bibliothecis concessisse gloriamur. Minora illa opuscula, de quibus hic agitur, rarius imo rarissime venales occurunt quaerentibus, et si occurrerint non nisi magno aere redimuntur. Quorum quidem satis spectabilem copiam neque ulli alienae inferiorem colligere contigit, in dies etiam novis accessionibus locupletatam, sed neutiquam omnibus numeris absolutam. Maior pars paucioribus tantum exemplaribus repraesentatur quae in bibliothecis publicis asservata delitescunt, in quarum scriniis modo hunc modo illum libellum, nusquam autem bene multos simul inveneris. Plura omnino perditae videntur; certe nostris oculis, ubique terrarum et βιβλιοπωλῶν tabernas et ipsa βιβλιοφύλακες penetralia explorantum, sese ad hunc diem subduxerunt. Quorundam unicum tantum exemplar exstat, vel certe nobis innotuit, atque adeo in nostro ipsorum thesauro, etiam hoc nomine commendando, talia nonnulla reperies. Hoc maxime de illis scriptis valet quae neque Gallarius neque Beza in suam collectionem recepit. Quae ne inter operariorum manus perirent, primum non sine magnis impensis calamo describenda curavimus, deinde descripti exemplaris cum archetypo conferendi fastidiosum nobis laborem imposuimus, de eo unice solliciti ut ne quid vel Calvinus nostro, vel nostro saeculo indignum per nos in publicum exiret. His talibus curis et studiis, neque sumptibus parcentes, neque itinerum molestias detrectantes, percontando, scrutando, coemendo, apparatum literarium talem concessimus ut locupletiorem non possis. Singula quibus subsidiis instructi recensuerimus in sequentibus capitibus accurate declarabimus, et quorum virorum auxilio adiuti quarumve bibliothecarum opibus usi musei nostri defectus suppleverimus, grato animo suo loco profitebimus.

De methodo nostra critica non est quod fusius iterum disputemus post ea quae in prolegomenis primi voluminis diximus. Quas nobis ibi leges scripsimus de rebus minoris momenti quae ad interpunkti rationem spectant, ad errata typographica tacite delenda, ad allegationes scripturae sacrae sedulo examinandas, aliasque huius generis, eas hic quoque dudum comprobatas servavimus, maxime quantum ad ὀρθογραφίαν pertinent, latinam ad usum communem conformantes, gallicam diligentissime ad normam editionum principum exigentes. Quarum etiam textum ubique fideliter restituimus, nisi ubi evidenter mendosus aut depravatus fuerit ex typographi et correctoris negligentia; variantes lectiones omnes edi-

tionum recentiorum in marginem relegamus; antiquae versionis testimonium tum saepius in iisdem diuidicandis, tum etiam passim in sensu locorum dubiorum constituendo producimus. Tu vero, benevolentia, sudoris nostri fructus ex hac operis parte ad te redeentes aequo animo accipias, rogamus, iisque feliciter utaris.

## CAPUT III.

## COMMENTARII IN LIBROS SENECAE DE CLEMENTIA. 1532.

Quod primum et in hoc genere unicum doctrinae documentum edidit Calvinus iuvenis admodum et vix vigesimum tertium annum agens, ei Gallasius utpote a theologorum rebus alieno sui voluminis hospitium negavit. Beza vero et qui eum sequuti sunt eadem de causa illud in appendicem relegarunt. Nos ei primarium locum concedimus in nostro opusculorum calvinianorum corpore, ut qui temporum rationem nobis observandam constituerimus, neque ob argumenti differentiam illud a caeteris omnino separandum arbitremur. Sane theologicis scriptis, sive proprio sive latiore sensu sic dicendis, adnumerari nequit, quamvis sint qui suspicentur autorem in eo conscribendo id egisse ut regi Francisco, iam tum de novarum rerum fautoribus et purioris evangelii amicis in sua ditione iniquius sentienti, mitiora consilia instillaret de iisdem capienda, quemadmodum olim cordubensis ille philosophus Neronis Caesaris animum oblato suo libro lenire conatus fuerit. Nos talem huius operis causam et originem asserere non ausimus, quum autor nusquam in suo commentario ne oblique quidem ad rei publicae et sacrae statum alludat, qualis suo tempore in Gallia obtinebat. Qui potius id solum in animo habuisse videtur ut textum suum philologice elucidaret, undique congestis scriptorum romanorum sententiis et poetarum floribus, paulo rarius etiam variorum philosophorum placitis in aciem deductis argumentum ipsum retractaret et excuteret. Verum quamvis illis minime assentiamur, qui sibi in hoc commentario apologetici studii vestigia comprehendisse videntur, et autorem tum temporis humanioribus quas dicunt literis unice incubuisse dixerimus, aliud quiddam est quod nobis maxime dissuadet, ne has stili calviniani primitias de primo illo loco quem eis destinavimus, quasi debito de gradu detrudamus. Ab his nimirum legendis incipias oportet, si magnam illam conversionem, neque unquam satis mirandam animo contemplari volueris, qua vir immortalis a coetu philologorum, inter quos non ultimo loco venturus erat si ex talibus initii conjecturam feceris, ad theologorum studia evectus statim primo conatu multis se commendavit, mox arrepta palma nulli secundus evasit. In his enim commentariis theologici, adeoque vel religiosi vel biblici argumenti quod dixeris, nihil dum appetet, neque illius Calvini, quem postea orbis christianus novit, quidquam praeter latini sermonis cultioris elegantiam, qua nemo inter istius saeculi theologos magis illo inclinavit. Biennio vero post, quum Psychopannychiam suam ederet, de quaestionibus et controversiis theologiae vel reconditoris tam bene edoctum se ostendit, ut a pueris nil nisi haec tractasse videatur, et qui in priore opere amplissimam autorum classicorum notitiam exhibuit ut eum totam latinitatem memoria tenuisse credideris, iam in hoc altero scripturam sacram omnem mente comprehendit et patrum quoque familiarem se praebet, ita ut pro occasione et auctoritatum copiae et argumentorem rationes disputanti praesto sint et uberrimae et firmissimae. Ita hic si a priore ad alterum librum transitum feceris, Viri clarissimi studia inde ab eo tempore quo Aureliam adiit rebus sacris dicata et in dies altiora appetentia cognoscere possis, quae iam ex nostrae latinae Institutionis editione indesinenter aucta, emendata, locupletata vidisti.

Caeterum de commentario ipso eiusque indeole non est quod hoc loco fusius dicamus. Iam monimus eum magis dicendi formulis explicandis studere, quibus Seneca passim peculiaribus et minus tritis usus est, quam ipsi libri argumento tractando. Quas tamen partes non plane negligit, imo passim iis diligentius insistit. Criticas vero quaestiones, quas hodierni commentatores maxime curant omnino praeterit; de editione, quae ipsi textum suppeditavit, ne verbum quidem dicit; de emendanda ex codicibus lectione nunquam cogitat; vix semel aut iterum variatam significat. Pauca sunt quae ad libri historiam illustrandam ex thesauro Calvini epistolico huc afferre possumus, atque id semel dixisse sufficiat Nostrum rarissime in literis ad amicos datis de suis ipsis libris vel scribendis vel editis verba facere, neque ab exteris, simili occasione oblata, eosdem ita frequenter laudari ut inde quae ad eorum originem et fata pertinent accuratius discere queas. Quod ad hos in Senecam commentarios attinet, eorum ipse autor meminit in duabus literis ad Franciscum Danielem iureconsultum aurelianensem datis. In priore epistola Parisiis a. d. X. Cal. Maias (citra dubium anni 1532) exarata ita loquitur: *Tandem iacta est alea. Exierunt commentarii mei in libros Senecae de clementia, sed meis sumptibus. Qui plus pecuniae exhauserunt quam tibi persuaderi possit. Nunc omnem operam do ut aliquid colligatur. Aliquot professores excitavi in hac urbe qui preelegerent in scholis. Biturigibus amico persuasi ut suggestum concenderet ad publicam professionem. Tu etiam mihi nonnihil commodare poteris. Si non gravaberis hoc dabis veteri amicitiae nostrae, prae-assertim quum circa existimationis tuae dispendium hoc officium praestare nobis possis quod publico etiam bono forte cessurum sit. Si statueris hoc me beneficio obstringere, mittam centum exemplaria, aut quot tibi visum fuerit. Interim habe hoc tibi exemplar, quod dum accipis, ne putas dictam a me tibi aliquam legem. Volo per me tibi omnia esse libera caett. Exstat altera quoque ad eundem epistola, in codice genevensi, annum 1530 pree se ferens aliena nimirum manu annotatum, quam tamen ad euadem annum 1532 adeoque ad eundem mensem referre non dubitamus. In qua inter alia haec leguntur: Libri Senecae de clementia tandem excusi sunt meis sumptibus et mea opera. Nunc curandum ut undique colligatur pecunia quae in sumptus impensa est, deinde ut salva sit mea existimatio. Primum velim mihi ut rescribas quo favore vel frigore excepti fuerint, tum ut Landrinum inducas in preelectionem. Mitto ad te unum exemplar quod penes te maneat. Alia quinque curabis mittenda Bituriges caett. Sunt in his epistolis quaedam quae et ipsa commentario opus habent, neque facile perspexeris quae sit alterius ratio ad alteram. Verum de his disserere huius loci non est, quum ad nostram rem non faciant. Tertiam vero epistolam, eamque dedicatoriam infra integrum textui preefixam habebis.*

Pergimus ad libellum ipsum accuratius describendum. Titulus ei hic est:

L. ANNEI SE- | NECAE, ROMANI SENATO- | RIS, AC PHILOSOPHI CLARISSI- | mi, libri  
duo de clementia, ad Ne- | ronem Caesarem: | Ioannis Caluini Nouiodunaei commentariis illus-  
trati. | (Emblema testudinis.) | TECVM HABITA. | Parisiis apud Ludouicum Cyaneum sub | duobus Gallis in  
via Iacobacu. | 1532.

Quatuor sunt folia praeliminaria quorum primum titulum, duo sequentia autoris preefactionem ad Claudium Hangestium, abbatem S. Eligii Noviodunensis, Parisiis pridie Nonas Apriles 1532 scriptam continent, ultimum vitam Senecae enarrat, quam ex bonis autoribus se desumpsisse autor asserit. Textus sunt plagulae viginti in forma quaternaria minori (a—v), paginae numeratae 157, tres reliquae in albis. In fine legitur: Parisiis ex officina chalcographica Ludovici Cyanei, anno salutis nostrae MDXXXII, mense Aprili. Cui subscriptioni subiicitur paucissimorum errororum recognitio. Senecae textum ad editionem Erasmi secundam, anno 1529 Basileae apud Frobenium et Hervagium impressam, simpliciter recusum fuisse cognovimus collatione plurium locorum et editionum instituta. Typis ille paulo maioribus exaratus legitur, cuius singulis capitibus Calvini commentarius minore charactere distinctus subiicitur.

*Calvini opera. Vol. V.*

E

Praeter hanc editionem principem nulla alia unquam exstitit, quantum nos quidem rescivimus, eiusque exemplaria in paucissimis bibliothecis publicis reperiri certum est. Ipsis rarissimum libellum nostrae collectioni minime spernendum κειμήλιον addere contigit. Postea, ut diximus, Beza a. 1576. eum appendicis vice suo Tractatum corpori subiunxit, ex quo eadem conditione in cacteras editiones (1597. 1611 et 1667) transit, de quibus vide quae supra pag. XXIV seq. dicta sunt. Bezae editio haud infre-quenter ab authentico exemplari discrepat, rarius emendata, saepius depravata lectione. Postiores edi-tiones eam talem simpliciter describunt. Sola Amstelodamensis manifestiores errores expurgat, nunquam vero ad archetypum recurrit.

## CAPUT IV. PSYCHOPANNYCHIA. 1534.

Calvinum ante biennium post editos in Senecani commentarios elapsum ad scripta de rebus ad religionem spectantibus componenda manum admovisse testis est Beza, qui refert eum Lutetia relicta in agrum Santonicum (alii nominatim designant urbem hodie Angoulême dictam) demigrasse, ibique amico cuidam operam dedisse, cuius rogatu breves quasdam admonitiones christianas scripserit, quas ille parochis nonnullis inter sacra recitandas tradebat ut paulatim populus ad veritatis indagandae studium alliceretur. Quae schedae, quum simpliciter manu scriptae essent, aetatem non tulerunt, nec facile nobis persuaserimus verum esse quod olim nonnulli insinuarunt, fuisse has primas Institutionis lineas iam tum ab autore elaboratas. (Florimond de Raemond, *Hist. de la naissance de l'hérésie*, p. 883.)

Mox vero dum Aureliae degebat, peculiare aliquod argumentum theologicum sibi tractandum sumpsit, in quo et solidae doctrinae et dialecticae subtilitatis insigne specimen edidit. Refutare conatus est illorum errorem, vetustum quidem, sed tum maxime a quibusdam renovatum, qui dormire seiunotas a corporibus defunctorum animas docebant. Quid Calvinum ad hanc sententiam prae caeteris impugnandam impulerit haud facile dixeris, quum certe inter Gallos eius aetatis tales quaestiones agitatas fuisse fama non ferat. Vix etiam crediderimus exstisset tum temporis scripta in quibus de ψυχοπαννύχῃ, quae dicitur, tam acriter, tamque erudite disputatum fuerit ac fuisse coniecerit aliquis ex Calvini refutatione. Audias potius ipsum in praefatione sui libelli de eiusdem causis et occasione disserentem. Postquam se a nonnullis piis viris sollicitatum fuisse dixit ut tale aliquid ederet, verum hactenus flagitantibus non cessisse, ita pergit: *Minime mihi expeditum erat cum iis manum conserere qui starent ab adversis partibus, quorum nec castra, nec tela, nec subterfugia neveram. Nondum enim quidquam ad me perlatum erat praeter murmura et raucos strepitus. Ut congregi cum iis, qui in arenam nondum prodierant, nihil prorsus aliud videretur quam aerem clausis oculis verberare. At de successu longe aliter accidit quam speraveram. Siquidem bluterones illi tanta strenuitate in partes suas incubuerunt, ut aliquot iam hominum millia in eandem secum insaniam traxerint. Et ipsum etiam malum, ut video, incruduit. Quidam enim principio confuse garriebant, mortuorum animos dormire, neque definiebant quid per somnum vellent intelligi. Emerserunt postea ψυχοκόροι isti qui prorsus eas iugulant. Illorum quidem errorem non ferendum, horum vero insaniam graviter coercendam existimo. Utrosque nec ratione, nec iudicio nisi. Verum id aliis persuadere non ita facile est, nisi vanitatem palam et, quod dicitur, in os refellam, quae non nisi in eorum scriptis deprehenditur. Dicuntur autem suas nugas nescio quibus schedulis ventilare, quas mihi needum videre contigit. Tantum ab amico notulas quasdam accepi, quibus perscripscrat quae vel ex ore loquentium excipere illi cursim licuerat, vel undecunque colligere. Igitur quum illi susurris clanculum se*

*insinuantes non pauciores suo errore illaqueent quam si excusis libris publice cursitarent, causam mihi habere non videor quin veritatis proditor dicar, si in tanta necessitate taceam ac dissimulem. Ex his omnibus li-*  
www.Libtof.com.cn  
*quide appareat Calvinum, quem sese ad hunc libellum conscribendum accinxerit, adversariorum scripta quae accuratius refutaret omnino nulla in manibus habuisse. Vero simillimum ergo est eum plurima illa argumenta, partim seria et graviora, partim argutiora et levia, in quibus refellendis totus versatur, minus saepe ex haereticorum ore excepsisse quam ex suo ipsius ingenio hausisse, ita ut, quae dubia contra suam sententiam moveri poterant, ea ipse, quae erat eius sagacitas, primus repererit et quasi contra se ipsum solverit.*

Cæterum non subsistit in iis quae ad somnum animarum stricte sic dictum spectant, sive quem vocant statum intermedium, sed occasione data omnia fere pertractat quae de animarum natura et immortalitate corporumque resurrectione a theologis tradi solent. Vix est quod te moneamus ne hic philosophicam tractationem quaerere velis, qualem recentiores tibi offerunt de his rebus disserentes. Est illa mere theologica et ut maxime scholastica, ad normam et exemplum ecclesiasticorum doctorum qui orthodoxi perhibentur exacta. In qua si quis reformatae scientiae vestigia quaesierit, in eo reperire poterit quod autor rarius ad placita patrum provocat, locupletissimam vero congerit locorum scripturae sacrae messem, in qua ventilanda fere tota disputatio absolvitur. Quae autorem prodit mira sacrorum oraculorum notitia insignem, et in iis ad institutionem christianam usurpandis scrutandisque nemini imparem, sed historicum sensum, quem nos maxime vindicamus, minus sectantem, praesertim in veteris testamenti effatis explicandis. Stilus paulo aerior et concitator oratio, cuius vehementiam ipse in praefatione agnoscit: qui tamen non nisi modice bilem effudisse se dicit stiloque ita temperasse ut docendo quam cogendo fuerit aptior. Quod si ex istius saeculi moribus aestimaveris, non immerito dictum concesseris: nos quibus sedator animus est et magis comiter instituta placet arduarum quaestionum decertatio, contentionis fervore haud ita facile abrepti veritatem certius argumentis quam conviciis asseri iudicamus.

Non audiendi sunt qui hunc libellum primum gallice editum fuisse coniiciunt. Nam ex mera conjectura talem opinionem nasci potuisse inde efficimus quod nemo unquam gallicum exemplar ante latina nostra impressum vidit, neque testis qui olim viderit adduci potest. Adde quod P. Henry, qui nostra etiam aetate eam sententiam amplexus esse videtur (in Vita Calvini I. 63), ipse postea tacito eam dereliquit, ut videre est ex eiusdem operis T. III. Append. p. 175. Titulum autem libri varium fuisse, quem ex editionum recensione, tum vel ex ipsius Calvini testimonio infra proferendo disces, neque omnino certum nobis est Psychopannychia nomen inde ab initio ei inditum fuisse. Sed ne te de rebus dubiis amplius moremur, en tibi editionum quae nobis innotuerunt seriem recensemus:

I. 1534. Editio princeps Parisiis impressa, latina. Hanc non vidimus neque usquam adhuc extare audivimus. Fortasse autoris sumptibus excusa, quod in Commentariis in Senecam factum novimus, nondum in bibliopolarum manus transierat eo temporis momento quo ipse tutum apud exterios asylum quaerere coactus solum patrium vertit satis repente, et maioribus impedimentis post tergum relictis. Fortasse etiam editor, si quis fuerit, qui sumptus fecerat, post eius discessum, et ingravescente inquisitorum saevitia, evulgare non ausus est, ita ut situ et silentio exemplaria perierint. Quidquid sit, de reperiendo aliquo vix illa spes reicta est, nisi forte in obscura quadam interioris Galliae bibliotheca delitescat. Ad Germaniae Helvetiaeque fines non plura pervenisse, nihil mirum.

II. 1536. Alteram editionem Calvinus ipse procuravit Basileae eo ipso anno quo apud Platerum Institutio christiana lucem vidi, ita ut illam eidem officinae deberi facile nobis persuadeamus. Verum hanc quoque nusquam reperiire contigit, quanquam illae causae, quas priorem ex hominum oculis subduxisse vero simile est, huic minime infestae esse potuerunt. Atque hac posteriore quondam potiundi

F\*

minor etiam spes est, quum exemplaria in nostris maxime terris divendita olim naturae rerum consenteum videatur. Iam quum ambarum principum copia nobis non fuerit, de earum textu, quatenus cum eo quem hodie manibus tractamus conspiret, dicere non possumus. Post basiloensem etiam recognitionem multa ab autore mutata esse non credimus; verum inter primam et secundam editionem maiorem aliquam differentiam intercessisse minime dubium est. In ea quidem praefatione, quam Calvinus Basileae novam addidit de mutato stilo nihil, multa vero habentur quibus ea, quae de adversariis paulo acrius atque asperius dicta videri poterant, simpliciter tuetur et vindicat, nec quidquam mitigare quaerit, id solum monens, ne boni viri, si quis nimia credendi facilitate in eandem falsam opinionem abreptus fuerit, in suam contumeliam trahant quae non nisi in pervicaces haereticos et malitosos veritatis oppugnatores sint proposita. Tu vero cave haec ita sumas, quasi basileense exemplar parisiensis purum putum apographon fuerit. Incidimus enim Neocomi in epistolam Calvini ineditam, ad Christophorum Libertinum, alias Liberteti vel Fabri nomine appellatum, verbi divini ministrum tum temporis Bolae postea Tononii in Sabauidia degentem, a. d. III. Idus Septembbris incerti anni (qui tamen, si quid videmus, 1535 fuit) Basileae scriptam, in qua inter alia haec leguntur: *Iam mihi a nescio quo sermo tuo mandato injectus fuerat, in libello nostro de animarum immortalitate non satis tibi probari quaedam. Ego vero tantum abest ut tuo iudicio offensus fuerim, ut hac ingenua simplicitate mire sim delectatus. Neque enim ea est mea morositas ut, quam mihi permitto iudicium libertatem, ademptam aliis velim. Ne tamen rem actam agendo frustra te torqueas, librum ipsum paene ex integro scito a me retextum. Non multis quidem aut additis aut expuncis, sed prorsus inverso ordine, quanquam pauca quaedam sustuli, alia addidi, mutavi etiam nonnulla. Ea enim commentatio quam Olivetano legendam dederam cogitationes meas continebat magis in adversaria congestas, quam certo distinctoque ordine digestas, etiamsi forma quaedam esset ordinis. Eum novum librum, sic enim appellare libet, ad te missem, si relectus a me esset. Sed ex quo a Gaspare descriptus, non inspexi. Patet ex his, Calvinum librum suum ita mutasse, sin minus in ipsis sententiis, at certe quoad rerum ordinem et totius disputationis tenorem, ut eum totum calamo describendum curare debuerit, et parisiense exemplar, quod cum Olivetano et Christophoro communicaverat, meram in adversaria factam congeriem dicere potuerit. Est igitur hic quod magnopere deploremus: primum scilicet Calvini opus theologicum quoad genuinam suam et nativam formam nobis deperditum esse, cuius sane iactura non tam scientiae ipsius vel adeo ecclesiae commoda tangit, quam in autoris vita diligentius enarranda lacunam facit vix conjectura aliqua explendam.*

Ad eandem basileensem Psychopannychiae recognitionem pertinere videntur quae legimus satis obscure dicta, in epistola quadam Wolfgangi Capitonis in bibliotheca genevensi asservata. Quae quidem sine die et consule Argentorato ad Martianum Lucanium quendam missa est, verum non nescimus sub hoc nomine ipsum Calvinum Basileae delitusse, antequam italicum iter aggredieretur, eademque subscriptione usum fuisse in illa altera epistola cuius modo fragmentum attulimus. Iam ille haec ad Nostrum: *Gustus libri tui perplacet. Penitus cognoscere de toto non licuit propter minutos et mihi illegibiles characteres. De edendo, si nos audis, omnino proferes consilium in tempus commodius. Iam sectis omnia perstreput et Germani magna calamitate religionis experti sunt, errores expugnando fieri illustiores, rationem vero certissimam esse consulendi, afflictis ecclesiis accuratissime depingendo Christum. Sed et argumentum illud, quod extra analogiam fidei utcunque tractatur, foecundissimum erit rixarum. Deinde sunt autores splendidi, quos deiecit Dominus a pertinacia istiusmodi erroris affirmandi, quorum studia vereor ne incendantur, aut certe ne prorsus fidem quam hactenus coluerunt despondeant. Mallem etiam auspicareris scribendi industriam in argumento plausibiliore. Deinde paucis de sua ipsius ἀγραμματη interiectis haec addit: Putas sudores istos non sane periisse, sed postera dies occasionem praebebit alio habitu illos ipsos venditandi. Tempus etiam*

*docebit scripturarum omnium penitorem intelligentiam. Summa gallicarum ecclesiarum afflita conditio efflagitat ut ab omnibus contentionibus avocetis potius. Nam tali opera plurimos eosque eximios associatores castrorum Christi continet habens. Et tamen, mi Marciane, liberum per me fuerit, utrum velis, aut edendi aut differendi. Volui tamen, quod mihi videretur, obiter indicare. Haec ille. Vides eum loqui de libro nondum edito, et quidem autoris qui nihil antea theologici argumenti scripserit. Cui suadere conatur ut ab alio potius argumento literarum industriam auspicetur, quam a polemico illo, dubiorum et rixarum foecundissimo. Scripta est igitur epistola illa ante editam Institutionem, videlicet Capito Psychopannychiae exemplar manu scriptum, illud ipsum fortasse de quo Calvinus in literis ad Libertetum datis quasi de nuper conscripto neendum aliis exhibito loquitur. Caeterum constat Capitonem Anabaptistis non omni tempore aequae infensum fuisse ac plurimi illius aetatis theologi, ita ut minus mirandum videatur, eum pro sua parte hunc novum et vehementem impetum ab iisdem avertere studuisse.*

III. Duabus illis primariis editionibus deficientibus tertia Argentoratensis nobis pro tempore princeps fit ad cuius fidem textum recudi curabimus. Sumptus illius fecit Wendelinus ille Rihelius qui etiam Institutionem christianam saepius prelo suo subiecit et cui Calvinus sine dubio libelli typis iterum mandandi ipse fuit autor. Titulus est:

**VIVERE | APVD CHRISTVM | non dormire animis sanctos, qui | in fide Christi  
decedunt. | Assertio.** | Ioannis Caluini. (Emblema officinae.) ARGENTORATI per Vuendelinum | Rihelium.  
*Anno M. D. XLII.*

Forma libri est octonaria minor quam hodie sedecimariam diceremus. Emblema idem illud quod in Prolegomenis Tom. I. pag. XXXII descriptissimus. Typi cursivi. Folia praeliminaria octo (a) non numerata exhibent duas praefationes, aurelianensem et basileensem, charactere satis grandi exaratas. Textus absolvitur sex quaternionibus et dimidio (A—G), foliis numeratis 51, in quorum ultimo legitur typographi subscriptio: **Argentorati per Vuendelinum Rihelium. Anno M. D. XLII.** Sequuntur duae paginae albae: folio ultimo verso iterum exhibetur Riheliana illa Nemesis, forma paulo quam in titulo elegantiore. Textus dispescitur in paragraphos sive sectiones, non quidem numeris distinctas sed maiores unciales literas prae se ferentes, quam divisionem omnes editiones posteriores servarunt.

Huius editionis exemplaria duo, alterum turicense, alterum guelferbytanum, ad manus erant textum recognoscentibus.

IV. Editio Rihelii secunda triennio post priorem prodiit titulo novo et plane ridiculo insignita:

**PSYCHOPANNY- | CHIA, QVA REFELLITVR QVO- | rundam imperitorum error, qui ani- | mas post mortem usque ad ulti- | mum iudicium dormi- | re putant. | LIBELLVS ANTE SEPTEM | annos compositus, nunc  
tamen pri- | mum in lucem aeditus. | Authorē Ioanne Caluino.** (Emblema.) ARGENTORATI PER VVENDE- | linum Rihelium. Anno M. D. XLV.

Cuinam editor hoc suo mendacio fucum facere potuerit haud facile dixeris. Patet tamen, Calvinum ipsum huius libri patronum neutiquam fuisse, et quae in eo passim occurrunt lectiones variantes, eas nullam sibi fidem vindicare posse. Itaque sane miraberis nomen Psychopannychiae, atque adeo, quae illud in titulo sequitur, expositionem argumenti in recentiores editiones transiisse, nisi fortasse in basileensi editione iam existiterit haec inscriptio, a Calvinio anno 1542 mutata. Quidquid sit, externa sua forma haec praecedenti simillima, ita ut paucis rem expedire possimus. Quaterniones sunt octo (A—H) quorum primus praefationes, caeteri textum continent, cuius sunt folia numerata 54; praeterea duo in albis. Folio 54 verso legitur: **Argentorati per Vuendelinum Rihelium Mense Martio. ANNO  
1545.** Sequentis utraque pagina vacua, ultimum ornat emblema de quo valet quod iam supra annotavimus. Typi textus iidem ac in priore editione verum literae sectionum initiales non maiores, sed mi-

nores in spatiis vacuis positae pro more eius saeculi passim obvio. Praefationes charactere romano expressae.

[www.libriantiqui.com/](http://www.libriantiqui.com/) Usi sumus exemplari in nostra ipsorum bibliotheca asservato, alioqui non infrequenti sed rarius venali.

Textus huius libri latinus insertus reperitur omnibus Tractatum corporibus supra laudatis. Exstat apud Gallasium pag. 1—40; etiam apud Barbirium primo loco venit a cacteris omnino numeris suis distinctus. A Beza in classem scriptorum adversus Anabaptistas editorum relatus legitur pag. 537—569, in Sanctandreana secunda pag. 449—476, in Stoeriana pag. 387—411, in Amstelodamensi pag. 335—355.

Versionem gallicam anno 1558 antiquorem exstitisse, dum prolatis testibus fide dignis vel adeo ipso tali libro reperto meliora edoceamus, nobis persuaderi non poterit. Interim unicum argumentum, quo aliquis eam opinionem fulcire forte praesumpserit, in eo vertitur, quod quae Hodie legitur versio textum refert cum editione a. 1542 apprime congruentem, et sequentium editionum variantes, quae non paucae sunt, ad unam omnes ignorantem. Verum quum illa versio absque dubio Genevae facta sit, quid mirum, Calvinum interpeti authenticum suum exemplar tradidisse, ultima vice eo anno (1542) ipso autore curante aut inspiciente impressum, non vero alienum aliquod aut spurium? Caeterum hanc versionem alii cuiquam potius quam Calvino deberi, ex eo sequitur quod archetypi sensum nonnullis locis vel minus accurate vel etiam perverse redditum exhibet. Ad manus fuit editio quam principem esse existimamus, cuiusque titulus ipse versionem recens factam dicit:

PSYCHOPANNYCHIE. | TRAITTE PAR LE- | quel est proué que les ames veillent et viuent apres qu'el- | les sont sorties du corps, contre l'erreur de quelques igno- | rans qui pensent qu'elles dor- | ment iusques au dernier iuge- | ment. | PAR IEHAN CALVIN. | Nouuellement traduit de Latin en Francois. (Emblema.) M. D. LVIII. | Imprimé par Conrad Badius.

Emblema est PRELVM ASCENSIANVM i. e. tabula ipsius typographi Badii Ascensii officinam representans cum adagio inscripto: EN LA SVEVR DE | TON VISAGE TV | MANGERAS LE PAIN. | Forma eadem quae Rihelianorum libellorum de quibus supra. Quaterniones novem et insuper tria folia (a—k), paginae numeratae 150. Typi elegantes romani, primae praefationis (pag. 1—12) grandiores. In fine textus legitur: I. TIMOT. I. | Au Roy des siecles immortel et invisible, à Dieu seul sage honneur et gloire eternellement. | Unicum nobis innotuit huius libri exemplar quod nobiscum communicavit Vir humanissimus A. Rattier, Delphinus, qui otia sua cum dignitate severioribus studiis dicans concesso nobis suarum copiarum usu et de nobis et de literis bene meruit.

Textus huius versionis receptus est in Bezae corpus gallicum pag. 1—56. Inde transiit in Stoerianam pag. 1—66. Denique nostra aetate recepit illam P. Lacroix pag. 25—105, scilicet ipsi Calvinio auctori eam tribuens, in quo Viro doctissimo non adstipulamur.

## CAPUT V.

### EPISTOLAE Duae de REBUS HOC SAECULO COGNITU APPRIME NECESSARIIS. 1537.

Sequuntur duo libelli inde ab initio iunctim editi ob argumenti similitudinem. Epistolae dicuntur, et re vera sunt pro perpetuo sermonis tenore, non ex mera dedicationis forma, quae nulla adest,

ita dicendae. Eas in itinere italico anno 1536 suscepto Calvinum scripsisse dicit Colladonius, in eius vita gallice edita. Quibus vero scriptae sint, id in priore autor ne obscure quidem indicat, in posteriore suae aetatis lectoribus certis quibusdam indicis facilius fortasse dignoscendum prodebat: nos de utraque, praeter famam, testem nullum habemus: haec autem, quum ipsum Bezam sponsorem habeat, alio vindice minime eget. Ambae hoc maxime urgent, inter evangelii puritatem et sacra papistica tam parum convenire, atque haec illi adeo repugnare, ut si quis illam profiteri contenderit his usque plus minus addictus, is mirum quantum falli se patiatur, imo sinceram Christi fidem eum nondum amplexum esse merito dixeris. Fuerunt enim tum temporis in Gallia multi, qui, quanquam aliquo purioris religionis studio tacti, tamen palam et libero papae valedicere vel non audebant, vel etiam minus necessarium putabant, quasi Christum animo colere satis esset, externorum vero rituum consuetudo res media et nullius momenti. Quos Noster satis lepide Pseudo-Nicodemos appellat, ut quibus aliqua esset evangelii curiositas, maior tamen de civilibus commodis et vulgi opinione sollicitudo.

Prior epistola est de fugiendis impiorum illicitis sacris et puritate christianaे religionis observanda, quae scripta fuisse traditur Nicolao Duchemin, quo amico et hospite olim Aureliae usus fuerat Calvinus, officiali postea apud cenomanensem sedem designato. Altera est de christiani hominis officio in sacerdotiis papalis ecclesiae vel administrandis vel abiciendis. Huius occasionem fecisse fertur Gerardus Ruffus s. Roussel, qui olim, dum sorbonicus magister erat, pietatis studia magnopere adiuverat, postea vero abbatia quadam, ac deinceps episcopatu insulae Uliari in finibus Santonum, quae hodie Oleron dicitur, donatus, non modo satis rectum cursum non tenuit, verum etiam heram suam Navarrai reginam, teste Beza, paullatim quoad religionem pessum dedit. Plura de his dabunt tibi Henry in vita Calvini T. I. p. 185; Staehelin, in eadem pag. 110 seqq.; C. Schmidt, Gérard Roussel, Strasb. 1845 pag. 113 seqq.

Exstant harum epistolarum editiones duae quas paucis describere lubet. Princeps habet hunc titulum:

IOANNIS CALVINI, SACRARVM LITERARVM IN Ecclesia Geneuensi professoris,  
Epistolae | duae, de rebus hoc saeculo co-gnitu apprime necessarijs. | PRIOR,  
De fugiendis impiorum illicitis sacris, | et puritate Christianae religionis | obseruanda. | ALTERA, De  
Christiani hominis officio in sa|cerdotijs Papalis ecclesiae vel admini-|strandis, vel abiciendis. | I. Regum.  
18 | VSQVEQVO claudicatis in duas cogitationes? Si Dominus | est Deus, sequimini eum: Si autem Baal; se- | quamini illum. |  
BASILEAE | M. D. XXXVII.

Forma quaternaria fere nostrae octonariae maiori aequalis. Plagulae decem (A—K). Folio primo verso sive pag. 2. exstat Calvini praefatio; sequitur Epistola prior pag. 3—44., altera pag. 45—78. Finem faciunt paginae sex non numeratae, quarum prima exhibet effata biblica duo posteriori epistolae epigraphes vice (si ita dicere fas est) vel pro corollario subiecta, tres habent indicem rerum, quinta errata nonnulla indicat emendanda, cum subscriptione: BASILEAE PER BALTHA SAREM LASIUM ET | Thomam Platterum,  
*Mense Martio, ANNO M.D.XXXVII.* Ultima denique habet emblemam illud Minervae quod descriptissimus in Prolegg. Vol. I. pag. XXX. sed iam cum adagio ad leges prosodicas correcto: Tu nihil invita dices faciesve Minerva. Typi ubique, si praefationem exceperis, cursivi. Margini inscribuntur allegata biblica satis frequentia. Exemplar huius editionis exstat in nostra bibliotheca calviniana.

Antequam ad alia transeamus de typographis dicendum quorum nomina subscriptio libri prodit. Illorum opera hunc re vera excusum fuisse, non est quod in dubium vocemus; verum eorundem sumptibus editum negamus. Incidimus enim in literas quasdam Io. Oporini, celeberrimi basiliensis typographi et bibliopolae, die Palmarum (i. e. 25. Martii) eiusdem anni ad Calvinum datas, quibus ille libellum nos-

trum ipso curante e prelo exiisse auctori renunciat. Sed operaे pretium nobis facturi videmur si quae  
huc pertinent plenius referamus. Leguntur in Cod. Gothano 404. fol. 772. in autographo:

*Insigni theologo Dn. Ioanni Calvino sacrarum literarum professori Gebennis amico et fratri clarissimo suo.*

S. Nuper discedens curavi ut per Ludovicum nostrum libellos epistolares tuos a nobis excusos XII acciperes, plures etiam missurus perquam libertissime si plures habere cupias. Quin et ex reliquis libellis nostro prelo impressis, si quibus maxime vel oblectari te vel studia tua iuvari posse intelligam, mittam quos-cunque iusseris: Tanta enim est tua in nos benevolentia, quae nullo tamen nostro in te mutuo possit officio rependi facile. Quod reliquum est, si in excudendis tuis illis forte non respondimus per omnia exspectationi tuae, dabis veniam quam soles pro humanitate tua, et quam dedisti hactenus, quanquam sedulo dedimus operam tamen, ut quantum fieri posset emendate excuderentur, non semel super locis aliquot, in quibus forte nos non explicabamus, consulto et Grynaeo et Ludovico tuo. Neque in emendandi officio de negligentia aliqua nostra multum querebere [sic]. Cavimus enim id quoque ne erratorum nisi leviusculorum taedio gravius offendereris. Nam quod unum atque alterum forte irrepit facile ignoscet. Neque enim ullus unquam liber a quoquam est ita impressus emendate, ut non facile etiam inter imprimendum quaedam obreperent, quae omnia evitare impossibile sit pro ea qua hodie passim utimur excudendi ratione . . . .

Caetera alio loco excutiemus. Ex modo transcriptis patet ipsum Oporinum libri edendi patro-  
num fuisse, Platterum vero et Lasiū eius hypothetas. Verum his missis ad alteram editionem trans-  
imus multo elegantiorem, quae Genevae lucem vedit anno 1550. Typographus nomen suum non ad-  
scripsit, quem tamen Io. Crispinum fuisse suspicamur ē cuius officina plura calviniana opuscula eodem  
anno eademque forma separatim excusa prodierunt. Titulus est:

**IOANNIS CAL- | VINI, VERBI DEI, IN | Ecclesia Genevensi, fidelissimi ministri, | Epis-  
tolae duae, de rebus hoc seculo appri- | me cognitu necessariis, ante annos trede- | cim editae, nunc de-  
nuo castigatius impressae. | PRIOR, DE FUGIENDIS | impiorum illioitis sacris, et puritate Chri- | stia-  
nae religionis obseruanda. | ALTERA, DE CHRISTI- | ani hominis officio in sacerdotiis Papalis | Ecole-  
siae vel administrandis, vel abiiciendis. | GENEVAE. | M. D. L.**

Forma octonaria minor, vel si mavis minima. Quaterniones decem (A—K). Praefationem con-  
tinent pag. 3 et 4; epistolam primam pag. 5—87; secundam pag. 88—155. Sequuntur quatuor pa-  
ginae cum indice iam memorato. Finem faciunt effata duo biblica ad Ep. II. pertinentia de quibus supra  
dictum. Ultima pagina vacua. Typi romani belli et laudabiles. Exemplar nostrum fuit olim Georgii  
Veesenmeyeri professoris Ulmensis, studiis in historia ecclesiae reformatae literaria collocatis clarissimi.

Recusus est textus latinus in editione Gallasii 1552 pag. 41—93; apud Bezam 1576 pag. 656—  
696; porro 1597 pag. 547—583; in edit. Stoeriana exstat pag. 474—502; denique in Amstelodamensi  
pag. 409—434. Versio gallica separatim excusa non fuit. Habetur vero in collectione opusculorum a  
Beza instituta 1566 pag. 57—131, deinde apud Stoerium 1611 pag. 66—150.

Ne quid omittamus quod egregii libelli fata illustrare possit, non abs re erit hoc loco brevem ali-  
quam epistolam addere Leonis Iudae ad Calvinum, in qua ille de versione germanica a se condita refert.  
Legitur in Calvini epistolis a Beza editis anno 1575 pag. 22, in exemplari lausannensi pag. 41, in han-  
viensi pag. 46, in amstelodamensi pag. 12.

*Gratiam et vitae innocentiam a Deo patre per Christum.*

*Superioribus annis, vir doctissime, epistolas duas dedisti non tantum doctas, sed etiam valde utiles  
et necessarias, maxime praesenti rerum statu. Has ego ambas verti germanice ut et ii fructum harum per-*

ciperent qui latine ignorant. Altera quam ad episcopum scripsisti, Basileae excusa est mea opera: alteram noluerunt excudere typographi, metu periculi fortasse deterriti. Nam in hac liberrime et pro christiana παρθενίᾳ loqueris, quo pacto se gerant qui sub papae tyrannide vivere ac degere coguntur, damnans interim eos qui utroque genu claudicant, et non tam Deo quam papae servire volunt, putantes satis esse si fidem corde veram et inconcussam servent, etiamsi corpus sanguine Christi consecratum foris idolis prosternant et inclinent, consortes simul Satanae et Christi, si fieri posset. Hanc ergo receptam Zwickio misi Constantiensi, qui eam non sine gratulatione legit, rogans ut sibi per me liceret, ut Augustam eam epistolam mittat excudendam: se scire quendam qui eam typis mandare velit, modo autoris nomen (quod ego tuo bono in versione suppresseram) permittatur praefigi. Hic ego pro te nihil dicere potui, vel asserens vel negans: statui ergo expiscari literis tuam voluntatem eamque a te receptam Zwickio rescribere. Tu ergo, frater, si consultum reip. christiana velis et succursum multorum conscientiis, non negabis ut praefigatur nomen tuum, quum alia semel iacta sit. Non enim tē eum puto qui, ob declinandam invidiam aut periculum, tantum fructum impedire velis. Non dubito, si liber hic evulgetur, multos fore qui abiecto iugo pontificio et excusso metu in castra Christi libero spiritu sint advolaturi. Tu vale, doctissime vir, et mentem tuam hac in re mihi literis significa primo quoque tempore. Tiguri, ultima Februarii 1540.

*Leo Iudee tuus.*

Quid Calvinus ad haec proposita responderit nescimus. Neque enim in ipso Bezae thesauro, neque in archivis turicensibus aut genevensibus ullum eius negotii vestigium reperire potuimus. Ipse quoque libellus germanicus quem Leo Basileae excusum dicit hoc usque oculos nostros fugit, sive omnino perierit, sive alicubi lateat propter ἀνωνύμων neglectus. Porro etiam de altera epistola, quam Conradus Zwickius Augustae excudendam curare volebat, nihil certi habemus. Alia exstat versio ambarum recentior Io. Lenglini Argentoratensis Neoburgi ad Danubium edita anno 1557.

## CAPUT VI. CATECHISMUS PRIOR. (1536) 1538.

Hic tibi offerimus libellum, benevole lector, quem in collectionibus tractatum calvinianorum antehac editis frustra quaeres. Catechismum priorem dicimus, ratione habita alterius integro lustro ad minimum recentioris, quem eaedem omnes exhibent, et forma et fatis ab hoc antiquiore diversissimum. Liceat nobis externam rarissimi opusculi faciem paucis describere antequam de eius origine accuratius repetenda verba faciamus. Exemplaria habentur, quantum nos quidem rescivimus, in quinque tantum bibliothecis, Dresdae scilicet, Goettingae, Monachii, Regiomonti, Turici. Ex turicensi exemplari apographon sumendum curavimus quod typographo nostro traderemus. Titulus hic est:

CATECHIS- | MUS, SIVE CHRISTIA- | NAE RELIGIONIS INSTITV- | tio, communibus renatae nuper in Evan- | gelio Geneuensis Ecclesiae suffragiis re- | cepta et uulgari quidem prius idiomate, | nunc vero Latine etiam quo de FIDEI | illius synceritate passim aliis etiam Ec- | clesiis constet, in lucem edita. | IOANNE CALVINO AV- | TORE. | BASILEAE, ANNO | M D XXXVIII.

Forma libri est octonaria minor, quaterniones quinque, quorum primus (a) quindecim paginis non numeratis exhibet epistolam pastorum genevensium nomine scriptam, quatuor reliqui (A—D) sexaginta

*Calvini opera. Vol. V.*

F

et duabus paginis primo loco ipsum Catechismum (pag. 1—51) continent, tuis huic subiunctam antiquissimam Confessionem in quam cives genevenses omnes et qui sub reipublicae ditione agebant iurare iubebantur (pag. 52—62).

In folio ultimo recto leguntur haec: BASILEAE, IN OFFICINA ROBERTI WINTER, | ANNO M. D. XXXVIII. | Mense Martio. — In eodem folio verso conspicitur effigies Minervae galeatae hastataeque, miram quandam similitudinem referens illius quae in calce primae Institutionis latinae apparet, officinae Thomae Plateri et Balthasaris Lasii emblema (Prolegg. Opp. Calvinii Tom. I. pag. XXX). Si non ab iisdem typographis uterque liber excusus est, certe ex eadem officina prodit, iisdemque typis utriusque praefatio expressa est. Quod ipsius Plateri testimonium confirmat in autobiographia sua, a viro doctissimo Fechtero Basileensi edita, pag. 89 seqq. referentis, societate typographica quam circa annum 1535 cum tribus collegis, Lasio, Oporino et Wintero inierat, non ita longe post pactionem factam dissoluta, se omnem suam supellectilem Wintero tradidisse. Inde igitur illa Catechismi nostri cum Institutione prima in typis signisque conspicua necessitudo. Atque haec de externa libri forma dicta sufficient.

Restat ut de eiusdem editione principe nonnulla adiiciamus. Iam ex tituli tenore luce patet clarius, hunc Catechismum in usum scholae atque ecclesiae genevensis a Calvinio conscriptum, primum gallice proditum. Cui testimonio quanquam per se certissimo si duo alia addimus, minime actum acturi aut plane supervacaneum aliquid facturi nobis videmur, praesertim quum quae aliorum scriptorum affectemus loca de nostro hoc libello tractantium, de tempore nos certiores reddere possint quo gallica editio olim primum typis evulgata fuerit.

In vita Calvini gallice anno 1565 edita et vulgo Theodoro Bezae tributa sed ipso Beza teste Nicolao Colladonio tribuenda haec leguntur (b ij verso): *Et advint tout ceci l'an 1536 au commencement de Septembre: mais un peu apres il fut aussi esleu Pasteur. Estant ainsi declaré Pasteur et Docteur en ceste Eglise avec legitime election et approbation il dressa un brief formulaire de confession et de discipline, pour donner quelque forme à ceste Eglise nouvellement dressée. Il fit aussi un Catechisme, non pas celuy que nous avons aujourdhuy, composé par demandes et responses, mais un autre contenant seulement par briefs sommaires les principaux pointz de la religion. Et d'autant que luy et ses compagnons Ministres voyoyent que c'estoit un mespris des sacremens de recevoir les gens à la Cene, qu'on ne seust s'ilz avoyent renoncé aux idolatries, ils requirent les Magistrats de procurer que le peuple estant appellé par dixains iurast la confession de foy. Ce qui fut trouvé bon, et estant ordonné par le Conseil, le peuple y obéit aisement, comme luy-mesme l'a écrit en une Preface qu'il mit audict Catechisme, le faisant puis après imprimer en Latin à Basle l'an 1538 au mois de Mars. Haec ille.*

In vita Calvini latina quae re vera a Theodoro Beza anno 1575 conscripta est, ad annum 1536 ferine eadem in compendium redacta reperiuntur: *Tunc (post disputationem lausannensem cui interfuit Calvinus) edita est a Calvinio christiana doctrinae quaedam veluti formula, vixdum emergenti e papatus sorribus genevensi ecclesiae accommodata. Addidit etiam Catechismum, non illum in quaestiones et responsiones distributum quem nunc habemus, sed alium multo breviorem, praecipua religionis capita complexum. Ipse denique Calvinus in epistola ad Gynaicum Bernae scripta, post synodus die 14. Maii habitam anno 1537, inter alia haec dicit: Purgationem duntaxat quae p[re]e manibus erat obiecimus (accusationibus scilicet Petri Caroli) qua piis omnibus ac integris viris satisfieri abunde posset. Conscriptus enim aliquanto ante Catechismus a nobis fuerat, gallice etiam editus, ubi sub una Dei essentia caett. Legitur haec epistola a Beza edita ed. Genev. p. 362; Laus. p. 10; Amst. p. 227.*

Quibus ex testimonio haec, ni fallimur, tuto colligi possunt. Primo opusculum nostrum ab auctore sub finem anni 1536 vel initio sequentis gallice conscriptum editumque esse; deinde, additum esse

illud formulae eidam fidei et disciplinae quae, ut videtur, nunquam typis vulgata fuit; tertio, locum et officinam ubi in lucem prodiit iste libellus gallicus in ambiguo relinqu, Genevae tamen impressum maxime esse probabile. ~~Caeterum nullum~~, quod sciamus, ulla in bibliotheca publica exstat exemplar huius Catechismi gallici, puerorum nimirum manibus triti et lacerati, ut in hisce scholasticis pagellis fieri assolet, et posteriore eiusdem autoris catechismo in eius locum substituto, mox e manibus hominum pariter ac memoria elapsi. Neque magis reperiri potuit vestigium aliquod istius Formulae calviniana in usum ecclesiae genevensis conscriptae. Nullis enim solidis argumentis adprobari potest eam formulam eandem esse atque illam Confessionem, quae ab omnibus autoribus de rebus Genevatum ecclesiasticis accuratius tractantibus sub Farelli nomine laudatur, cuiusque rarissimum archetypum asservatur in bibliotheca V. Cl. Henrici Borderii, in villa eius prope Genevam sita, latina vero translatio huic ipsi nostro Catechismo verbotenus subiuncta legitur. Confessionis huius tenor et ratio ipsissimum Farellum denotant, quippe quae in universum ad vitae usum spectet et in locis christiana doctrinae definiendis neque theoreticam quam dicunt methodum sequatur, neque dialecticum Calvini ingenium redoleat. Christiana quidem est sed non theologica, quod sane foret si Calvinum autorem habuisset. Notemus etiam, quasi in transitu, hanc Farelli confessionem iussu senatus genevensis anno 1537 typis esse mandatam. Haec enim in actorum reipublicae commentariis leguntur (*Registres d'Estat* 27 April. 1537): *Faire imprimer et distribuer la Confession de Foy.*

Est igitur quod doleamus et quod doleant nobiscum lectores, primum illud gallicum Calvini scriptum plane, ut videtur, perisse, duraque nos adactos esse necessitate, latinam eius versionem, ab ipso quidem autore factam, versionem tamen, hoc in volumine exhibere. Cuius libelli latinitate donandi occasionem praebuit Petrus Caroli, Sorbonae parisiensis doctor atque prior. Qui in primis fuit eorum qui priorem doctrinam in Gallia professi sunt, homo caeteroquin ambitiosus, levius et varius, parumque sibi constans. Ex Gallia profugus venit Genevam et post multos ulysses errores, propter suam importunitatem potius quam propter dignitatem factus pastor lausannensis primum, deinde neocomensis ecclesiae, postremo ad suos rediit papistas. Is igitur inquis contra Farellum, Viretum et Calvinum sparsis rumoribus tandem eo usque prorupit ut palam illos viros, collegas et doctrina et moribus praestantissimos, haereseos accusaret, arianismi scilicet et sabellianismi aliarumque talium pravitatum. Nulla alia tunc publica existabant fidei ecclesiae genevensis monumenta, praeter illam quam diximus Confessionem et Calvini catechismum, quae tamen, utpote gallice conscripta, caeteris helveticis ecclesiis fere incognita erant. Calvinus itaque suum Catechismum et Farelli confessionem latine loquentes fecit ut omnibus istis fratribus fidei doctrinam a se huc usque Genevae traditam et falso haereseos accusatam hac versione declararet. Mense Martio anni 1538 eam publici iuris factam esse typographus ipse in calce libri indicat. Idem colliges ex praefatione secundi Catechismi a Calvino anno 1545 in latinam linguam translati. Hic inter alia, quae infra suo loco attingemus, haec habet: *Quum ante annos septem edita a me esset brevis religionis summa sub Catechismi nomine, verebar, nisi hoc in medio prolatu antevertarem, ne illa, quod nolebam, rursum excuderetur. Illos septem annos non ad gallicum archetypum sed ad latinum nostrum primum Catechismum spectare nihil est quod dubites. Simul ex iisdem Calvini verbis patet aliam primi Catechismi latini editionem, praeter illam principem, non exstitisse.*

Sed ecce Oporinum, clarissimum illum typographum, qui in eadem illa epistola, cuius iam supra (pag. XL) mentionem inieciimus, una sua voce, quae modo demonstrata et firmissime stabilita a nobis accepisti, in dubium revocare et tantum non evertere videtur. Habet enim ibi inter alia et haec: *De Catechismo tuo scias, mi Calvine, magnam esse exspectationem; quando eum recognitum denuo editurus sis. Cupiunt hoc plerique et exemplarium antea a nobis excusorum nullum nobis superest amplius, hic saltem Ba-*

F \*

sileae. Francofordiae autem vix quinquaginta adhuc habere nos puto. Ita feceris rem gratissimam et sacrae theologiae studiosis, si editionem aut recognitionem illam tuam matures, et nobis in primis, si in recudenda illa opera nostra uti non dederis. Iam tu memineris haec esse scripta d. 25. Martii anno 1537. Habes ergo quod te primo sane intuitu perplexum reddere possit, habes Catechismum Calvini latinum iam ante illum diem impressum, imo iam maxima ex parte venditione distractum, habes typographum alteram editionem eamque recognitam ab autore flagitantem. Quae omnia si de Catechismo nostro primo latino intelligere volueris, cum omnibus certissimis temporis rationibus expressisque documentis non solum non quadrant, sed etiam e diametro pugnant. Nulla enim alia anno 1536 prodiere Calvini scripta praeter Institutionem latinam, et Catechesin gallicam. Nam de Psychopannychia hic loqui non attinet. Atque ipsa est Institutio, si quid videmus, quam Oporinus innuit. Etenim difficultatis nodus, nostra saltem opinione, in solo Catechismi nomine residet. Iam raptim se scripsisse in fine literarum annotat ille, ut non licuerit relegere; voces igitur et termini premendi non sunt. Quid vetat nos presumere, illum festinante calamo Catechismum scripsisse, indigitasse vero Institutionem illam primam quam eo anno ipse cum socio Platero ediderat, quaeque vulgo et passim magis plebeio nomine designari poterat, eoque pro libri forma et ratione minime incommodo, quam quo autor ipse magis scholastico usus fuerat? Nihil ergo est quod in hac ab Oporino usurpata denominatione te moretur, tanquam huic maiori operi minus conveniente; nam prima illa Institutio, ut in Prolegomenis Tomi I. pag. XXXI monuimus, revera Catechismorum methodum in materiis disponendis sequitur, et exstabant etiam Lutheri, Buceri, Brentii catechismi modico illi calviniano libello vel magnitudine aequales, vel etiam eo ampliores. Adde quod temporum ratio et caetera quae attulimus testimonia hanc nodi solutionem et epistolae Oporini interpretationem non solum admittere sed etiam requirere videntur. Sic enim omnia bene quadrant optimeque inter se convenient. Caeterum si quis meliora probilaraque in medium protulerit, libenter nos eadem amplexuros ingenue profitemur.

De nostra hac nova editione pauca sunt quae hoc loco moneamus. In ipso Catechismo typis italicis sive cursivis quos dicunt expressa leges eas textus partes quas autor, nulla facta mutatione, ex Institutione sua descriptas huc transtulit. In calce Farelli Confessionem, paucis pagellis absolutam, quum in unica quae exstat Catechismi editione ipsa quoque exhibeat, a nostra abesse noluimus. Gallicum tamen archetypum addere supervacuum duximus, quod si quaesieris habebis apud Ruchat, histoire de la réformation de la Suisse. Ed. Vulliemin, T. IV. pag. 111 seqq. et Gaberel, histoire de l'Église de Genève, T. I. App. pag. 120 seqq., item in collectione illa opusculorum Farelli quae nuper (1865) cura et studio Iul. Guil. Fickii Genevae prodiit pag. 194 ss.

## CAPUT VII.

### RESPONSIO AD EPISTOLAM SADOLETI. 1539.

Eiecto Geneva cum amicis Calvinus, status rei publicae et ecclesiasticae in ea urbe talis fuit, ut pontificii non sine specie veri sperare possent fore ut cives turbarum taedio moti mox veterem fidei formulam apud se instaurarent. Itaque observata temporis occasione, destitutum pastoribus suis gregem facile se intercepturos arbitrati, coetu praelatorum Lugduni habito uni ex suis, Iacobo Sadoleto Cardinali officium commiserunt Genevenses ad redditum in communionem sedis romanae sollicitandi. Erat tum Sa-

doletus episcopus Carpentoractensis, magna eloquentia et literarum studiis clarus, nec minus a morum sanctitate laudatus, et ipse aliquo reformandae ecclesiae desiderio tactus augustinianaeque theologiae magis addictus quam romanae, sed cui schismata et novaturientium licentia multo maiora damna et pericula ecclesiae inferre videbantur quam quae illi vitia mendaque invidiosius oppugnabant. De quo viro sane nimis severe iudicavit Beza, quum diceret eum ingenii dotibus ad veritatis lucem opprimendam in primis abusum esse, nec aliam ob causam in cardinalium numerum adscitum, quam ut quos posset colores falsae religioni induceret. Quantumvis enim infirma decantet argumenta ex constanti unitate et veneranda antiquitate ecclesiae catholicae petita, quibus lectorum oculos et animos avertere conatur ab iis controversiis et criminationibus quas nostri maxime urgere solebant, non tamen est quod dubitemus, sincerum eum fuisse, et sibi persuasum habuisse fore ut omnia optime procederent ad maiorem Christi gloriam, si reformationis negotium episcoporum collegio permitteretur. Quidquid sit, mense Aprili anni 1539 edidit Sadoletus Epistolam ad Senatum populumque genevensem in qua illos suaviter et quasi paterno animo ad pristina sacra et ecclesiae romanae gremium revocat. Quae quum latino sermone conscripta fuerit, ad ipsam plebem adeoque plurimos civitatis moderatores vel omnino non pervenit, vel apud eosdem minoris ponderis fuit, digna tamen visa est doctioribus cui doce et fortiter responderetur. Atque has partes Calvinus ab amicis excitatus sibi sumpsit, suoque officio ita defunctus est ut egregium libellum, atque inter caeteros tractatus suos maxime conspicuum, non minus stili elegantia et luciditate quam disputationis vi et veritate invicta, intra paucos dies absolverit. Sic enim scribit ad Farellum in literis Argentorato Neocomum missis sine die et consule, quarum exemplar αὐτόγενος Genevae legimus, et in eo Farelli annotationem qua se mense Septembri eas accepisse testatur: *Epistolam Sadoleti attulerat hic Suleerus. De responsione non eram sollicitus, sed tandem me computulerunt amici. Nunc ea me totum distinet. Erit opus hexameron.* Ipsa vero disputatio Calendis Septembribus signata est.

Epistolae Sadoleti exstat in museo nostro exemplar Lugduni anno 1539 impressum et, nisi omnia nos fallunt, omnium antiquissimum, idque pro tempore unicum quod adhuc reperire nobis contigit in plurimis quas exploravimus bibliothecis. Quum Calvini responsum ei non additum sit, facile coniicimus illud a pontificiis atque ipsius cardinalis iussu excusum fuisse simul ac ab auctore exaratum fuerit. Itaque ad illud maxime textum nostrum conformare non dubitavimus. Titulus est:

IACOBI SA- | DOLETI ROMA- | NI CARDINA- | LIS | Epistola ad Senatum Populumque Geneuen- | sem, qua in obedientiam Romani Pontifi- | cis eos reducere conatur. (Emblema.) LVGDVNII APVD SEB. | GRYPHIVM, | 1539.

Emblema exhibet figuram gryphi cistam, quae videtur, sive lapidem vel aliam id genus molem forma παραλληλεπίπεδον ungue sublevantis, ex qua pendet globus alatus, epigraphe utrinque adscripta: VIRTUTE DVCE | COMITE FORTVNA. Forma libri quaternaria minor, plagulae quatuor (A—D), paginae numeratae triginta et una. Typi grandes et spectabiles. Subscriptio legitur seorsim posita haec: Carpenteracti XV. Calend. Aprilis, M. D. XXXIX. Quae tamen ad ipsam epistolam pertinet cuius diem natalem declarat, non vero typographi operam eo die finitam indicat.

Calvini responsio ipso curante et superintendente edita est Argentorati mense Septembri eiusdem anni, ut iam significavimus. Haec editio princeps cuius textum sequemur in recudendo libello, hunc habet titulum:

IACOBI | SADOLETI ROMA- | ni Cardinalis Epistola ad Sena- | tum populumque Geneuensem, qua in obe- | dientiam Romani Pontificis eos | reducere conatur. | Ioannis Caluini Re- | sponsio. | Argentorati per Vuendelinum | Rihelium. | Mense Septembri. | ANNO M. D. XXXIX.

Forma est octonaria minima, quaterniones sunt sex (A—F), folia (non paginae) numerata qua-

draginta et octo. Sadoleti epistola descripta est fol. 2—16, Calvini responsio fol. 17—48 recto. Paginam ultimam occupat Wendelini nostri Nemesis.

Paucis post mensibus nova utriusque libelli editio prodiit Genevae, dum Calvinus adhuc Argentorati degebat, in qua lectio frequenter mutata deprehenditur, ita quidem ut aliquoties emendatam esse fateamur, nonnunquam vero ut quo iure id factum sit merito quaeasieris. Titulus est:

**IACOBI | SADOLETI ROMA-|ni Cardinalis Epistola ad Se- | natum Populumque| Geneuensem: | Qua in obedientiam Romani Pon- | tificis eos reducere conatur: | ad exemplar ipsum Sa- | doleti recognita. | Ioannis Caluini Responsio. | GENEVAE | Apud Michaelem Syl- | uium. | M. D. XL.**

Forma eadem ac praecedentis. Typi utpote genevenses multo maiores et elegantiores, eius generis quod romanum vocant. Quaterniones octo integri et noni tria tantum folia (a—i) non quatuor; paginae numeratae 133. Incipit Calvini responsio pag. 45. Ultima pagina suo numero destituta exhibit subscriptionem: Genevae excudebat Michael Sylvius. 1540. Quod editor dicit de exemplari suo ad Sadoleti authenticum recognito, in eo egregie mentitur. Nam ne unum quidem locum reperimus in quo ab argentoratensi textu ad lugdunensem transierit; saepius vero ipse, ut iam diximus, ab utroque discrepat. Utramque editionem opusculi calviniani nos ipsi possidemus, quarum prior argentoratensis rariissima est, genevensis vero, nescimus an alicubi etiam reperiatur.

Recusa habetur Sadoleti epistola cum Calvini responso in collectione Gallasii 1552 pag. 94—129 tum apud Bezam 1576 pag. 161—187; Ed. 1597 pag. 132—155; apud Stoerium pag. 114—133, denique in editione Amstelodamensi pag. 99—115.

Versio gallica separatis prodiit iam anno 1540 Genevae, absente Calvino, verum ut videtur ante editionem latinam. Nam qui eam confecit textum argentoratensem presse sequutus est, ubicunque alter ab altero discedit. Et iam d. 27. Oct. 1539 Calvinus ad Farellum haec scribit quae in codice genevensi legimus: *Versionem epistolae meae ad Sadoletum non potui ad finem usque conferre. Integrum enim diem requirebat labor ille. Inspexi tamen ut gustu habito iudicium aliquod facere possem. Non displicet; nolle tamen ante publicari quam correcta fuerit. Deprehendi enim alicubi erratum esse. Vereor tamen ne si morietur Antonius, Pignaeus anteveritat, qui iam forte ad umbilicum usque perduxit. Non enim tertiam partem in componendo eius temporis consumpsi, quod praeferri ex quo scripsit se incepisse. Ex his patet duas versiones simul praeparatas fuisse, alteram a Pignaeo, alteram ab Antonio quodam, an Sonnerio, nescimus. Utra vero re vera edita sit et hic existet, mortalium nemo hodie dixerit. Unicum exemplar in quod huc usque incidimus nostrum est, cuius titulus sic habet:*

**EPISTRE | DE IAQVES SADO-|LET CARDINAL, EN- | uoyée au Senat et Peuple de Geneue: | Par laquelle il tasche lés reduire | soubz la puissance de l'E- | uesque de Romme. | Auec la Response de Iehan Caluin: | translatées de Latin en Françoy. | Imprimé a Geneue par Michel du Bois. | M. D. XL.**

Forma octonaria minor. Quaterniones novem et quinternio unus (a—k). Paginae numeratae 161. Sadoleti epistola legitur pag. 3—48. Calvini responsio incipit pag. 49. In fine legitur: *Imprimé à Geneve par Michel du Boys le VI. de Mars, M. D. XL. Folium ultimum in albis. Eadem versio recusa est in corpore Opusculorum gallico 1566 pag. 131—175 et 1611 pag. 149—200.*

## CAPUT VIII.

### EPINICION. 1541.

Carmen hoc elegiacum, Christi gloriam propheticō quasi spiritu celebrans, unicum Calvini nostri scriptum est quod unquam ligato sermone suo nomine inscriptum edidit. Neque edidisset, nisi insulsae et malevolae pontificiorum quorundam invectivae vix amicis cognitum extorsissent invito. Ipse enim narrat in praefatiuncula huic opellae postea praemissa se olim quum Wormatiae esset, ab Argentoratensibus ad comitia ibidem habenda missus, breve hoc carmen composuisse, idque paucis familiaribus legendum dedisse. Qui apographis tribus aut quatuor factis id latius manare voluerunt, dum autor ipse inter suas chartas neglectum et sepultum arbitrabatur. Iam post plures elapsos annos rescivit per mercatores ex lugdunensibus nundinis reversos, curiam tolosanam, suadente monacho quodam inquisitore, carmen illud, quamvis nunquam impressum, in catalogum librorum damnatorum retulisse. Cuius rei rumor quum Genevam pervasisset, et plurimi ab autore, quisnam et qualis esset iste libellus, quaererent, maluit statim edere, non solum ut bonos viros quaerendi molestia et semetipsum respondendi sublevaret, sed etiam ut adversarios commonefaceret quid proficiant ipsi insana sua importunitate, de industria quasi in lucem protrahentes quae alioqui latuissent.

Bis separatim impressum est hoc Epinicion. Editionis principis duo tantum exemplaria aetatem tulisse videntur, alterum Bernae, alterum Basileae asservatum. Hoc posterius humanissime nobis conferendum transmisit Vir Clar. F. D. Gerlach, bibliothecae basileensis praefectus. Ecce eius titulum:

**EPINICION.** | **CHRISTO CANTA-**|tum ab Ioanne Caluino, | Calendis Ianuarii, | anno. 1541. | (*Emblema gradissi flammati cum duabus manibus.*) **GENEVAE** | Per Ioannem Girardum | 1544.

Folio tituli verso legitur Calvini praefatio ad lectorem. Carmen ipsum sexaginta et uno distichis constans (quorum ultimum tamen a caeteris exiguo spatio separatum carminis quasi subscriptionem sive coronidem dixeris) quinque paginas obtinet, non numeratas. Ultima est vacua, forma opusculi quaternaria minor.

Alterius editionis, quae bilinguis est, titulum ex unico exemplari guelferbytano describimus:

**CHANT DE VICTOIRE, CHANTE** | a Jesus Christ en vers Latins par M. Iehan Caluin, l'an | **M. D. XLI,** le premier iour de Ianuier, a la diete qui | pour lors se tenoit a Wormes. | **NOVVEL-**  
**LLEMENT TRADVIT EN** | rithme Françoise, en vers Alexandrins, par Conrad | Badius, de Paris: et  
imprimé par iceluy. (*Emblema.*) **M. D. LV.**

Emblema quod maiorem partem paginae occupat repreäsentat PRELVM | ASCENSIANVM sive ipsius translatoris et typographi celeberrimi Badii Ascensii officinam cum adagio supra et infra adscripto: *Homme mortel (tant que vivant seras)* | *En ta sueur le pain tu mangeras. Genes. III.* — Officinae effigies ornamenti architectonicis circumdata est. Forma libri quaternaria paulo maior quam praecedentis editionis. Octo sunt folia (a i—iiii, b i—iiii) sedecim paginae numeratae. Primo loco venit versio gallica versibus iam-bicis alexandrinis centum nonaginta sex concepta, quibus subiunguntur quatuor alii etiam forma metrica diversi (QVATRIN.) qui ultimum illud distichon de quo supra diximus repreäsentant. Pagina 11—16 sequitur latinum archetypon.

Praefatio Badii quae folio tituli verso legitur omnino digna est quae hac occasione data recolatur et lectu iucundissima:

*Conrad Badius à Theodore de Besee son bon seigneur et ami.*

*Il me souvient qu'estant ieune escholier à Basle, sous la discipline de M. Simon Gryneus, (homme duquel on pouvoit beaucoup esperer, s'il eust vescu) ie fu par luy mené à Wormes, à la diete qui se tenoit là, et qu'en faveur de luy ie fu receu au logis où les Docteurs protestans, envoyez par messieurs de Strasbourg, estoient logez, et entre autres M. Iehan Calvin. Or pource que les grenouilles là assemblees, ou plutost crapaux, de la part du Pape, pour troubler par leur cri confus et importun le repos de l'Eglise, se trouverent si estonnes et esperdus de la seule presence des serviteurs de Jesus Christ, qu'ils n'osèrent iamais lever la teste pour sonner mot, plusieurs bons personnages, et singulierement M. Philippe Melanchthon, et M. Iehan Calvin, voyans que Jesus leur Maistre avoit sans coup ferir, rabbaissé l'orgueil de ses adversaires, se meirent à composer plusieurs vers à sa louange. Quant à ceux de Melanchthon, combien ie les eusse diligemment transcrits, ie confesse que ie n'ay été si songneux de les garder, comme ie devoye, tellement qu'ils m'ont été pris, ou empruntez à iamais rendre. Quant à ce Cantique de M. Iehan Calvin (nostre fidele Pasteur) vous avez leu la iuste occasion qu'il eut de le faire imprimer, il y a ia long temps: et pource que ceux de ceste Eglise qui n'entendent Latin, avoyent affection de scavoir ce qui y est contenu, ces iours-ci que nos presses estoient de repos, ie me suis mis à le traduire. Ainsi, d'autant que ie tien en partie de vous ce peu d'industrie que Dieu m'a donné à composer des vers François, ie seroye ingrat (ce me semble) si ie ne vous en faisoye quelque recognoissance. Parquoy j'ay bien voulu que ce mien petit apprentissage sortist en lumiere sous vostre nom, esperant qu'il sera bien recueilli à vostre aveu, et de celuy qui en est le principal auteur: apres lequel j'ay marché comme à clochepied, tant pource que nostre Langue ne fait que seconder la Latine en propriété et grace de bien dire, que pource qu'il me surpasse en doctrine et eloquence d'une distance par trop longue. Mais quoy que ce soit, il vaut mieux peu que rien: et si ie ne puis plaire aux scavans, il me suffit de proufiter aux ignorans, et que mon petit labeur ne soit du tout inutile: ce qu'il ne sera aussi, Dieu aidant: car encores qu'il ne fust bien receu d'homme qui vive, que de vous et de l'auteur premier, ie n'estimeroye avoir perdu ma peine, ayant de si bons et suffisans gwarens et approbateurs d'icelle. Adieu.*

Idem in fine lectoribus paucis declarat qua de causa utrumque textum recudi iusserit, et quidem ita ut latinum gallicus praecedat; illud nimirum se fecisse ait ut suam versionem cum archetypo facile qui voluerit conferre posset, hoc vero ne, qui latine nescirent, prima libelli facie a lectione deterrerentur. Cogitavimus olim de toto opusculo corpori nostro calviniano inserendo, utpote rariore et in suo genere laudabili. Sed misso hoc consilio satis habemus speciminis loco finem carminis apponere, qui duodecim ultimis distichis respondet, v. 157 seqq.

*Or sus donc conduisons en triomphe ce Roy,  
Monté dessus son char en triomphant arroy,  
Et de beau laurier verd donnons luy la couronne,  
Qui son chef precieux noblement environne.  
Et tous ses ennemis qui luy ont fait la guerre  
Aillent apres captifs, baissans le chef en terre.  
Cest yvrongne Eckius marche apres garrotté,  
Et que son vilain dos soit vivement fouetté.  
Apres luy Cochleus, vermine miserable,  
Viene soumettre au ioug son long col indontable:  
Mais qu'il n'y viene pas avant qu'avoir receu  
Un front modeste et doux ce que iamais n'a eu.*

*Nausea, ce bavard, qui a rempli le monde  
 De livres ennuyeux, sans sçavoir ne faconde,  
 Plus muet qu'un poisson viene bailler le col  
 Comme esclave et vaincu, pour porter le licol.  
 Et ce hibou puant, avec sa laide trongne,  
 Qui s'est long temps caché sous le nom de Cicongne,  
 S'appelant Pelargus, viene sans plus attendre  
 Ouvre son bec crochu pour le rude mors prendre.  
 Non que ces quatre-ci surpassent en sçavoir,  
 Ou que pardessus tous ils ayent du pouvoir:  
 Ains c'est pource qu'yci ceste infame prestraille  
 Les a establis ducs et chefs de la bataille.  
 Parquoy vous tous rasez, qui suyvez la cohorte  
 De ce monstre infernal qui trois couronnes porte,  
 Venez tous quant et luy, voire toute la bande,  
 Comme esclaves de Christ, et qu'hommage on luy rende.  
 Vous renars cautelous, vous lions d'orgueil pleins,  
 Qui les gosiers avez de sang innocent teints.  
 Vous aussi chiens mastins qui ne cessez de mordre,  
 Venez petis et grans un chacun en son ordre:  
 Apprenez desormais à porter le chordeau  
 Dessous Christ, nostre Roy, et du ioug le fardeau.  
 Mais vous gentils esprits, poetes venerables,  
 Qui sçavez faire vers doctes et delectables,  
 Chantez le los, chantez, du triomphe de Christ,  
 Et ses excellens faits redigez par escrit:  
 Car son petit troupeau de celebriter s'efforce  
 En hymnes et chansons la grandeur de sa force.*

Legitur hoc Epinicion apud Gallasium p. 148—151; apud Bezam 1576 pag. 15—17; Ed. 1597  
 pag. 13. 14; Ed. 1611 pag. 11. 12; in editione denique amstelodamensi pag. 9. 10. Versio Badii in edi-  
 tione priore gallica opusculorum 1566 pag. 195—200; in posteriore 1611 pag. 221—226.

## CAPUT IX.

## TRAITÉ DE LA SAINTE CÈNE. 1541.

Pluribus iam vicibus Calvinus publice de Coena Domini sententiam suam declaraverat, tam in  
 ultraque Institutionis editione (1536 et 1539), quam in Catechismo. Ingravescente tamen de hoc sacra-  
 mento controversia inter Lutheranos et Zwingianos, et plebeios etiam animos in dies magis exagitante,  
 non abs re fore existimavit si libello singulari Gallis suis, vernaculo ipsorum sermone usus, placide si-  
 mul et lucide medium illam viam ostenderet, quam dudum sequendam commendare solebat, quaque in-  
*Calvini opera. Vol. V.*

cedentes, ipsa scriptura sacra duce terti Christi vestigia lecturi erant. Itaque anno 1540, dum Argentorati degebatur, primum hunc tractatum gallice conscriptum praeparavit, qui, quod facile conieceris, plurifariam cum eiusdem argumenti capite in Institutione conspirat, nusquam tamen, quantum nos quidem vidimus, simpliciter inde descriptus est, sed potius ad captum lectorum minus doctorum conformatus videtur. Novum igitur opus merito habetur semperque habitum est, ita ut mox etiam a Gallasio in lati-  
nam linguam conversum sit, quod sane non factum esset si ipsum ex latino Institutionis archetypo ex-  
cerptum tantum fuisse. Plura dabunt Henry l. c. I. 261 seqq.; Staehelin l. c. 209 seqq.

*lost  
Harvard  
now has a  
copy (1982)*

*Primam editionem Senebierius quidem dicit notam anni 1540 p[re]ae se ferre. Quod, dum meliora edoceamus, dubium habemus quippe qui nusquam terrarum talem viderimus. Nobis princeps est Genevensis anni 1541 cuius unicum, quod adhuc extare videtur, exemplar possidet Bibliotheca Zofingensis. Quod si mireris libellum Genevae potius quam Argentorati primum typis mandatum fuisse, haec nullo negotio solvetur obiectio. In hac enim nostra urbe tum temporis vix typographum aliquem autor repe-  
rire poterat cuius officina characteribus gallico scribendi mori accommodatis instructa fuerit, vel etiam qui sumptus facere voluerit pro libello peregrinis maxime lectoribus destinato, popularibus vero suis fere inutili. Exemplar Zofingense humanissime nobis ad tempus concessum est, ita ut ad illud textum nos-  
trum accuratissime conformare potuerimus, qua de re maximas grates Viro doctissimo et meritissimo,  
illius bibliothecae praefecto, C. Frickart et habemus et publice persolvere cupimus. Ecce titulum:*

**PETIT | TRAICTE DE LA | SAINCTE CENE DE NO- | stre Seigneur Jesus Christ. |**  
**Auquel est demontré la vraye institu- | tion, profit et vtilité d'icelle: Ensem- | ble la cause pourquoy**  
**plusieurs | des Modernes semblent en auoir | escrit diversement. | Par M. Iean Caluin. |**  
**IMPRIME | a Geneue, par Michel Du bois. | M. D. XLI.**

Forma libelli octonaria est minima, quaterniones sunt quatuor cum parte quinti (a—e), paginae numeratae 73. In fine legitur: **IMPRIME A GENEVE PAR MICHEL DV BOIS. M. D. XLI.** Folio primo verso inscriptum est carmen acrostichon hoc:

*L'imprimeur aux lecteurs.*

*Dizain.*

**I**eunes et vieux si vous voulez apprendre  
**E**ntierement où gist nostre salut,  
**A**vec douceur ie vous supply d'entendre,  
**N**e vous troublant par erreur dissolut:  
**C
**A**pres avoir avec les siens souppé,  
**L**leur remonstrant que l'esprit occupé  
**V**eult, et ne peut les faictz de Dieu scávoir:  
**I**l nous fault doncq (tout desir extirpé)  
**N**ous rendre à lui pour ce bien percevoir.**

Editio altera anno proximo prodiit non indicato loco neque typographi nomine, sed citra dubium Genevae, quod ex typorum forma, qui iam minores et nitidores sunt quam in superiore editione, cuivis facile patebit. Titulum habet talem:

**PETIT | TRAICTE DE LA | SAINCTE CENE DE | nostre Seigneur Jesus Christ. |**  
**Auquel est demontré la vraye institu- | tion, profit et vtilité d'icelle: Ensem- | ble, la cause pourquoy plusieurs |**  
**des Modernes semblent en auoir es | crit diuercement. | M. D. XLII.**

Forma etiam paulo minor quam praecedentis. Quaterniones quatuor cum dimidio (a—e), paginæ numeratae 70. Folium ultimum vacuum, subscriptio nulla. Adest quoque Acrostichon. Unicum exemplar reperimus in bibliotheca ducali Gothana, cuius praefecti illud cum aliis *κειμηλίοις* humanissime nobiscum communicarunt, quibus etiam ob multo insigniora favoris testimonia posthac laudanda obstrictissimos nos profitemur.

In catalogo Musei Britannici mentio fit *tertiae* editionis anno 1545 evulgatae, de qua, quum alibi in eandem non inciderimus, quod dicamus non habemus.

Ad manus est exemplar rarissimae *quartae* editionis quod cum pluribus aliis libellis calvinianis Guelferbyto nobis missum est. Titulus fere idem est ac secundae:

**PETIT | TRAICTE DE LA | SAINCTE CENE DE | nostre Seigneur Iesus Christ. Auquel est demonstrée la vraye institution profit et utilité d'icelle. Ensemble la cause pourquoi plusieurs des Modernes semblent en auoir escrit | diversement. | (Emblema.) | 1549.**

Forma minima, quaterniones quatuor cum dimidio (A—E), paginæ numeratae 70, ultimum folium vacuum. Typi pusilli sed nitidi. Nomen typographi tacetur. Emblema est palma qualem accuratius descripsimus Tomo III. pag. XL. et supra Tomo V. pag. X., sed cum epigraphe: PRESSA VALENTIOR. Adest quoque carmen acrostichon. Habet haec hinc inde variantes lectiones quas suo loco annotabimus.

Textus gallicus tractatus de Coena legitur in editione Bezana pag. 175—195; in Stoeriana p. 199—222, et Gosseliniana pag. 181—210.

Latine eundem vertit Calvini collega Nic. des Gallars anno 1545. Quae versio semel tantum separatim excusa fuisse videtur, postea latinis tractatum corporibus omnibus inserta: 1552 pag. 129—147; 1576 pag. 1—14; 1597 pag. 1—13; 1611 pag. 1—11; 1671 pag. 1—9. Editionis principis exemplar unicum ex bibliotheca regia Stuttgardiana nobiscum humanissime communicatum contulimus, cuius titulus hic est:

**LIBELLVS | DE COENA DOMINI, | A IOANNE CALVINO | pridem Gallica lingua scriptus. | Nunc vero in Latinum sermonem conuersus. | (Emblema.) GENEVAE | PER IO. GIRARDVM. | 1545.**

Forma est octonaria minor. Quaterniones sunt quatuor cum dimidio (A—E), paginæ numeratae 71, ultima vacua. Emblema est Girardi gladius flammeus cum sua epigraphe notissima, cuius tamen forma cum nulla earum convenit quas plures iam in variis libris adhibitas descripsimus. Gladium una tenet manus, adagium sic depositum legitur: NON VENI PACEM | MITTERE IN TER|RAM, SED GLADIVM. Textus exhibetur pag. 7—71. Titulum sequitur pag. 3—5 Gallasii praefatio qua hoc loco inserta rem non inutilem facturos nos confidimus. Observandum tamen praefationis et versionis autorem nomen suum modo plane singulari in editione principe expressisse, scilicet: N. Lasius.

### Nicolaus Gallasius piis lectoribus S.

*Libellum hunc pietatis et doctrinae plenum ante annos quinque Calvinus scripsit vulgari sermone, nude et sine ullo apparatu, venuste tamen ac perspicue, ordine etiam adhibito et certa docendi ratione quibus in scriptis suis uti solet. Cupiebat enim nostris hominibus ac praecipue illiteratis subvenire, quorum animus ob controversias illas, quae inter magnos viros agitatae erant, ita aestuabat dubitatione, ut quid potissimum sequerentur ignorantem. Quo quidem ita nobis profuit ut non tantum imperiti ac rudes, sed etiam docti quam plurimi magnam se ex eo utilitatem adeptos esse fateantur. Permulti enim qui adhuc vagabantur incerti, hoc perfecto libello ita conquiererunt, ut positis contentionibus veritatem Dei agnoscerent et amplecterentur. Docet enim pie quis sit sacramentorum usus, quantum eis tribuendum, tum in quo offenderunt ii qui plus aequo ipsis tribuere, qui item detrahere voluerunt. Itaque quum viderem hunc libellum etiam literatis usui esse posse, ac plerosque non vulgares viros, quibus nullus linguae nostrae usus est, latine scriptum desiderare, me*

G\*

*non inutiliter operam collocaturum existimavi, si eorum desiderio satisfacere conarer, atque efficerem ut quod nobis seorsim videbatur scriptum caeteris etiam communicaretur. Nostrum enim est curare ac studere ut veritas magis ac magis elucescat. In quo dum operam impendo meam, bonis omnibus gratum me facturum confido. Quod si nonnullis haec minus ornata videbuntur, cogitare debebunt me non in eo studuisse ut orationis ornamenta conquerirerem, sed ut fideliter redderem, et scriptorem ipsum imitarer qui populariter haec scribens etiam rudioribus sese accommodavit. Quare pios lectores rogatos ve' im ut rem ipsam et sententiam magis quam verba attendant. Simul hoc maiorem in modum peto atque obsecro ut puro ac sincero veritatis studio ducti omnia legant attentius, ne praeiudicata opinio eos verum cernere non sinat, ut id tandem quod studiose inquirunt assequantur. Valete. Cal. Ianuar. MDXLV.*

## CAPUT X.

## EUSEBII PAMPHILI EXPLICATIO CONSILII PAULI III. PONTIFICIS ROMANI PRO LUTHERANIS DATI CAROLO V. IMPERATORI. 1541.

Ecce iam alterum libellum ab omnibus tractatum calvinianorum collectionibus exsulanter, suo autem inter caeteros loco minime indignum. Cui *ψευδωρυμα* causa fuisse videtur, fortasse etiam extranea origo, quo minus a genevensibus editoribus, Gallasio et Beza, argentoratensium Calvini studiorum et laborum minus bene gñaris, reliquis opusculis adiungeretur. Ipsi nos, fatemur, casu potius quam de industria quaerentes in illum incidimus. Exstat enim in omnibus Operum Calvini editionibus scriptum aliquod polemicum cui titulus est: *Admonitio Pauli III. P. R. ad Carolum Caesarem caett.* Quod quum diserte ad annum 1544 referatur, mirati sumus in catalogo bibliothecae Ienensis exemplar recenseri, quod anni 1540 notam prae se ferre diceretur. Igitur omni diligentia facta illud nobiscum communicandum petivimus et mox accepimus ex autoritate supremi vinariensis gubernii praesulis L. B. de Watzdorf concessum, cui summo viro publice hoc loco debitas gratias persolvere volumus. Inspecto et accuratius examinato libello illo ienensi mox pro certo et indubitato habuimus eum omnino alium esse quam qui vulgo eodem nomine venire solet, et re vera calvinianum ingenium spirare, tam ex sermonis vivida et eleganti facundia agnoscendum, quam in acerrimo fervidoque disputationis impetu conspicuum. Mox etiam, quae ex lectione nobis nata suspicio erat, eam luculentissimo et certissimo historiae testimonio confirmari vidimus. Sed ante omnia ipsum libellum, cuius an alia alicubi exemplaria extant nescimus, pluribus describemus. Titulus est:

**CONSILLI-| VM ADMODVM PA-| TERNVM PAVLI III. PONTI|ficiis Romani, datum Imperatori  
in | Belgis, per Cardinalem farnesium | Pontificis nepotem, pro | Lutheranis. | Anno. | 1540 | . Et  
EVSEBII PAMPHILI EIVSDEM | consilii pia et salutaris | explicatio.**

Forma octonaria minor, quaterniones sex cum dimidio (A — G), folia 51, nulli foliorum aut paginarum numeri. Folium secundum exhibit praefationem quae dicitur Epistola. Sequitur ipse textus dupli typorum genere expressus, ita ut maiore charactere romano Pontificis consilium per breves, imo passim brevissimas, et quoad ipsam phraseos syntaxin disruptas textus partes, minore autem italicico sive cursivo ad singulas pertinens refutatio alternis vicibus descriptae veniant. In fine legitur: *Datum Bethuliae Iudeae Anno 1541 Mense Martio. Typographus vero subscrispsit: IMPRESSVM PER IOHANNEM|*

*selotem Nicopoli Pamphiliae.* Iam quis sub hoc Ioannis Zelotae nomine lateat, nullo temporis momento nobis dubium fuit, qui primo statim obtutu Wendelini nostri Rihelii typos et scripturae compendia, nobis quam maxime familiariter cognita, deprehendimus.

Age vero, quod curiosius exspectabis, autorem Calvinum tibi demonstremus oportet. Hunc nobis commendabit amicorum ipsius non infimo loco clarus Ioannes Sleidanus, historiographorum illius aetatis celeberrimus, eoque ipso anno 1540 Argentorati degens, quotidiana fere consuetudine Calvino proximus. Is in suis de statu religionis et rei publicae Carolo Quinto Caesare commentariis libro XIII. ad a. 1540. (Edit. Francof. 1786. T. II. p. 181 seqq.) haec habet, quae quamvis paulo fusius exposita, integra tamen hic apponere operaे pretium erit:

*De cardinali Farnesio supra diximus. Is Lutetia Parisiorum projectus cum Caesare fuit in Belgium, adolescentiae vix egressus annos; et Caesarem indigne tulisse ferunt, quod non aliquem aetate consilioque gravem pontifex misisset. Quum igitur de religione, deque bello turcico incidisset deliberatio, et Granvellanus verba fecisset, Farnesius tandem, praesente Caesare atque Ferdinando rege, sententiam dicit, pontificem valde cupere pacem et concessionem Germaniae, sed talem quae Deo sit non ingrata, cupere etiam ut omne robur expediatur in Turcam: sed ad religionem et protestantes quod attinet, non semel cum illis actum esse de concordia, praesertim in Augustae comitiis, et exhibitam ab illis tum fuisse doctrinae suae confessionem: quod sane scriptum, licet multos habeat errores, ab ipsis tamen interea sit violatum; itaque quum nihil certi sequantur atque statuant, et sint tanquam anguillae lubricae, nihil cum ipsis agendum esse praeterea. Superiori etiam anno regem, hortatu Brandenburgici principis, alteram instituisse cum ipsis actionem, sed in ipso limine, quod dici solet, illos impegitte, nec obscure demonstrasse, quam sint animo a concordia prorsus alieno. Quum enim ab officio semel et a disciplina recesserint, eo nunc esse progressos, ut pontificem non emendatum, sed extinctum, et vitia non sublata, sed ipsam apostolicam sedem velint extirpatam, ut omnis inde iurisdictio corruat ecclesiastica. Quumque id ausi fuerint ante annum proximum, Europae statu paulo tranquilliori, quid nunc credibile sit eos facturos, pace nondum constituta cum Galliae rege, et Turca rursum imminentे Pannoniis? Nimirum in hac temporum calamitate multo futuros esse proteriores. Nec esse quod pudenter ab instituto posse dimoveri: nec enim pauca quaedam in controversiam venire, sed de plurimis dogmatis disceptari. Deinde prope incertum esse, cuiusmodi sit ineunda concordia, quum inter se dissideant ipsi: nam aliam esse Lutheri, aliam Zwinglii doctrinam, ne quid interim de reliquis dicatur sectis: et ut concordiae spes aliqua sit, illos tamen non esse parituros ecclesiae romanae, nisi multa ipsis invicem permittantur, nimirum integra coenae Domini perceptio, coniugium sacerdotum et id genus alia: quae quidem sine publico decreto non sint immutanda. Iam si quis dicat, haec illis otii communis et tranquillitatis causa concedi et consensum post impetrari posse vel summi pontificis vel etiam concilii, non male quidem istud dici, sed fore ut illi mox eam facultatem arripiant, non exspectata confirmatione publica. Quod si fiat, omnem eos esse projecturos concilii curam, qua quidem ex re magna sit oritura divisio per orbem christianum, quando videbitur a Germaniae ritibus Gallia et Hispania et Italia et reliquae provinciae plane dissidebunt. Quod si deinde concilium forte mutationem factum et ad tempus concessum improbet et contrarium quoque statuat, nullam fore spem amplius in viam revocandae Germaniae suis in opinionibus iam confirmatae, et periculum esse ne protestantes, quod unum in primis moliantur, reliquos etiam ordines ad defectionem impellant. Caesarem ipsum non ignorare, quemadmodum anteactis annis illi de cogendo concilio decretum fecerint in imperii comitiis, autoritate sua quadam, ipso non consulto. Ne quid ergo simile posthac fiat, esse providendum. Haec autem ideo sese referre, quo videant uterque quid sperandum sit ex privatis illis actionibus et colloquiis. De pace cum illis actum esse Schuinfurti, et post Noribergae fuisse pactas inducias, constituta poena: sed illos, non habita ratione tanti beneficii, violasse pacta suumque foedus auxisse novis multarum civitatum atque prin-*

cipum accessionibus in primis autem Daniae regis et Wirtembergici, multisque in locis formam religionis immutasse, praeter fidem et iusiurandum. Facile igitur apparere quae sit reliqua spes de illis, qui variis rationibus, et partim gratia, partim vi, sua in castra homines traducant. Deferbuisse enim, et plane tepefactam esse religionem, et homines alioquin in hoc esse proclives, ut severiori deserta disciplina sese tradant molliori magisque liberae. Sed ne his quidem finibus illos contineri, neque satis illis esse, quod homines in errorem abducant, nisi etiam sacra diripient, episcopos eiificant, et religionem omnem profanent, et impune quidem: imo nunc eo licentiae esse progressos, ut etiam integerrimum camerae iudicium subvertant, quo nimurum eo sublato Caesaris in Germania ruat autoritas, et ipsi nullo prohibente in omnium facultates atque vitam pro sua libidine grassari possint. Ex privatis igitur illis actionibus nullam esse sperandam aut firmam aut diuturnam pacem, et si qua forte fiat, non dubium esse quin ea dignitatem omnem sedis apostolicae et politiam ecclesiasticam enervet. Posse quidem alia multa referri hoc loco, sed ea se brevitatis causa praetermittere: nunc autem esse proximum, ut quomodo salva religione sit bello turcico providendum investigetur. Commodissimam esse quidem rationem, si protestantes simul et reliqui ordines auxilia contribuant; sed quoniam id obtineri forte non possit nisi pacata religione, et vero tractatio religionis non ad singulares conventus, verum ad concilium publicum pertineat, recte futurum, si concilium habeatur primo quoque tempore, et ad illud causa tota religionis reiiciatur: sic enim fore ut et reliquis omnibus satisfiat et protestantibus inferatur metus atque terror, qui quum serio rem agi videbunt, multo futuri sint obsequientiores magisque tractabiles, quod ad sanitatem sibi revertendum esse, et id nunc agi videant, ne diutius in Germania tolerentur haereses. Etenim quum ad omnes homines in universum religio christiana pertineat, nihil in ea mutandum aut emendandum esse, nisi de communi omnium consilio: nec ad unam modo Germaniam, sed ad Galliam et Hispaniam et Italiam et reliquos etiam populos respiciendum esse. Nam si quid his inconsultis in Germania mutetur, futurum ut id in plurimorum cadat reprehensionem, et perniciosum praebeat exemplum: monstri quoque simile futurum, si quidem ecclesiae membra non omnino respondeant suo corpori. Vestustum etiam esse morem et inde ab apostolis memoriae proditum, ut autoritate concilii controversiac omnes finiantur. Et quoniam omnes pii continuis precibus atque votis concilium expetant, nuper etiam Poloniae rex Sigismundus ea de re missis legato pontificem interpellari, fore non difficile illud inchoare, praesertim quum ipsi quoque nuper initio foedere per iusiurandum promiserint, operam se datus omnem ut concilium habeatur. Ipsum videlicet tempus hoc esse cumprimis opportunum, quando cum Galliae rege sit actio de pace, et mutuae benevolentiae non unum signum appareat, et ipsorum ditionis episopis hac ratione tuto liceat eo proficisci. Deinde pertinere hoc etiam ad ipsorum tranquillitatem animi, si cuncta referantur ad concilium, neque privatis actionibus decreta fiant, quibus offendatur Deus: sic enim nullam ipsis praestandam esse culpam. Ad haec utile quoque futurum ipsis, quandoquidem in concilium omni reiecta cura, caeteris rebus quae videbuntur libere vacare poterunt, et foedus interim amplificare. Quod eo conductet ut protestantes aut decreto concilii se submittant, aut a confoederatis catholicis ad officium adducantur. Et haec quidem hactenus. Iam ad Turcam quod attinet, hortari se cumprimis et orare, quod antea quoque saepe fecerit, ut pax fiat cum Galliae rege: nam eam pacem esse reipublicae christiana salutarem, et nisi coeat, dubium esse an potentiae Turcarum resisti possit. Quanta vero sint eius pacis commoda, non semel antea se demonstrasse, nec opus esse nunc illa repetere. Caeteros etiam ordines imperii de auxiliis interea posse sollicitari, et si quidem aucto foedere et inchoato concilio protestantibus persuaderi posset, idonea praestita cautione, ut ad concilium veniant, fore non difficile, ab ipsis etiam impetrare contra Turcam auxilia. Quod si autem nonnisi malis et religioni perniciiosis conditionibus id obtineri possit, videndum esse, ex duobus malis utrum sit eligendum, et an praestet religione prodata Deum offendere, an vero unius provinciae carere subsidiis adversus Turcam: etenim non facile posse discerni, utri magis Christum oppugnant, protestantes an Turcae: nam hos quidem in corpora

*tantum saevire, sed ab illis etiam animos in sempiternum exitium trahi. Concilium ergo sibi videri quam primum esse convocandum eiusque faciundum initium hoc anno, nec in Germaniae conventibus de religione tractandum aliquid, sed augendum esse foedus, ut vel hac ratione protestantes ad concordiam magis invitentur: pacem quoque faciendam cum Galliae rege, et interim undecunque colligenda subsidia contra vim turcicam, ut anno sequenti totis viribus in illum fiat impetus . . . . Hoc Farnesii consilium, ubi mensibus aliquot post emanasset, Ioannes Calvinus excusum typis commentariolo vestivit, ne quis illud secus quam oportet acciperet.*

**Haec Sleidanus.** Cuius satis prolixam ἀναγεγαλατῶσιν si cum opusculo Eusebii Pamphili nostri contuleris, non poteris non agnoscere eum hoc ipsum ante oculos habuisse quum eam conscriberet: adeo pedetentim eius tenorem referendo prosequitur, de sententiis nihil omittens, in verbis quoque pressius cardinalis vestigia legens. Quod si quis obiecerit illum de pseudonymia Calvini autoris nihil memorare, hoc dubium facile solvetur. Sleidanus optime scire potuit et debuit Calvinum talem aliquam refutationem scripsisse, et nulla causa erat propter quam decennio integro elapso, quum suam historiam scribebat, tam clarum nomen silentio sepeliret. Verum ipse Calvinus, eo tempore quo suum Pamphilum edidit magistratus argentoratensis hospes, fortasse cavere voluerat ne vel sibi, vel civitati sua de rebus in Germania tractatis satis libera disputatio fraudi esset. Certe nemo unquam alium commentariolum vidit, Calvini nomine insignitum, quem potius quam hunc nostrum Sleidanus innuisse putandus sit. Consulas de Consilio illo Farnesii Seckendorfii historiam Lutheranismi Lib. III. Sect. 21. pag. 272 seqq. ed. Lips. 1694. fol.

Textus libelli, qualem Rihelius expressit, saepissime mendosus nobis visus est, et negligentissime a correctore tractatus. Leviora multa tacite emendavimus, plura reliquimus intacta, quum conjecturis indulgendum nobis fuisse, ubi sermo latinus, praeter Calvini morem, obscurior, imo naevis grammaticis foedatus apparebat. Exemplo tibi sint inter multa alia quae leges col. 479 editionis nostrae c. med.: . . . ut in singulis provinciis . . . . habenda esse concilia caett. Et paulo post: Quid ipso facias? Fortasse etiam illud, versus finem eiusdem paginae: abiecta omnis (omni?) honestatis cura . . . . Tu nolis, quae sumus, benevole lector, talia vel nostrae oscitantiae vel etiam hypothetae nostri incuriae imputare.

## CAPUT XI.

### ACTES DE RATISBONNE. 1541.

Nonnulla nobis hic praemittenda videntur vel minus cognita, vel minus accurate tradita de Calvino Argentorati docente et in comitiis imperii versante de rebus ecclesiasticis tractantibus.

Geneva pulsus Basileam venit, unde approbantibus scholarchis a Capitone et Bucero vocatus Argentoratum adiit anno 1538 mense septembri, mox per honorifice civis receptus est die 29. Iulii 1539. Magna cum laude professoris theologiae et concionatoris gallici munere per tres ferme annos integros functus est. Ter aut quater per hebdomadem singulos scripturac sacrae libros explanavit. Disputationibus in Gymnasio celebratis aut interfuit omnibus aut praefuit, quum ipse sua themata defenderet. Ingenii acumine, eruditione eximia, morum integritate magis magisque inclarescere coepit, adeo ut, teste Ioanne Sturmio, permultos eosdemque nobilissimos literatissimosque viros ac studiosos adolescentes e Gallia praesertim aliceret, et nullum iam gravius negotium ecclesiasticum vel domi vel foris sine eius

consilio tractaretur. Ipsi Lutherò sese adprobavit. Bucero enim ille respondens die Calixti, quae est 14. Oct. 1539, in fine epistolæ haec adiecit: Saluta Io. Sturmium et Io. Calvinum reverenter, quorum libellos cum singulari voluptate legi. Loquitur hic de Calvini responsione ad Sadoletum et Sturmii epistolis de dissidio religionis. Vide De Wette Tom. V. p. 211; Sturmium, contra Pappi caritatem, p. 112. Ad conventum hagenoensem non publica quidem autoritate missus sed in nonnullis tamen adhibitus negotiis, aliquoties istuc cum Sturmio excurrentis Crucigero aliisque doctissimis viris mirum in modum placuit. Sed etiam exterae ecclesiae iam Calvinum magno in loco habuerunt. Eodem enim anno Dux Luneburgensis eum a magistratu argentoratensi cum Io. Sturmio postulavit ut legati eius colloquio wormatiensi primo interessent, et una cum legatis Urbis, Iacobo videlicet Sturmio, Matthia Pfarrero et DD. Capitone et Bucero, Wormatiam profecti sunt die 29. Oct. 1540. Erat tum in eodem comitatu Simon Grynaeus Basileensis, Calvino coniunctissimus. Refutavit in eo colloquio F. de Mosheim, decanum passaviensem, quem iam antea Argentorati praesente utroque Sturmio, Hedione et Iac. Bedroto acerrime refellerat in operibus iustificationem ponentem. Tantum se praebuit in ista disputatione ut Melanthon, in cuius notitiam iam mense Februario anni superioris Francofurti venerat, ex illo tempore perpetuam cum ipso coleret amicitiam quam mors demum interscindere potuit. Tanta erat eius in schola argentoratensi et apud senatum existimatio, ut eum Genevensium precibus, Tigurinorum Bernatumque et Basiliensium intercessione enixius urgentibus, aegre tandem et post longas dilationes atque ad tempus tantum concederent. Ipso enim colloquii Wormatiensis tempore Genevensium civitas poenitentiam agens ad senatum argentoratensem misit consularem virum, qui Calvinum postularet Genevam remittendum, ut de nro patriae ecclesiae administrandae curam haberet. Senatus antequam legatum hunc dimitteret, celebriter per equitem literas ad suos Wormatiam mittit, certiores facit de Genevensium petitione, mandat ut cum Calvino agant, eique persuadeant ut Argentorati esse malit quam Genevae, fatetur Calvinum urbi necessarium esse civem propter scholam et ecclesiae gallicanae frequentiam. Verum quum legatus Genevensium Wormatiam venisset, ostendissetque qualis esset civitatis status, et quales paterent evangelii in Gallia propagandi occasiones, efficit ut ad communem religionis causam pertinere videretur, hac in re Genevensibus gratificari. Itaque pro tempore iis concessum est istud beneficium, ut finito conventu Wormatiensi et re iterum et mature post redditum cum omnibus collegis expensa, Genevam Calvinus subsequeretur. Haec discimus ex Iac. Sturmii literis ad XIII viros datis die 11. Nov. eius anni, et in archivis nostris ad aedes S. Thomae asservatis. At post legati discessum decreta fuere comitia anno in sequenti 1541 Ratisponae habenda. De quibus quum ad senatum argentoratensem relatum fuisse, re deliberata ab iis quibus mandata erat, Geigero consule senatusconsultum factum est ut cum Iacobo Sturmio et Beato Duntzenhemio XIII viro Bucerus et Calvinus Ratisponam mitterentur. Praemonuerat etiam ipse Melanthon, priusquam Wormatia abiret, rogaveratque legatos argentoratenses ne inter doctos viros ad futurum colloquium mittendos Calvinum praeterirent; virum enim esse magnae existimationis (Memoriale argent. 1541. fol. 19). Qui tamen, quum usque aliquatenus umbratilis esset, aegre se patiebatur talibus in causis in publicum produci. In ipso igitur colloquio non tam coram multitudine quam in privatis evangelicorum deliberationibus disseruit et disputavit et duobus suis collegis Melanthoni et Bucero, pro concordia ineunda plus satis ardentibus et nonnunquam flexiloquentia usis, subinde animum addidit (vide Calvini epp. Ed. Genev. p. 30; ed. Laus. p. 63; ed. Amst. p. 17). Circa medium mensem Iulium, quum Imperator colloquium sistere decrevisset, ut robis turcicis operam daret, vidissetque Calvinus nullum amplius in conventu sui usum fore, tum etiam amici geneveses eum ad redditum vehementer hortarentur, extorsit magis a collegis quam impetravit missionem rediitque Argentoratum, ut scholae ecclesiaeque sua gallicanae, et Capitoni ex peste laboranti succurreret (Epp. Genev. p. 31; Laus. p. 68; Amst. p. 18). Iudi-

cium Calvini de his conventibus atque colloquiis iam tum idem erat quod et posthac fuit, praesertim si inter Romanenses et evangelicos instituebantur. Nullum enim alium fructum rebatur ex illis redundare in ecclesias evangelicas, nisi quem forte adferret solennis doctrinae declaratio et apologia coram iis qui calumniis adversariorum circumventi et falsis opinionibus imbuti perperam de eadem iudicabant et potestate civili perseguitorum tyrannidem stabilire gestiebant. Atque haec hactenus.

Actorum Ratisponensium gallice edendorum consilium iam in ipso conventu Calvinum cepisse, porro Argentorati versionis et commentarii laborem absolvisse, et mense Septembri Genevam secum asportasse minime in ambiguo haerere nobis videtur. Nam Genevae reducem tantae statim tamque graves eum exceperunt curae de politia ecclesiastica et civili constituenda, ut huic operi multo minoris momenti tum demum manum admovere non potuisset. Acta autem haec gallica publici iuris facta sunt hoc titulo:

**LES ACTES | DE LA IOVRNEE | imperiale, tenue en la cité de Reges- | pourg, autrement dicte Ratispone, | l'an mil cinq cens quarante et vn, sur | les differens qui sont aujourdhuy en | la Religion. | Desquelz l'inventoire sera recité en | la paige suyuante. | (Ornamentum folii minusculi figuram referens.) M. D. XLI.**

Forma octonaria minor, quaterniones viginti sex (a—z; A—C) paginae 416 non numeratae. Quod ad locum attinet quo hoc volumen in lucem prodiit non modo Genevam esse minime dubitamus, sed etiam Ioannis Gerardi officinae illud tribuere ausimus. Hoc palam fit ex similitudine typorum, si cum aliis eiusdem ferme temporis libellis conferas, quibus typographus ille nomen suum addidit, in primis vero ex ornamento illo vel signaculo tituli paginae impresso, quod etiam invenimus omnibus numeris simillimum in titulo libelli apud eundem Gerardum excusi, qui inscribitur: *Ordre et maniere, d'enseigner dans la ville de Geneve etc. Imprimé par Iehan Gerard. 1538.*

Calvini et Genevae nomina de industria suppressa fuisse videntur, quo facilius opusculum ipsum viam sibi in Galliam aperiret ibique quae in tanto tanti imperii conventu deliberata et ex parte etiam a Romanensibus concessa fuerant, libentius legerentur. Caeterum de Calvinio autore non est quod dubites. Ipsum scilicet agnoscas necesse est, si attente legeris quae supra de eius in istis colloquiis partibus retulimus. Alium frustra quaeres. Cuiusnam alius in manibus, nempe Galli reformatae formulae addicti, acta ista et scripta esse potuerunt, nisi unius Calvini qui colloquio ab initio ad finem interfuit, quocum ista omnia communicata fuere, qui versionem manu scriptorum parare potuit antequam Genevam rediret, ita ut eodem anno una cum editionibus latinis a collegis paratis evulgarentur? Melanthon enim et Bucerus paulo post redditum suum nihil prius habuerunt quam ut Actorum editionem curarent, eo sane consilio maturandam ut adversariorum calumnias anteverterent.

A Bucero habemus edita: *Acta colloquii in comitiis imperii Ratisponae habiti h. e. articuli de religione conciliati et non conciliati omnes, ut ab Imperatore ordinibus imperii ad iudicandum et deliberandum propositi sunt. Consulta et deliberata de his actis Imperatoris, singulorum ordinum imperii et legati romani. Et quaedam alia quorum catalogum habes sequenti pagina. Per Martinum Bucerum. Argentorati mense Septembri M. D. XLI.* Data est praefatio ad Ludovicum de Flandria, Dominum Prati, imperatoriae maiestatis supremum cubicularium, Argentorati IV. Non. Sept. Altera editio mense Februario anni sequentis prodiit duobus indicibus aucta. Idem Bucerus eodem anno 1541 Acta germanice edidit multo auctiora: *Alle Handlungen Schriften zur vergleichung der Religion durch die Kays. Maj. Churfürsten, Fürsten vnd Stende aller theylen auch den pübstl. Legaten, auf jüngst gehaltenem Reichstag zu Regenspurg verhandlet vnd einbracht anno M. D. XLI. Getrewes Fleisz beschrieben zusammen getragen vnd erklärt durch Martinum Bucerum.* In fine: *Geendet zun Eeren des Allmächtigen vnd wolhart seiner Kirchen 17. Decemb. M. D. XLI.* Praefatio ad electorem Brandenburgicum data est Argentorati d. 22. Dec. 1541.

*Calvini opera. Vol. V.*

H

Melanthon, inter colloquutores praecipuus, edidit: *Acta in conventu Ratisbonensi continentia quae sequuntur caett. Impressum Wittembergae per Iosephum Klug. M. D. XLI.* Praefatio ad pium lectorem data est circa d. quartam Octobris. Inveniuntur eadem haec Acta in operibus Melanthonis curante Peucero Wittenbergae editis Tom. IV. p. 729 seqq. Bretschneiderus in edendo Corpore Reformatorum illustrissimus noster decessor, haec Acta secundum temporum ordinem Tomo IV. operum Melanthonis passim suo loco inseruit.

Ioannes Eckius, tertius colloquitorum catholicorum, qui febri correptus ab ipso colloquii initio nulli actioni adesse potuit, pleraque documenta ad hanc ratisponensem concordiam pertinentia sequenti anno edidit hac suo libro facta inscriptione: *Apologia pro Reverendissimis et Illustrissimis Principibus Catholicis ac aliis ordinibus Imperii adversus mucores et calumnias Buceri super actis Comitiorum Ratisponae. Apologia pro Reverendissimo Sedis Apostolicae Legato et cardinali Caspare Contareno. Io. Eckio autore. Coloniae M. D. XLII. mense Maio.*

Ante aliquot annos Carolus Theodorus Hergang librum edidit de colloquio ratisponensi peculiariter tractantem et praecipua documenta tam latine quam germanice concepta exhibentem, hoc titulo: *Das Religions-Gespräch zu Regensburg im Jahre 1541 und das Regensburger Buch, nebst andern darauf bezüglichen Schriften jener Zeit.* Cassel 1858. 8.

Acta latina Buceri incuria quadam laborant et tumultuarie conscripta videntur et publicata. Ordo enim temporum nullo modo observatus est et multa desiderantur. Germanica editio multo accuratior et auctior perpetuam exhibit historicam enarrationem earum rerum quae post praesentationem uniuscuiusque scripti aut deliberata aut transacta sunt. Acta Melanthonis multo pauciora continent quam Buceriana, et passim varias habent lectiones, sed eas parvi plerumque momenti. Eckii Apologia refutatio est eorum quae Bucerus suis Actis admiscuit tanquam pontificiorum censuram. Quod ad documenta ipsa attinet, textum habet cum Buceriano fere omnibus in partibus verbo tenus consonum.

Acta Calvini gallica quae nunc primum suo loco inter eius opera theologica restituimus, quum et Gallasius et Beza ea omnino neglexerint, textum Buceri latinum sequuntur, solum scilicet quem Noster in manibus habere potuit. Sed cave nudam Buceriani libri versionem hanc esse tibi persuadeas. Nonnulla enim omittit, alia non pauca compendio reddit, exhortationes videlicet, censuras et refutationes; passim etiam e suo penu rerum narratiunculas addit, et sic librum vere novum et proprium lectoribus offert. Quae de singulis locis et partibus dicenda sunt, ea ad ipsum textum annotata reperies.

Unum superest quod moneamus: Actorum nostrorum gallicorum exemplaria rarissima esse et paucis visa. Nobis certe duo tantum innotuerunt, alterum in bibliotheca Dresdensi asservatum, alterum quo ipsi usi sumus, turicense ex bibliotheca Carolina sive civica depromptum.

L. ANNEI SENECAE,  
ROMANI SENATORIS AC PHILOSOPHI CLARISSIMI,  
LIBRI DUO DE CLEMENTIA,  
AD NERONEM CAESAREM:  
IO. CALVINI NOVIODUNAEI COMMENTARIIS  
ILLUSTRATI.  
PARISIIS APUD LUDOVICUM CYANEUM.

1532.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

IOANNIS CALVINI PRAEFATIO AD SANCTISSIMUM AC SAPIENTISSIMUM PRAESEULEM  
CLAUDIUM HANGESTIUM, ABBATEM DIVI ELIGII NOVIODUNENSIS.

Si qui sunt hodie paulo faciliori nati ingenio, ornatissime praesul, eo fere oinnes certatim se propriunt, illustrandi nominis ambitione, ut praecipitantes editis ingenii sui monumentis, celebrem nominis memoriam ad posteros tradant: hoc sibi demum egregiae laudi futurum ducentes, si posteros cogitant, magno suo dedecore. Adeo pauci sunt qui ingenii suis temperare sciant. Hinc scripti riendi insana licentia, quam statim poenitentia sequitur comes. In hac tamen improbitate rationem ineunt, qua sibi gratiam apud lectores, ut aiunt, benevolos concilient: quorum profecto benevolentia prolixe abutuntur. Quidam praetendunt aetatis tirocinium: alii causificantur improbis amicorum precibus libros inchoatos sibi de manibus excuti: alii nescio quid nugarum garriunt, quo errorem deprecentur, si se populo spectandoe importune dederint. Atqui malim nullos omnino foetus edere, quam praematuros, vel etiam, ut fit, abortivos non tam edere, quam proicere. Mihi vero etiam aliquid meditandum est, quo rationem meam institutumque approbem, non tantum benevolis, sed circumspectis lectoribus: eoque magis, quod unus de plebe homuncio, mediocri, seu potius modica eruditione praeditus, nihil in me habeam, quod spem aliquam possit celebritatis excitare. Haec quidem ignobilitatis meae conscientia fecerat, ut hactenus abstinerem publico. Neque haec nostra scholia, qualiacunque sunt, primum meditabar in eam spem, ut aliquando publicum acciperent: sed tamen quasi iam tum de editione cogitans, studii contentione provehebar, ne velut in re ludiora otiose et oscitanter ludens, operam quoque luderem. Itaque nondum ad umbilicum deducta, amicis aliquot probis ac fidelibus quum recitarem, illique simpliciter, ut solent omnia, candideque aestimarent, spem aliquam iniecerunt eius generis esse, quae non plane a gratia abhorrent, si ederentur. Valuit praesertim Connani mei autoritas, viri prudentissimi ac disertissimi cui uni stant et cadunt mea consilia. Adde quod optimum auto-

rem plerisque sordescere, ac nullo paene esse numero, iniquissime ferebam: ut iamdi optaverim egregium quempiam vindicem emergere, qui illum in suam dignitatem assereret. Hoc ipsum si sum aliqua ex parte assequutus, tantum laboris non frustra exhausisse videar: nempe quum in hac arena bis desudarit Erasmus literarum alterum decus, ac primae deliciae: quaedam etiam ipsius oculos subterfugerint, quod citra invidiam dictum sit, a nobis primum animadversa. Evidem de autore ipso dum loquor parcus, vereor ne summas eius laudes ingenii culpa deteram. Neque eius merita laudibus assequi operaे pretium est, ne ipse per se parum afferre commendationis videatur. Penitus tacuisse, nisi multorum animos occupasset prava<sup>1)</sup> quaedam opinio, ac iam praeiudicij locum obtineret, Senecae nullas esse in eloquentia virtutes, in philosophia numero ac pondere exiguae, quae tamen ipsae inter vitia demersae lateant. Sic illum, aiunt, Quintilianus in omni eloquendi genere ex industria distulit, ut oblique expungeret de proborum scriptorum numero. Sic Gellius alienis verbis, sed suo magis iudicio, scriptorem minime utilem pronunciat. Ego vero ut non plane ausim refellere Quintilianum, acerrimi hominem ac perspicacissimi iudicii, velim tamen et isti intelligent Quintilianum hominem fuisse, et non satis bona fide egisse cum Seneca, aut certe suas contumelias persequutum. Nam Seneca parum honorifice tractavit senem Quintilianum in declamationibus, et huius Quintiliani luminibus obstruebat. Quod Gelli splendida bilis in Senecam effuderit, si isti pro re comperta ducunt, vehementer errant. Nemo sane est qui non videat, quam impotenti rabie in eum feratur, hac in parte contumeliosus magis, quam gravis. Certe, utcunque Fabius ac Gellius senserint, posteri tamen, qui citra livorem ac studium, quae duo cum veritate fere

1) *Ed. princeps: parva*

pugnant, iudicare potuerunt, inter primarios latinitatis proceres numerant. Facile fuit Fabio cum larvis citra pulveris iactum luctari. Homo enim mortuus non mordebat; vivo videntique obstrepere, non item licuisset. Nec tamen eum ita omni laude spoliavit, ut non reliquerit illi summam laudem. Siquidem ab ultima memoria latinos oratores repetens, copiam unius Senecae inter omnes celebrat. Et cur hic verba perdantur? Res in promptu est. Quod ad me attinet, non pigebit in medium afferre quod sentio, non ut religione aliqua obstringam lectores: stabunt qui volent nostro iudicio, alii se ipsi consulent, aut de cohorte peritiorum iudicem ferent. Si quid ego intelligo, vir tuit eximiae eruditio, et insignis facundiae. Quam enim rerum peritiam assequi non potuerit felix illud ingenium? Naturae mysteria quae ad eam philosophiae partem pertinent, quam Graeci τὴν φυσικὴν vocant, ad unguem callebat. Quum vero ἐν τοῖς ἡθικοῖς versatur, ibi potissimum regnat, et quasi in campo suo currit: dialecticis instructus, quantum satis erat ad orationis cultum. Historias veteres, quoties ex usu foret, memoria complectebatur: qua tamen nonnunquam lapsus est, dum sibi nimium indulget. Jam vero sermo purus ac nitidus suum scilicet saeculum redolens. Genus dicendi elegans ac floridum: stilus illaboratus, ac sine anxietate fluens: character mediocris, qualis philosophum decet: assurgit tamen interdum, ut appareat sublimiorem illi venam non defuisse, si affectasset. Verborum luxuriam ac dicitatem plerique omnes illi exprobant: cuius certe nimium esse fateor. Haecque dulcia esse vitia interpres, quibus abundare Senecam ait Quintilianus. Dispositionem etiam desidero, non postremam orationis lucem. Quod si vita cum virtutibus pensamus, quantula erunt? Illud modo suceurrat, nullum unquam sine venia placuisse ingenium. Nolo hic haerere diutius, unum hoc semel dictum sit, Senecam nostrum esse alterum secundum Ciceronem, et philosophiae et eloquentiae romanae colu-

men. Nam Brutus et eius aequales nobis exciderunt. Id ipsum experientur, qui bonas horas in eius lectione collocabunt, ex qua fructum referent simul ac voluptatem. Futurum in meam fidem recipio, ut nullum impensae operae poeniteat, duntaxat qui natus non sit Musis adversantibus et Gratiis. Tibi vero, illustrissime Claudi, has hominis dotes splendide praedicare nihil opus fuerit: per te ipse magis sapis, quam ut monitorem desideres. Habet intus ac domi (ut dicitur) vividum illud ac liberale ingenium, iudicium acre et repositum, memoriam uberem, et minime fluxam: quibus accedit copiosa in studiis nostris exercitatio. His, ut ita loquar, consultoribus fretus, facile poteris discernere quid distent aera lupinis, et quam bona pars latinae linguae constet in Seneca. Commentarios nostros, qui in fidem se tuam conferunt, non aliter accipies, ac frugum nostrarum primitias, quae tibi iure meritoque consecrantur atque nuncupantur: non ideo solum, quia me tibi totum meaque omnia debeo, verum etiam magis quod domi vestrae puer educatus, iisdem tecum studiis iniciatus, primam viatae et literarum disciplinam familiae vestrae nobilissimae acceptam refero. Neque vero hic magnopere contendam quo meam tibi industriam approbare possim, quam, ut ferebat benevolentia erga me tua singularis, iamdiu benigne amplexus es. Ab aliis lectoribus utcunque animadversa fuerit, etsi non omnium puncta ferre contigerit, ab aequissimo tamen quoque arbitratore non pessimam habituiri mihi gratiam plane confido. Nam quum in tanta ingeniorum varietate omnibus velle obsequi, difficile, fortasse etiam improbum esset, quod reliquum erat mihi proposui, ut optimis me accommodarem. Id quam prospere cesserit, alii viderint, quando de me ipse sine arrogantiae specie magnificientius spondere non ausim. Vale.

Parisiis, pridie Nonas Apriles, anno salutis nostrae 1532.

VITA SENECAE FIDELITER TRANSSCRIPTA EX BONIS AUTORIBUS,  
PER IO. CALVINUM.

L. Annaeus<sup>1)</sup> Seneca equestri et provinciali loco natus, familiae suae nomen magis vitae integritate et severiore doctrina, quam gestis militaribus aut rerum civilium peritia illustravit. Capta enim Corduba patria, iam patre orbus, Romam cum duobus fratribus Gallione et Mela migravit: ubi aliquantum temporis transegit non magna dignitate. Tandem sub imperium Caligulae coepit haberi inter praecipua eloquentiae decora. Ex eo magis ac magis inclarescere: ut nonnulli fuisse hanc causam Claudio existimarent cur eum in insulam relegaret. Exsilium infracta animi aequitatem tulit: matrem etiam Albinam casus sui moerore deiectam constanter consolatus est. Post ope Agrippinae restitutus, adscitus in ordinem senatorium et praetura functus, Domitium adhuc puerum, necdum adoptatum a Claudio, in disciplinam accepit: cuius studia et mores bona fide excolluit, donec iure adoptionis mortuo Claudio ad imperium assumeretur. Tum non dare speciem praecipientis, sed iuvenis consilia civiliter moderari: ut nihil fere pro imperio gereret Nero sine eius autoritate. Accedebat Burrus<sup>2)</sup> praefectus praetorio, vir militari virtute illustris et vitae morumque integer, in idem cum eo consentiens. Hi duo facile adolescentis ingenium sustinebant, ne statim in peius rueret. At vero mors illius, seu morbo, seu fraude Neronis interiit, valde infregit Senecae potentiam. Hic occasionem nacti, qui non desinebant malis artibus imperatoris indolem corrumpere, eius opes criminari supra civilem modum evectas, studia civium in eum conversa, hortorum amoenitatem, villarum magnificentiam. Quarum rerum invidiam apud Neronem deprecatus Seneca, commeatum etiam petuit, et ut fortunae suae splendorem, quem iam ferre non posset, opesque suas, quae sibi tantum odium

conflarent, in alium transferret. Ad haec causari fessam aetatem et valetudinem minus prosperam: quibus tamen non potuit evincere, ut quietem studiis impetraret. Mutavit tamen pristinam vitae rationem. Nam coetus salutantium prohibuit, vitavit comitantes. Rarus per urbem, publico abstinuit. Rursum oravit ruris secretum, quum Nero diris suppliciis impotenter saeviret in Christianos, quo invidiam sacrilegii a se averteret, vel quia sibi paratum iussu Neronis venenum prodizione liberti resciverat. Quo non impetrato, cubiculo se continuit quasi aeger nervis. Successit non multo post coniuratio Pisoniana, inter cuius concios nominatus ab indice Natali, quamvis non manifestus criminis, tamen quasi laesae maiestatis reus damnatus est. Missus est primum Gravius Silvanus tribunus cohortis praetoriae, qui percontaretur an sua verba agnosceret, quibus accusatio nitebatur. Qui ubi et intrepido vultu agnovisse et excusasse retulit, interrogante Poppeia, <sup>1)</sup> an voluntariam mortem pararet, respondit nullum se mortis signum comperisse, quum nihil triste nec in verbis, nec in vultu deprehendisset. Ergo regredi et mortem indicere iussus est. Voci tamen et aspectui pepertit, intromisitque unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. Hoc accepto nuncio tabulas testamenti poposcit, et denegante centurione ad amicos conversus, qui secum duo discumbebant, quoniam aliam referre gratiam non posset, dixit se illis relinquere quod haberet pulcherrimum, vitae suae imaginem. Tum Pompeiam Paulinam uxorem complexus, rogavit ut dolori temperaret et lacrymis. Illa omne solatium abnuere, adseverare mortem sibi destinatam, manum percussoris poscere. Ergo eodem iictu brachia ferro exsolvunt. Sed Paulinae, quum iam multum sanguinis ege-

1) Ed. pr. Anneus.

2) Sic aliisque.

1) Sic aliisque.

stum esset, servi vulnus obligarunt, incertum an nescienti, an vitae cupidine evictae, quum mitior spes a Nerone offerretur. Seneca autem mortis lentitudinem pertaesus, quia senile corpus sanguini effugium non dabat, erurum quoque et poplitum venas sibi abrupit. Qua via quum non magis proficeret, venenum pridem in eum casum provisum hausit, frustra, iam clauso pectore adversus vim

veneni. Demum balneo illatus, et vapore exanimatus, sine ullo funeris solenni crematus est. Ita codicillis perscripserat, quum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret. Mortuus est anno aetatis centesimo decimo quinto aut circiter, anno imperii Neronis undecimo, ex quo vero eius pueritiae erudiendae admotus fuerat, decimo septimo.

L. ANNAEI SENECAE  
AD NERONEM CAESAREM  
D E C L E M E N T I A  
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Scribere de clementia, Nero Caesar, institui, ut quodammodo speculi vice fungerer, et te tibi ostenderem, per venturum ad voluptatem maximam omnium. Quamvis enim recte factorum verus fructus sit, fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit, iuvat tamen inspicere et circumire bonam conscientiam: tum immittere oculos in hanc immensam multitudinem, discordem, seditionem, impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si hoc iugum fregerit: itaque loqui secum: EGO ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer. Ego vitae necisque gentibus arbitrer. Qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat. Ex nostro responso laetitiae causas populi urbesque concipiunt. Nulla pars usquam nisi volente propitioque me floret. Haec tot milia gladiorum, quae pax mea comprimit ad nutum meum stringentur. Quas nationes funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capitum regium circumdari decus oporteat, quae ruant urbes, quae orientur, mea iurisdictio est. In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritus hominum et contumelia, quae saepe tranquillissimis quoque pectoribus patientiam extorsit: non ipsa ostentandae per terrores potentiae, dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, imo constrictum [pag. 2] apud me ferrum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me custodio, tanquam le-

gibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum, alterius ultima. Alium dignitati donavi, aliud humilitati. Quoties nullam inveneram misericordiae causam, mihi pepercii. Hodie diis immortalibus, si a me rationem repeatant, annumerare genus humanum paratus sum. Potes hoc Caesar praedicare audacter, omnia in fila tutela haberi: nihil per te neque vi neque clam reipublicae eruptum. Rarissimam laudem, et nulli adhuc principum concessam concupisti innocentiam. Non perdis operam, nec bonitas ista tua singularis ingratos aut malignos aestimatorem nacta est. Refertur tibi gratia. Nemo unus homo uni homini tam carius unquam fuit, quam tu populo romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus imposuisti. Nemo iam divum Augustum, nec Tiberii Caesaris prima tempora loquitur, nec quod te imitari velit, exemplar extra te quaerit. Princeps tuus ad gustum exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta. Nemo enim potest personam diu ferre: facta citio in naturam suam recidunt. Quibus veritas subest quaque, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Magnam adibat aleam populus romanus, quem incertum esset, quo se statim nobilis indeoles daret. Iam vota publica in tuto sunt. Nec enim periculum est ne te subita tui capiat oblivio. Facit quidem avidos nimia felicitas: nec tam temperatae cupiditates sunt unquam, ut in eo quod contigit desinant. Gradus a magnis ad maiora fit, et spes improbissimas complectuntur insperata assequuti. Omnibus tamen nunc civibus tuis et haec confessio exprimitur, esse [pag. 3] se felices: et illa, nihil iam his accedere bonis posse, nisi ut perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confessionem,

*qua nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens, ius supra omnem iniuriam possum. Observatur oculis lactissima forma reipublicae cui ad summam libertatem nihil deest, nisi percuti licentia. Praecipue tamen aequalis ad maximos imosque percutit clementiae tuae admiratio. Caetera enim bona proportione fortunae suae quisque sentit aut exspectat maiora minoraque: ex clementia omnes udem sperant. Nec est quisquam cui tam valde innocentia sua placat, ut non stare in conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.*

Non temere a Plutarcho scriptum est, difficile esse consilium dare iis qui in imperio sunt. Minime enim regium putant, ad praescriptum rationis vivere, qui veram regis maiestatem constituunt effraenatam licentiam. Servile existimant, alieno se arbitrio permettere. Itaque suis legibus ac suo more vivunt, seu potius sua libidine. Quod si qui sunt paulo moderatores, ne ii quidem interpellatorem aequo animo ferre possunt: adeo regibus ac principibus insita est quasi perpetuum ac vernaculum malum arrogantia. Quod bene atque ex officio rem publicam administrant, id totum sibi acceptum referri volunt: extraneos consultores in societatem laudis admittere designantur. Unde etiam illud exiit, Magno constare regum amicis bona consilia. Artificiose igitur Seneca sic se scripturum de clementia proponit, ut Nero imaginem suae clementiae in descriptione eius virtutis agnoscat. Sic enim sub specie laudis favorem conciliat orationi paraenitiae. Dicit igitur, non tam sibi propositum esse, praeceptis instruere ac instituere Neronem, quam illi exhibere speculum in imagine virtutis, in quo se possit agnoscere ac sua bona contemplari. Ut enim homini suam faciem speculum representat, ita in descriptione fortitudinis fortis, prudentiae prudens, iustitiae iustus, agnoscit aliquid suum. Haec est obliqua via, qua se insinuat in benevolentiam Neronis. Superest ut qui sibi bene conscientis est, fruatur bono conscientiae. Atque id est quod sequitur, quum affirmat illum pervenitum ad voluptatem omnium maximam.

*Quamvis enim recte factorum] Disputatum est diu et anxie inter philosophos de felicitate ultima, ad cuius finem omnia referenda sunt. Sedecim sectae variis opinionibus [pag. 4] inter se pugnant, quum in voluptate sua semper acquiescit Epicurus, Croesus divitias suas respicit, alii denique suis affectibus pro se quisque serviant. Duae sunt magis veritati consentaneae. Prior Zenonis, Cleanthis, Posidonii, Hecatonis, Diogenis Babylonicis, et Stoicae scholae: quamvis eius dogmatis autorem laudet Antisthenem Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei: virtutem scilicet esse ultimum finem, quem omnes actus, omnia vitae humanae opera et consilia re-*

spiciunt. In quam sententiam accipiendus est hic locus. Aristotelici ultra progrediuntur. Non enim finem in virtute, sed in virtutis usu constituant. Vide Aristotelem lib. I. Ethicorum. Sensus est: Quamvis in Stoicorum decreto nihil considerandum sit in virtute praeter ipsam virtutem, neque aliunde pendeat virtutis aestimatio, sed in se ipsa sit, iuvat tamen inspicere bonam conscientiam etc. Hanc sententiam eleganter Cicero complexus est in Somnio Scipionis: Nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris virtus trahat oportet ad verum decus. Et in Miloniana addit haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia recte factorum, quam ipsa recte facta sequi solere.

*Nec ullum virtutum pretium] Quasi diceret, non quod ultra virtutem alias sit scopus, que nadmodum Periander censuit virtutem ad honoris finem tendere, et Aristotelici ad virtutis usum: sed est summum bonum, et appetendum propter se. Hanc sententiam paene iisdem verbis expressit Claudianus:*

*Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late  
Fortunae secura nitet, nec fascibus ullis  
Erigitur.*

Et Seneca lib. IV. de Beneficiis: Rerum honestarum pretium in ipsis est.

*Iuvat tamen inspicere] Bene Plinius lib. I. epist. ad Saturninum: Meminimus quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia quam in fama reponatur. Et Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis: Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria.*

*Multitudinem seditionis, discordem etc.] Sunt haec epitheta perpetua multitudinis, seditionis, discordis, impotens; nec sine ratione imposita.*

*Seditiosam] Vergilius Aeneidos. I.:*  
Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est  
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus,  
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

Etsi ubique vulgus semper ad res novas levissimum, tamen romana plebs in primis, quae ex magna variaque peregrinorum multitudine constat, longe caeteris mobilior est. Proponamus nobis historias, quantos [pag. 5] tumultus excitarunt apud Romanos plebis seditiones: quoties reipublicae summam in discriben adduxerunt: ut iam illud in proverbium venerit, Turba turbulenta.

*Discordem] Hoc pertinet ad sententiarum varietatem. Tot sensus, quot capita; praesertim ubi non certam rationem habent prae oculis, sed inconsulta temeritate arripunt quidquid animo male sobrio se obtulerit. Non enim est consilium in vulgo, inquit Cicero pro Plancio, non ratio, non discriben. Unde belua multorum capitum Platoni et Horatio. Id etiam ostendit verbi etymon: quamvis*

Ovidius lib. II. nove et licentiose gloriam discordem pro discreta et separata posuerit:

At mea seposita est et ab omni milite discors  
Gloria.

*Impotentem*] Nonius Marcellus interpretatur valde potentem. Verum hoc nomen habet maiorem energiam. Non enim tantum significat valde potentem Ciceroni quum dicit: Nil<sup>1)</sup> agant, nil timant, nil concupiscant, nulla impotentia efferantur; sed praefidentem quandam audaciam. Cicero Tuscul. IV.: Inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. Graeci *ἀχράτειαν* vocant. Horatius Carminum I.:

Quidlibet<sup>2)</sup> impotens  
Sperare fortunaque dulci  
Ebria.

*In suam perniciem exsultaturam*] Vel saevire significat, quemadmodum illud Ciceronis lib. II. de Republica: Quae sanguine alitur, quaeque in omni crudelitate sic exsultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur. Vel supra modum exsilire et efferri. Cicero de Rep.: Est igitur quoddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur. Utriusque significationis autor Nonius Marcellus: sed posterior magis convenit: quia scilicet plebs imperita, quae nullum habet modum libertatis, statim vertit in licentiam: idque in suam perniciem: ut vulgus romanum saepius intestinis discordiis imperium suum paene labefactavit: atque etiam in exitium alienum, quia vix est ut coliberi possit insana multitudo, ubi semel ad arma ventum est. Livius lib. IV.: Haec natura multitudinis est, aut servit humiliter, aut superbe dominatur: libertatem, quae media est, nec spernere modice, nec habere sciunt. Curtius lib. X.: Nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova et brevi duratura libertate luxuriat. Livius lib. XXXIV.: Quintius Achaeis suadet, libertate modice utantur: temperatam eam, salubrem eis et singulis civitatibus esse; nimiam, et aliis gravem, et iis qui habeant, praecipitem et effrenatam esse.

*Ego ex omnibus*] Prosopopoeia, qua secum loqui imperator fingitur, et quasi in cogitationem ire. Hic est conscientiae fructus, quem illi [pag. 6] Seneca promitterebat si in se descenderet, et mentem bene compositam respiceret. Et haec plus habent gratiae per fictionem personae, quam si ex persona autoris conciperentur: ut docet Quintilianus lib. IX.

1) *Ed. recentiores omnes*: non. 2) *Ed. Amst.*: quamlibet.

Valent enim ad lectorem exitandum, ad movendos affectus, ad orationem variandam. Quidam hoc schema non prosopopoeiam vocant, sed ἡθοποίησις, quod illa personas fingat quae nusquam sunt, haec certis personis verba accommodat. Vide romanum Aquilam. Haec autem oratio ex opinione Stoicorum pendet, qui diis rerum humanarum procurationem tribuunt, providentiam asserunt, nihil fortunae temeritati relinquunt. Epicuroi tametsi deos non negant, at, quod proximum est, voluptarios nescio quos somniant, otiosos, mortalia non curantes, ne quid voluptatibus suis decadat, pronoean Stoicorum rident, quasi anum fatidicam. Omnia fortuito casu contingere putant. Qui vero se deorum vicarium profitetur, is nimirum fatetur deos humanis necessitatibus providere. Quamobrem recte Homerus βασιλῆς διοτρεφεῖς appellat, hoc est reges a Iove nutritos, et Iliados IX. Agamemnonem a Iove regem constitutum scribit. Nec minus eleganter Plinius in Panegyrico: Talia esse crediderim quae ipse mundi parens temperat nutu, si quando oculos demisit in terras, et facta mortalium inter divina opera numerare dignatus est: quibus nunc per te liber solitusque, coelo tantum vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris etc. Itaque vere quis dixerit, ut ait Plutarchus de doctrina principum, principes ministros esse dei, ad salutem et curam hominum: ut bona quae deus illis largitur, partim distribuant, partim servent. Cui consentit responsum illud Numae Pomplii, regnum esse deorum ministerium. Et aliud item Artabani apud eundem Plutarchum, reges, simulacula dei omnia servantis. Non abs re igitur Plato in Gorgia facit deum quendam imperatorem generis humani, assignantem suum unicuique in statione hac et militia locum. Quam sententiam Persius ex Platone transtulit:

Quem te deus esse

Iussit, et humana qua parte locatus es in re.

Est etiam illa confessio religionis nostrae, non esse potestatem nisi a Deo, et quae sunt, a Deo ordinatas esse, ad Rom. XIII.

*Vitae necisque arbitrus*] Pro eodem. Curtius lib. IV.: Quum in regali solio residebis vitae necisque omnium civium dominus, cave obliiscaris huius status, in quo accipis regnum. Et Seneca in Thyeste,

Vos quibus rector maris atque terrae  
Ius dedit magnum necis atque vitae.

[pag. 7] Quod enim alter dominium, alter ius magnum, Seneca hic arbitrium vocat, id est plenam et liberam potestatem sine provocatione: ut etiam tradit Pompeius Festus.

*In manu mea positum est*] Sic Coelius ad Ciceronem libro VIII. Epist.: Quam velis eum obliquare, in manu tua est. Quid significet haec loquutio, pulchre declarat Cicero Offic. I. quasi per

*epexegesin.* Quod ad praesens, inquit, tanquam in manu datur, iucundius est. Rem ergo certam ele-  
ganter dicimus in manu positam, quasi manu com-  
prehensam. Dicitur et in manibus, et ad manum,  
et prae manibus, et sub manu, et inter manus. Duo  
postrema rariora sunt, ideo exempla subiiciam. Se-  
neca ad Lucilium: Consilium nasci sub die debet:  
hoc quoque tardum est: sub manu, ut aiunt, con-  
silium nascatur. Et Tranquillus in Augusto: Quo  
celerius, et sub manu annunciar cognoscique pos-  
set quod in provincia quaque gereretur, invenies  
primo modicis intervallis per militares vias, dehinc  
vehicula dispositi. Vergilius Aeneidos XI.:

Caetera qua rerum iaceant perculta ruina,  
Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.

Dicit ergo Nero, in facili sibi esse locupletare quoslibet, et quoslibet etiam fortunis spoliare. Possu-  
mus etiam interpretari manum pro imperio aut ar-  
bitrio, qualiter illud a Tranquillo dictum in Ne-  
rone: Omnia se facienda fecisse, sed eventum in  
manu esse fortunae. Idem tamen erit sensus.

*[Quid cuique mortalium fortuna]* Hic manifestum  
fit principem nihil aliud esse quam fortunae organum: cuius manu et ministerio sursum deorsum omnia versat. Fortunae nomen pro deo posuit, usita-  
tum magis quam proprium. Nihil enim fortuitum  
iis qui necessitatibus omnia subiiciunt. At verbo pro-  
nunciandi apposite usus est, quod statuere et de-  
cernere significat eum qui habet iurisdictionem.

*[Et nostro responso laetitiae causas populi]* Hoc  
referendum ad gentium legatos, internuncios et in-  
terpretes societatis cocundae cum populo romano.  
Fuit enim magnum illud imperium romanum, vere  
magnum latrociniū: cui stipendium pendebant  
populi bello subiugati: et qui foedus malebant per-  
cutere, magno redimebant ambitiosam illam socie-  
tatem, non longe a servitute positam.

*[Haec tot milia]* Quod est apud Plautum in  
aliā sententiam, verissime de imperatore romano  
praedicari poterit: <sup>1)</sup> Esse scilicet Iovem quendam  
terrenum, qui nutu suo orientem et occidentem tre-  
mefaceret. Nam ut ait Ovidius Fastorum II.:

Hoc duce romanum est solis utrumque latus,  
et alibi:

Romanae spatium est urbis et orbis idem.  
Observanda est dispositio. Primum sibi arrogavit  
ius in privatas omnium facultates, [pag. 8] deinde in  
civitates et populos; nunc descendit ad enumera-  
tionem specierum, quomodo suo responso laetitiae  
causas populi urbcsque concipient.

*[Ad nutum meum stringentur]* Εὐφαντεῖς posuit  
nutum, quum satis esset iussum dicere. Sed hoc

expressius fuit, perinde ac si omnia secum trahat  
princeps, ac nutu <sup>1)</sup> suo concutiat. Vergilius:

Annuit, et magnum nutu tremefecit Olympum.

Curtius lib. III.: Agmen Macedonum intentum ad  
ducis non signum modo, sed etiam nutum. Cicero  
lib. I. Epist. ad Quintum fratrem: Tot civitates  
unius hominis nutum intuentur.

*[Quas transportari]* Fuit enim moris antiqui,  
gentes bello devictas, quae loci opportunitate novos  
spiritus tollere possent, alio transferre. In Pan-  
egyrico Maximiani et Constantini: Tu ferocissimos  
Mauritanie populos inaccessis montium iugis, et  
naturali munitione fidentes expugnasti, recepisti,  
transtulisti. Livius lib. VIII.: In Veltornos veteres  
cives romanos, quod toties rebellassent, gravi-  
ter saevitum, et muri deiecti, et senatus inde ab-  
ductus, iuscique trans Tiberim habitare: ut eius  
qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille  
passuum, pondo clarigatio esset. Item: De senatu  
Privernate ita decretum, ut qui senator Prverni  
post defectionem ab Romanis mansisset trans Tib-  
erim, eaque lege qua Veltorni, habitaret. Traducere  
dixit alibi. Quod bonum, felix, faustumque sit  
populo romano ac mihi, vobisque Albani, populum  
omnem Albanum Romam traducere in animo est.  
Post: Inter hacc iam praemissi equites erant, qui  
multitudinem Romam traducerent. Reperitur et  
hoc verbum pro deportare, sed raro, semel dun-  
taxat memini me legere apud Suetonium in Au-  
gusto: Agrippam nihil tractabiliorem, imo in dies  
amentiorem, in insulam transportavit.

*[Quos reges mancipia fieri]* Mancipium ad epi-  
tasin; plus enim exprimit quan. si dixisset, e summo  
fastigio deturbare ad humillimam conditionem.  
Sunt enim quasi ex diametro opposita, rex et man-  
cipium: alter omnibus imperat, alter in infima ser-  
vitate positus est.

*[Quorum capiti regium circumdari decus]* Peri-  
phrasis est diadematis, qua usus est etiam Seneca  
in Hercule furente:

Vidi regium capiti decus  
Cum capite raptum.

Idem in Thyeste:

Regium capiti decus  
Bis terque lapsum est.

Diadema enim regum insigne fuisse notum est.  
Fascia erat variegata, a verbo graeco διαδέω nomen  
deductum, quod significat circumligo. Diversum  
fuisse a corona ostendit Cicero Philipp. II., quum  
scribit Antonium consulem diadema et regnum ob-  
tulisse Caesari coronato. Et Valerius lib. VI. de  
Pompeio: Cui candida fascia crus alligatum habenti,

1) *Ed. princeps habet: motu, ex manifesto typographi  
errore.*

1) *Edd. recentiores: poterat.*

Favonius, non refert, [pag. 9] inquit, qua in parte corporis sit diadema. Persae Cydarim vocant. Verba sunt Curtii lib. II. Cydarim Persae regium capitum vocabant insigne. Hoc caerulea fascia albo distincta circumbat. Quod vero attinet ad hanc tam licentiosam in reges iurisdictionem, non ignorant rerum humanarum periti, prius quam imperium devenisset ad Caesarum monarchiam, regna senatusconsultis deferri. Cicero Epist. lib. IX. ad Papirium Paetum: Nam mihi scito iam a regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia reges appellaverim: quos ego non modo reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Populus vero lege regia omne ius in Caesares trans-tulit.

*Iurisdictionem est*] Hic iurisconsulti intelligent iurisdictionem in genere sumptam, quae omnes species cognitionis complectitur.

*In hac tanta facultate*] Virtus non exercita parvam laudem, ut vulgo ferunt, meretur. Non admodum magnificum fuerat mediocrem fortunam probe administrare: sed tanta rerum omnium licentia non abuti, hoc vero admirabile est. Atque id etiam exaggerat a circumstantiis, quod is ipse qui adeo egregium imperatorem praestitit, non sit maturae vir aetatis, cui accedat aetas magistra, sed in lubrica aetate constitutus: quia contumelia lassitus, quae aliqui homines placidissimos solet de gradu deiicere. Ergo magnam illam, nec ullis legibus coarctatam rerum facultatem ideo commemorat, quia, ut ait Herodianus, difficile est in maxima licentia moderari sibi, quasi frumentos imponere cupiditatibus.

*Ira*] Quasi diceret, affectus ille animi praeerabidus, qui nihil suadet moderabile, praesertim in constituendis poenis nunquam mediocritatem servans, unde Ennio insaniae initium, Horatio furor brevis, et Catoni, quod idem est, furor temporarius, non me tamen rapuit transversum in alicuius perniciem. Sententia est catholica apud Graecos, *χαλέπη μὲν ὁργὴ βασιλῆς*, quam latine Seneca protulit in Medea:

Gravis ira regum est semper.

Debet ergo princeps concitare admirationem sui, qui communis malo exemptus est. Quare non abs re illud ab Ovidio inter laudes Liviae positum,

Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi,  
Nec quenquam nervos extimuisse suos.

Et si verum est quod ait Hebraeus paroemiastes, Ira regis, nuncius mortis: non ultima laus est, in constituendis poenis ne tantulum quidem irae permisso. Nolo hic indulgere longius ambitions ostentationi; declamationes rhetoribus relinquo.

*Iuvenilis impetus*] Haec aetas veniam interdum pro homine deprecatur. Erravit, inquiunt, lapsus est aetatis tirocinio: anni moderationem addent, et [pag. 10] prudentiam. Naturale est ut haec aetas sit

in iracundiam propensior, cui multus sanguis et calidus, ut scribunt philosophi, praebet causam iracundiae. At vero miraculo esse debet, qui aetatem sapientia antevertit. Nam et qui venturi sunt in virtutis adoptionem, ait Latinus Pacatus, ut non cadant, titubant.

*Temeritas hominum, et contumelia*] Quam sit gravis regibus contumelia, alibi videbitur. Ideo magnifice sentire de principe debemus, cuius patientiam nulla temeritas, nulla contumelia fregerit. Legitur etiam contumacia in quibusdam exemplaribus,<sup>1)</sup> nescio an emendatius. Regum enim sunt haec imperia (ut ait Cicero in oratione pro Rabirio) post animadverte, et dicto pare. Item illae minae; si te secundo limine hic offendero, moriere. Si secunda iussa non impune exspectantur, nimurum contumacia plus quam capitalis est.

*Tranquillissimis quoque pectoribus*] Haec etiam verba addunt emphasis non negligendam, quod iuvenem deturbare de placido animi statu non potuerint temeritas hominum et contumacia, quae patientiam excutient viris patientissimis, et omni perturbatione liberis. Hoc enim significat nobis tranquillitas, ut facile intelligitur ex verbis Ciceronis Tuscul. IV. In his, inquit, explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, deinde Platonis descriptionem sequar: qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam: in illa altera motus turbidos, tum irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. Est igitur tranquillum pectus, bene compositum, nec ullis affectibus obnoxium, quos Graeci *πάθη*, id est passiones, appellant. Tranquillitas ipsa, animi moderationis, et quasi aequanimitas: quam alibi securitatem, alibi pacem vocat Seneca noster. Theologi semper fere pacem. Haec etiam ipsa est insignis illa *εὐθυντική* Democriti, dicta quasi animi alacritas: de qua Cicero in V. de Finibus et Diogenes Laertius.

*Ostentanda per terrores potentiae*] Tyrannorum est hoc solenne, putare abiectam esse potentiam, quam non alienis miseriis exerceant. Sic saepe tales personae a Tragicis inducuntur. Nero apud Senecam in Octavia:

Calcat iacentem vulgus.

Ita saeviendo experiuntur quantum sibi liceat.

*Conditum, in o constrictum*] Hanc figuram *μετάνοιαν* vocant rhetores, quam interpretari possis poenitentiam, quae tollit quod dictum est, et pro eo magis idoneum reponit. Vide Rutilium Lupum. Quintilianus et Cicero correctionem vocant. Non nunquam correctiones sunt ironicae, ut illa Cicero-

1) Ita etiam editiones Senecae recentiores.

nis in oratione pro Coelio: Nisi mihi intercederent inimicitiae cum istius mulieris viro, fratrem dicere volui. Quanquam haec peculiari nomine [pag. 11] *σαρκασμός* dicitur a Iulio Rufiniano.

*Nemo non cui alia desint*] Quum alter plectitur, alter poenae eximitur, dicas non tam clementiam esse, quam iudicis sordes. Sic nostris temporibus iudicium nihil est nisi publica merces: Atque Eques in causa qui sedet, empta probat. Verum ubi iudex agit ex aequo cum omnibus indulgenter, verum specimen praebet suaे mansuetudinis. Hoc ergo quasi per modum occupationis accipiendum est, quod dicit tam senectuti quam adulescentiae, tam humilitati quam nobilitati fuisse apud se veniae locum. Occupationem autem intellige, ut apud Fabium lib. IV. quoniam Ciceroni aliud significat in Rhetoricis. Sensus erit: Alii quidem afferunt commendationem familiae et nobilitatis: alii virtute bellica rapinas, peculator, adulteria deprecantur. Quibusdam pro commendatione est adulescentia seu flos aetatis. Ego vero causas mihi sum commentus, quibus possem omnibus succurrere. Nobilitas ipsa per se erat venerabilis, sed plebis humilitas misericordiam concitatbat. Diversis rationibus favorem merebantur. Iuventuti favorem debitum, senectuti reverentiam praestiti. Postremo omni praesidio destitutos, homines saltem esse memini, nominis cognitione ad me pertinentes: quemadmodum ait Augustinus: Persequamur in eis propriam iniquitatem, misercamur communem naturam. Nihil ergo privatis studiis concessum, nihil sordibus.

*Sic me custodio, tanquam legibus*] Bene adiecit, tanquam: quia princeps quidem legibus solutus est: sed digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se, principem fateri. Et re vera maius imperio est submittere legibus principatum: ut est in rescripto Valer. et Theodos. C. de legib. et in rescripto Severi et Antonini legitur: Licet legibus subditi non simus, legibus tamen vivimus. Plinius in Panegyrico: Adsuescat imperator cum imperio calculum ponere; sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus, edicat quid absumperit; ita fiet, ut non absumat quod pudeat dicere. Item: Tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis. Non est princeps supra leges, sed leges supra principem. Sic etiam Augustus ratiocinarium imperii in senatu proposuit. Autor Tranquillus. Rationem accipe pro computo, ut vnlgus loquitur.

*Quas ex abdito in lucem revocamus*] Tiberii et Caligulae tempora tangit, sub quibus iura et leges exsulabant. Nam Tiberius post simulatam aliquamdiu probitatem, in omne crudelitatis genus erupit: Caligula semper sui similis, nunquam improbitatem dissimulavit. Nec imperium Claudi corruptos mores ad meliorem disciplinam revocavit. Primus igitur Nero rebus lapsis opem tulit.

*Alterius aetate prima motus sum, alterius ultima]* Adulescentiae non solum [pag. 12] non invidetur, inquit Cicero Offic. II., verum etiam favetur. Et senectuti antiquitus plurimi honores habiti sunt, tam publicis moribus, quam privatis officiis. Iam illud observatur in autoribus, ut per primam aetatem, pueritiam intelligent: per ultimam, senectutem. Sed singulae aetates trifariam dividuntur, ut docet Servius in quinto commentario Aeneidos: ut sit prima, viridis, adulta, et praeceps. Ideo primam senectutem et extremam pueritiam saepe legimus. Salustius: Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre sua veneno interfecta. Juvenalis Satyra III.:

Dum nova canities, dum prima et recta senectus.

*Alium dignitati donavi, alium humilitati*] Sic alibi: Filium matris lacrymis donabit. Hac loquutione utimur, quum indulgetur venia confitenti delictum. Livius libr. II.: Unum sibi civem, unum senatorem si innocentem absolvere nollent, pro nocte darent. Idem lib. III.: Inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet invidiam, sed veniam errori atque adulescentiae petendo sibi, qui non dicto, non facto quenquam offendisset, ut condonarent filium, orabat. Idem lib. VIII.: Bene habet, vicit disciplina militaris, vicit imperii maiestas, quae in discrimine fuerunt an ulla post hanc diem essent. Non noxae eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit: sed noxae damnatus, donatur populo romano, donatur tribunitiae potestati precarium, non iustum imperium forenti.

*Hodie diis immortalibus*] Ut populus se ad principis voluntatem attemperare debet, ita principi providendum, ut Iovem deosque propitios habeat. Nam hoc eleganter ab Horatio dictum est:

Regum timendorum in proprios greges,  
Reges in ipsos imperium est Iovis,  
Clari giganteo triumpho,  
Cuncta supercilio moventis.

Consideret ergo princeps, a diis populi susceptam administrationem, et iis ipsis rationem aliquando reddendam: atque ut ait Theseus apud Senecam in Hercule furente:

Iudex futurus, sanguine humano abstine,  
Quicunque regnas, scelera taxantur modo  
Maiore nostra.<sup>1)</sup>

*Si rationem a me repetant*] Allusit ad morem antiquum, quo censores ab iis qui magistratum gesserant, rationem sui magistratus reposcebant. Cicero lib. III. de Legibus: Apud eosdem censores, ii qui magistratu abierint, edant et exponant quid in magistratu gesserint. Et Proconsules rationes ad aerarium referebant.

1) Ed. Amst.: vestra. Sic etiam edd. tragoeiarum.

*In fida tutela haberi]* Cicero Offic. I. comparat administratores reipublicae tutoribus. Ad quod videtur respxisse Cornelius Tacitus libr. I. quum de Tiberio loquitur imperium recusante: Inter quae, inquit, senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tibérius se ut non toti reipublicae parrem, ita quaecunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. [pag. 13] Quoniam igitur tutoribus non sua fraus solum, sed etiam sua negligencia periculosa est, dicit Seneca Neronem eius generis rationes diis approbare posse, quae exiguntur a tutoribus.

*Non perdis operam]* Plerumque ingratitudine vulgi de recto instituto deducuntur qui rempublicam præclare antea gesserant. Unde illud Homeri carmen Odysseae V., quod Erasmus inter paroemias retulit Chiliade III.:

Μή τις ἔτι πρόσφρων ἀγανὸς καὶ ἡπιος ἔστω  
Σχηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἰσιμα εἰδὼς,  
Ἄλλ' αἱδί χαλεπός τ' εἴη καὶ αἰσνλα ἔβει.

Sic transtulit Erasmus:

Posthac ne placidus sit quisquam, neve benignus,  
Nec mitis, iustique tenax rex sceptriger unquam,  
Sed semper ferus esto, et semper iniqua patrato.

Hoc idem testatur Valerius lib. VIII. Ipsa natura nobis alacritatem subministrante, quum honorem industriae appeti, et exsolvi grata videmus. Ergo admonet Neronem Seneca de gratitudine populi, primum, ne videatur beneficia iam impensa perdidisse, aut male collocasse: deinde ut in futurum melius animatum reddat.

*Malignos aestimatores]* aut ieunios et parcos. Sic colles malignos dixit Vergilius quasi steriles et infoecundos. Quintilianus lib. II.: In laudandis discipulorum actionibus nec malignus, nec effusus. Contra Donatus in Terentii Adelphos: Benigne, inquit, large, et abunde. Sic accepit Horatius:

Atque benignus  
Deprome quadrum Sabina  
O Thaliarche merum diota.

Item:

Manabit ad plenum benigno  
Ruris honorum opulenta cornu.

Vel malignos, id est malevolos. Quintilianus lib. XI.: In carminibus utinam pepercisset, quae non desierunt carpere maligni. Contra idem Seneca lib. V. de beneficiis: Non aliorum annos computare, sed suos benigne aestimare.

*Refertur tibi gratia]* Atqui videtur potius haberi gratia, quam referri, quum beneficium beneficio non pensetur. Verum hic accipiendum est quemadmodum in oratione pro Plancio illud Ciceronis: Gratiam et qui refert, habet: et qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Et Epistol. lib. V.: Illud in amicitia mutuum, quum par voluntas accipitur et

redditur. Alioqui referre gratiam, est beneficii vicem rependere.

*Nemo unus homo]* Est ἀρχαισμὸς, quia nemo, hominem comprehendit. Terentius in Eunicho:

Num quis hic me sequitur? Nemo homo est.

Cicero pro Sylla: Nisi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem servias. Cato: Caduceatori nemo homo nocet. Idem pro Rhodiensibus: Si nemo esset homo quem vereremur, quidquid liberet faceremus. Et est exaggeratio ex comparatione, quia in unius gratiam se ponere, non adeo difficile est, quam tot [pag. 14] hominum voluntates sibi conciliare.

*Sed ingens tibi onus]* Quasi diceret: Gravis tibi adversaria constituta est: vide ut hominum opinioni satisfacias, quam de te conceperunt.

*Nemo divum Augustum, nec Tiberii prima tempora]* Qui bene de subditis meriti sunt principes, quum moriuntur, et desiderium sui praesentibus relinquunt, et posteris aeternam memoriam. Praesertim illud fere usu venit, ut in praesentibus miseriis pristinae felicitatis occurrat memoria. Quum vero non reflectunt oculos ad praeterita, nimirum acquiescent in praesentibus. Quod ipsum ad magnam Neronis laudem pertinet. Divum Augustum dicit secundum verbi proprietatem, quam Servius annotavit in V. commentario Aeneidos. De imperatorum consecratione alibi dicetur. Postremo non oscitanter praetereundum, quod Augustum dicit, et Tiberii prima tempora. Nam Augustum post adeptam monarchiam nihil crudeliter egisse legitur, verum sic omnia ad civilitatem composuisse, ut ultima cum primis contigeret. Quo merito assequutus est ut non defuerint post mortem, qui saeculum augustum appellandum censerent, quemadmodum saeculum aureum, ut refert Tranquillus. Tiberius hominum opinionem de se conceptam febellit, quum paene novum induit hominem: nec solum erupit in omnem crudelitatem, sed omni genere nefariae libidinis flagravit, alterum prorsus romani imperii dedecus. Vide Tranquillum.

*Nec, quod te imitari velit]* Quos volumus ad virtutem tanquam subditis calcaribus incitare, sollemus iis proponere magnos viros ad imitationem. Unde historia vitae magistra Ciceroni, in qua tanquam in speculo vitae nostrae rationem intuemur. Quid fugiamus, quid sequamur, cernimus oculis. Sed extraneis exemplis minime indigent, quibus est a natura ingenita probitas. Quod hic voluit Seneca. Cicero Dolabellae Epist. IX.: Quid est quod ego te horter ut dignitati et gloriae servias: proponam tibi claros viros? quod facere solent qui hortantur. Neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitare oportet, tecum ipse certes. Idem lib. II. Curioni: Tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Et lib. XIII. ad

Varronem: Et iam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plinius in Panegyrico: Quam magnum est ex omnibus patrio more, patria virtute laetari, et sine aemulo, sine exemplo secum contendere. Exemplar hic proprie usurpavit. Nam, ut ait Festus Pompeius, exemplum est quod sequamur aut fugiamus: exemplar ex quo simile faciamus, impropter dictum a Tranquillo in vita Tiberii. Quam velut exemplaria saevitiae enumerare sat erat. Item a Cornelio Tacito lib. XII.: At si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero. Debeuerant exemplum [pag. 15] dicere.

*Ad gustum exigitur*] Id est conformatur et regulatur ad omnium voluntatem et desiderium. Livius lib. IV. belli Macedon.: Nolite ad vestras leges exigere ea quae Lacedaemone fiunt.

*Nemo potest personam diu ferre*] Quod prius bonitatem ad tempus sumptam, nunc personam dicit, sumpta a comoedis et tragoedis<sup>1)</sup> metaphora, qui personati solebant agere in theatro. Unde ferre personam, quasi a nativa forma desciscere. Et personatum hominem dicimus fucatum et hypoeritam. Apuleius lib. VIII. Metam.: Astuque miro personata, garrenti sunmisseque deprecanti, adhuc, inquit, tui fratri meique mariti facies pulchra illa in meis diversatur oculis.

*Ficta cito in naturam suam recidunt*] Imitatio est Ciceronis ex II. Offic.: Socrates hanc viam proximam et quasi compendiariam ad gloriam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberet, talis esset. Quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabiliter se gloriam consequi posset, valde decipiuntur. Vera enim gloria radicem agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt: nec simulatum quidquam potest esse diuturnum. Quid? nonne et nostra aetate videre est monstra quaedam hominum intercutibus vitiis madentium, praferentium tamen externam speciem et larvam probitatis? Qui tamen instar cerac colliquescent, quum sese exseret veritas, quae filia est temporis. Vendant ut volent, populo tristes sanctimonias, erit aliquando ut fumo percat, qui fumum vendiderit. Cicero ad Attic. lib. VII.: Quam non est facilis virtus, quam vero difficilis eius diurna simulatio.

*Ex solido enascuntur*] Corpus solidum apud Geometras, quod triplici dimensione constat, longitudine, latitudine et altitudine, ut est apud Gellium lib. I. cap. 20 et apud Euclidem lib. I., opponitur inani seu vacuo. Horatius Satyr. II.:

Et inane absindere soldo.

Hic ergo translatitie ex solido enasci dicitur, quod non tantum superficiem habet aut cutem supremam,

1) Nonnullae rec.: comoediis et tragoediis.

sed plenum est et integrum: qualiter Donatus enarrat in Andria Terentii. Sic Curtius lib. IX.: Nostra quoque gloria quum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis.

*Magnam adibat aleam*] Significat rem romanam in magno discrimine fuisse prius quam Nero certam vitae rationem habuisset constitutam: quum nondum scilicet aliquod ingenii specimen exhibuisset, unde caperetur coniectura probae indolis. Est enim aetas illa flexibilis et lubrica, quae facile et rerum imperitia labitur, et alienis consiliis abstrahitur, postremo a recta honestaque disciplina ad luxum voluptatesque delabitur, ait Herodianus. At vero in moribus principis agitur publicum aut commodum, aut periculum. Nil igitur mirum si magnam adibat [pag. 16] aleam populus romanus. Nunc vero evolavit periculum, sic iacta sunt fundamenta, ut non possit a laeto principio dissentire oxitus. Notum est aleam esse ludum fortunae subiectum varietati: a qua significazione primitiva haec per similitudinem derivatur, quae significat omne cuiuscunque generis periculum. Horatius libro Carm. II.:

Periculose plenum opus aleae.

Lucanus lib. VI.:

Placet alea fati

Alterutrum mersura caput.

Livius idem verbum apposuit, quo nunc utitur Seneca: cuius verba sunt lib. I.: Qui non contenti libertate certa, in dubiam imperii servitique aleam imus; ineamus aliquam viam, qua utri utris impenit sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi decerni possit. Dictum Caesaris Iulii a Suetonio recitat: Iacta est alea. Quo significatur, summam rei fortunae manibus et imperio permisam. Graece apud Plutarchum ηρθη κυβος.

*Quo se nobilis indoles daret*] Id est, quibus studiis animu[m] applicaret,<sup>1)</sup> quam vitae methodum sequeretur. Honesta est loquutio. Cicero libro XIII. ad Atticum: Quare da te in sermonem, et persecuta, et confice, excita, compella, loquere. Et lib. XIII. Epist. famil.: Si qua offensiuncta facta est animi tui perversitate aliquorum, des te ad lenitatem, vel propter summam humanitatem, vel honoris mei causa. Sic etiam hic, quo se daret, id est ad quos affectus animum appeileret<sup>2)</sup> et inclinaret. Haec enim duo verba applicare et dare, apud Ciceronem pro eodem posita reperiuntur. Verrina IV.: Bene penitus, inquit, in istius familiaritatem sese dedit. In oratione autem pro Cluentio: Se ad hominis egentis, audacis, in iudiciis corrumpendis exercitati, tum autem iudicis Staleni familiaritatem applicavit. Idem Cicero alia syntaxi usus est libro XIII. Epist. quum dixit: M. Varro petitioni se dedit.

1) Edd. recentiores: appellaret. 2) Sic libri nostri omnes, sed princeps in emendandis: applicaret.

*Vota publica in tuto sunt]* Aut vota publica appellat quae solenni ritu concipiebantur, primum ob salutem principis, deinde ob reipublicae prosperitatem, ut supplicationes: quemadmodum dicit Juvenalis Satyr. X.:

Sed multae urbes et publica vota  
Vicerunt.

*Aut certe vota publica simpliciter, quae unusquisque caritate patriae concipit.* Prior interpretatio magis convenit.

*Non enim est periculum ne te tui subita capiat oblivio]* Iam res extra aleam posita est, quia certum ex indole est, quale futurum sit ingenium Neronis: sicut de periculo cogitabatur quum nondum se indoles deprompsisset. Ergo contrariam rationem sequitur contrarius effectus. In hanc sententiam Cicero Dolabellae: Nec licet quidem tibi iam tot rebus gestis, non tui similem esse. Subita, non solum repentina, sed etiam inconsiderata. Siquidem quae ex tempore fiunt, fere non habent consilium. Ideo subitum pro inconsulto [pag. 17] accipitur. Q. Cassius Ciceroni lib. XII. Epist.: Ut haec novissima nostra facta, non subita, nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus quarum tu testis es. Et Gellius vocat subitariam dictionem orationem extempore. Eleganter autem designamus inconstantiam, quum alicui irrepere sui ipsius oblivionem dicimus. Transfertur ad res inanimatas. Cicero Epist. IX.: Nisi te amant, tibi assentantur, et tam diu dum ades, sunt oblitaes sui. Hoc est, a nativo ingenio degenerant. Caeterum Plinius lib. VII. naturalis historiae alia syntaxi usus est, quam hic Seneca: Ex praealto, inquit, tecto lapsus, matris et affinium propinquorumque cepit oblivionem.

*Facit quidem avidos nimia felicitas]* Sententia est catholica, quam praemittit ad amplificationem, ut miraculi loco subiungat, felicitatem suam populo romano sufficere. Hanc sententiam eleganter exprimit Livius in praefatione: Adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium perreundi, perdendique omnia, invexere. Et Curtius lib. VII. in oratione Scytharum ad Alexandrum: Quid tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem: ut quo plura haberet, amplius quae non haberet cuperes. Notum est illud Ovidii in I. Fastorum:

Creverunt et opes, et opum furiosa cupido:  
Et quum possideant plurima, plura petunt.  
Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,  
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

Juvenalis Satyr. XIV.:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

*Nec tam temperatae cupiditates]* Nomen cupiditatis variam habet acceptancem, hic vero refertur ad sensum superiorem. Sic philosophi vocant se-

dem concupiscentiae, quae continet omnes animi passiones, et illos interiores affectus imperio rationis non subiacentes. Quod ut clarius fiat, accipiamus partitionem illam Epicuri quam refert Cicero lib. I. de Finibus: Cupiditas

Naturalis et necessaria

Naturalis non necessaria

Parvo parabilis.

Mediocri sumptu

contenta.

Nec naturalis nec necessaria Inexplibilis.

Tres igitur quum sint cupiditatum species, hunc locum de tertia specie, seu de tertio membro intelligamus, cupiditate scilicet insatiabili: cuius, ut ait Cicero, nec modus nec finis inveniri potest. Et Seneca in multis, tum Epist. V.: Necesse est in immensum exeat cupiditas, quae naturalem modum transsilit.

*Gradus a magnis etc.]* Sic idem de consolatione ad Albinam: Eadem natura in omni desiderio [pag. 18] quod non ex inopia, sed ex vitio nascitur. Quidquid enim illi congesseris, non finis cupiditatis erit, sed gradus.

*Omnibus tamen civibus]* Sensus est: Quamvis nemo boni aequique consulat fortunam suam, tamen romanus populus iam non potest dissimulare suam felicitatem: nec est tanta impudentia praeditus, ut cupiditatibus suis modum non imponat. Atque id quidem omnes ad unum confitentur, omnes uno ore, uno consensu praedicant, se ad summum fortunae pervenisse.

*Confessio exprimitur]* Verbis usus est significantissimus. Nam, ut ait Donatus in Adelphos, confitetur, qui invitus: et exprimere est premendo educere. Terentius in Eunicho: Una mehercle falsa lacrymula, quam oculos terendo vix vi expresserit. Ubi Donatus interpretatur verbum positum ad *αὐξησιν*. Libet alia exempla subiucere, quae melius verbi elegantiam ostendant. Livius libro III.: Sed ut exprimatur confessio, domitam subactamque gentem sub iugum abituros. Et libro XXI.: Nunc et a nobis confessio culpae exprimitur, et a confessis res repetuntur. Plinius in Panegyrico: Abeant voces illae quas metus primebat. Tranquillus in Tiberio: Quum inter proximos versanti et trepidatione detecto tormentis expressa confessio est cogitati facinoris. Latinus Pacatus in Panegyrico dixit excutere confessionem. Graecis hoc est *ἐκβάλεσθαι*.

*Nec quidquam accedere posse, nisi ut perpetua sint]* Nullum est non modo perpetuum, sed ne diuturnum quidem bonum. Et, ut ait ille, sorti appendix est illætabilis omni. Itaque non minus de retinenda quam de comparanda cogitandum est. Hanc nimirum accessionem iure optare potest romanus populus, ne ante tempus pereat.

*Multa illos cogunt ad hanc confessionem]* Nunc ad rationes descendit quibus populus romanus convincitur, ne possit salva fronte suam felicitatem in-

fitiari. Quum autem hanc confessionem tardissimam vocat, alludit ad illam Horatii sententiam Satyri.<sup>1)</sup>

*Qui fit Maecenas, ut nemo quam sibi sortem  
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?*

*Ius supra iniuriam positum]* Iniuriae nomen varie accipi potest. Si contumeliam intelligas, sensus erit: Legum praesidio sic esse munitos qui iniuriae sunt obnoxii, ne potentia aut factione adversariorum opprimantur. Nam, ut ait Ovidius,

Inde datae leges, ne fortior omnia posset.

Malim tamen hic interpretari iniquitatem, quasi non iuriā,<sup>1)</sup> iuxta verbi etymon, ut docet Ulpianus in libro I. ff. de iniuriis; ut simpliciter significet non esse locum iniuriae, ubi iure et legibus omnia administrantur. [pag. 19] Quum leges silent inter arma, quum iudicium sententiae redimuntur, socii impune spoliantur, omnes reipublicae partes constuprantur, tu: c iniuria iure superior. At vero ubi non armorum licentia disiectae leges, ubi iudicia incorrupta, nullae sociorum oppressiones, omnia reipublicae membra bene composita, ius iniuriā superat.

*Cui ad summam libertatem nihil deest]* Prolepsis ad tacitam obiectionem. Posset enim aliquis, ad summam populi felicitatem libertatem desiderare, qua nihil pretiosius aestimabant Romani: nempe qui ingenuum esse ducerent, potius bis mori, quam servire. Quamobrem addit libertatem ad ea bona quibus principis liberalitate populus fruebatur. Quam tamen eatenus temperat, ne vertatur in licentiam pereundi. Neque hoc agitur, ut monarchia democratiae praefatur, aut aristocratiae: sed rem romanam eo iam devenisse innuit, ut stare non possit sine libertatis temperamento. In quam sententiam Lucanus:

*Invida fatorum series, summisque negatum  
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus,  
Nec se Roma ferens.*

Horatius in Epodis:

*Suis et ipsa Roma viribus ruit.*

Imposuerunt enim ipsi sibi monarchiae necessitatem, quum illud corpus bene compactum mutuis factionibus dissiparunt. Nunc ad verba autoris redeamus. Omnes fere panegyristae inter principis laudes temporis sui libertatem enumerant: ut Martialis lib. V.:

*Sub quo libertas principe tanta fuit.*

Imperatori non tam regnum, quam procurationem quandam civilem asserunt. Observandum est verbum licentiae hic positum in malam partem, quemadmodum fere accipitur apud autores: ut Valla

annotavit. Quintilianus libro III: Quae in aliis libertas est, in aliis licentia vocatur. Livius libro IV. belli Macedon.: Omnim rerum libertatem, imo licentiam, si vera dicere volumus, desiderant. Errat tamen Erasmus, paco eius dixerim, qui negat in bonam partem usurpari posse sine barbarismo. Nam ut omittam iurisconsultos probos latinitatis autores, quibus hoc verbum est identidem in ore, non abstinent alii classici. Cicero Offic. I.: Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam quae ab honestis actionibus non fit aliena. Et Cornelius Tacitus: Ad ea Drusus quum arbitrium senatus et patria obtenderet, clamore turbatur, cur venisset neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia. Idem lib. XIV.: Caeterum se, qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere; statuerent ut vellent, datam et absolvendi licentiam. Nam Iulium Capitolinum allegare nolo, qui veterem romani sermonis [pag. 20] puritatem interdum negligit.

*Caetera bona pro portione fortunae]* Potest et divisim legi, pro portione, et ut sit unum verbum, uno eodemque stante sensu. Proportio est quam Graeci ἀναλογία vocant. Unde apud Aristotelem lib. V. Ethicorum ius analogum, quasi proportionale (ut ita dicam) quod in distribuendis honoribus versatur, comparatione utrinque habita. Probat ergo Seneca virtutis huius excellentiam ab utilitate, quia maxime sit popularis: cuius fructus ad omnes reipublicae ordines pertineat. Liberalitas quidem virtus est vere regia, sed non perinde in omnes diffunditur. In magistratibus eligendis, in conferendis dignitatibus debet habere princeps prae oculis ius illud analogum, ne sit iniqua distributio. Quare non potest liberalitatem promiscue exercere. Clementiae vitam acceptam indifferenter ferunt, quibus parcitum est, sive senatorii sint ordinis, sive infima de plebis faece.

*Nec est quisquam]* Est occupatio, quae transitum facit ad proximum caput, ne cui videatur minus consulte dictum, omnes idem a clementia expectare, quoniam innocentia, qui conscientiae fiducia nituntur, nolunt sibi ignosci si quid deliquerint. Hinc illa Catonis vox plena securitatis, se gratia quam ex benefactis exspectabat, privari malle, quam non luere poenam quae ex maleficio sibi deberetur. Verum Seneca dicit, nullum obstinate adeo fidere conscientiae, ut non malit veniam sibi paratam esse si quando de via deflexerit, quam severitatem inexorabilem. Huc etiam facit, quod errores dixit, nomen levioris delicti. Ovidius I. Tristium:

*Et me meus abstulit error,  
Stultaque mens nobis, non scelerata fuit.  
Et alibi pluries.*

1) Ed. Amst. et aliae nonnullae: iniuriam.

## CAPUT II.

*Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri: quoniam nisi post crimen, supervacua est: et sola haec virtus inter innocentes cessat. Sed primum omnium sicut medicinae apud aegros usus, etiam apud sanos honest, ita clementiam quamvis poena digni invocent, etiam innocentes colunt. Deinde habet clementia in persona quoque innocentium locum: quia interim fortuna pro culpa est: nec innocentiae tantum clementia succurrit, sed saepe virtuti: quoniam quidem conditione temporum incident quaedam quae possint laudata puniri. Adiice, quod magna pars hominum est quae reverti ad [pag. 21] innocentiam possit: sed non tamen vulgo ignoroscere decet. Nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio. Itaque adhibenda est moderatio, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciatur. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abscissam. Nam tam omnibus<sup>1)</sup> ignoroscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile est temperamentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet. Sed haec suo loco melius dicentur.*

Movet obiectionem a persona adversarii. Sunt enim qui falso putant clementiam esse poenae remissionem. Culpam vero poena premit comes. Unde fit ut clementia nihil aliud esse videatur quam species impunitatis. Hanc falsam et stolidam opinionem diluit Seneca, simul et invidiam clementiae quae ex ea nascitur. Nullus enim solidi iudicij clementiae locum assignaret inter virtutes, qui ius quoddam asyliae sceleratis et noxiis hominibus esse existimaret, et improbos sustinendo, nutrire audaciam.

*Sed primum omnium sicut medicinae apud aegros usus est] Haec prima ratio diluendae obiectionis, quod licet clementiae fructum soli nocentes sentiant, non ideo tamen perdit nomen virtutis inter bonos: idque aptissima similitudine confirmat. Medicina enim, etiam nulli sint morbi, semper aestimatur ars humano generi necessaria: nec tamen exercet vim suam nisi temporis ratio exigat.*

*Ita clementiam quamvis poena digni invocent] In iudiciis prima quaestio facti agitatur. Quum hominem occidii accusatus negat se hominem occidisse, atque id, ut ait Quintilianus certissimum est causae praesidium, proximum est defendere iure occisum: ubi iam non factum in dubium trahitur, sed facti qualitas, haec erit quaestio legitima: ultima deprecatione, quae nulla est nisi post confessionem criminis, quum nec infitiari facinus perpetratum possumus, nec recte perpetratum defendere. Tum descendimus*

ad implorandam veniam, iudicis misericordiam lacrymis elicimus sine ulla specie defensionis. Ideo deprecatione rara admnodum, ut ait Quintilianus lib. V. et apud eos solos iudices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur. Et idem autor lib. VII.: In senatu et apud populum et apud principem, et ubique cuncte iurius clementia est, habet locum deprecatione. Vide Ciceronem lib. II. Rheticorum et de Inventione. [pag. 22] Non tamen praetermissim locum insignem Ciceronis in oratione pro Ligario, quo solo exemplo quid sit deprecatione, facile intelligas. Causas, inquit, Caesar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum. Certe nunquam hoc modo, ignoscite iudices, erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac. Ad parentem sic agi solet; ad iudices: non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen. Hinc satis constat cur dixerit Seneca poena dignos invocare clementiam. Et Publius Mimoigraphus:

Mala causa est quae requirit misericordiam.

*Deinde habet clementia in persona innocentium locum] Sic prius clementiam defendebat Seneca, ut concederet virtutem inter innocentes otiosam. Nunc tempus incidere demonstrat, quo iis ipsis serviat clementia. Sunt enim quaedam magis imputanda fortunae, quam destinatae malitia: nec tamen poenae eximuntur, si ad summum iuris rigorem exigas. Sunt alia quae ex circumstantiis temporum qualitatem accipiunt: et quae nuper virtutis laudem merebantur, nunc vitio vertuntur. Haec si ad exactam severitatem referantur, legitime puniri: si ad aequitatem, legitime condonari possunt. Bene ergo Ovidius Tristium I.:*

Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum  
Quaerere.

Itaque et apud Quintilianum status est ad actum pertinens, seu ad praxin, utrum sciens quis deliquerit, an insciens; necessitate, an casu. Multa enim fiunt eadem, sed aliter.

*Adde quod bona pars] Iam tertium hoc argumentum ad tollendam calumniam, quae causabatur clementiam non nisi ad fovendam malorum audaciam valere. At vero, inquit Seneca, multi sunt qui nondum pravitatem penitus imbibierunt, qui, si moderatam correctionem adhibeas, respiscere possunt. Nonne ineunda fuerit ratio, qua possis huiusmodi homines in viam reducere? Et hoc praestat clementia. Multum valet ad impetrandam veniam, inquit Fabius lib. VII., si spes in futurum innocenter victuri, et in aliquo usu futuri. Vel, ut Cicero, optimus post naufragium portus, est poenitentia. Haec tamen non nisi clementiae beneficio contingere possunt. Seneca lib. I. de Ira: Dimittit saepe eum cuius peccatum deprehendit, si poenitentia facti spem bonam pollicetur, si intelligit non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt*

1) *Edd. recentt. inde a 1597: hominibus.*

aniino inhaerere: dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus. Caeterum quod hic Seneca reverti ad innocentiam, Terentius in Andria redire in viam dixit, Cicero ad meliorem frugem se recipere.

*Non tamen vulgo ignoscere decet]* Hactenus Seneca non semper esse summo iure agendum disseruit: sed quoniam sapientes definunt virtutem [pag. 23] esse mediocritatem, quae est, ut Cicero loquitur, inter nimium et parum: prospiciendum est ne clementia in excessum prolapsa, vitio magis quam virtuti adscribatur. Est quidem ignoscendum, sed non omnibus. Quidam enim venia emendantur, alii depravantur. Hac ratione si iudex poenas temperet, sciet quibus finibus virtutis medium limitetur. Vulgo, adverbium est, quod significat passim et sine discriminé, ut ostendit Cicero in oratione pro Muraena: Num locum ad spectandum dare, aut ad prandium invitare? Minime, sed vulgo passim. Quid est vulgo? universos. Vergilius Georg. III.:

Nec funera vulgo  
Tam multa informes ursi stragemque dedere.

Terentius in Heautontimorumenos:

Quod ego tantum sceleris admisi miser?  
Vulgo id faciunt.

Non igitur infimum plebis ordinem venia dignum negat, sed clementiam, ne sit dissoluta ac nimia, certa ratione terminat.

*Ubi discrimen sublatum est, confusio sequitur]* Nunc rationem assignat, cur non sit vulgo ignoscendum: quia sunt plerique adeo perditæ ac profligati, ut nisi poena coercentur, statim abrupturi sint pudoris ac modestiae repagula. Hic meminerit iudex, veterem ferendo iniuriam, novam se irritare. Pronponat sibi quod ait Cicero in Miloniana, maximam illecebram peccandi esse impunitatis spem. Et actione V. in Verrem: O consuetudo peccandi quantum habes iucunditatem in improbis quum poena abfuit, et licentia consequuta est. Ita serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccandi libera, finem ut audacie statuere non possit. Offic. II.: Nisi multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenisset licentia. Hae sunt iudicis partes, ad levicula connivere, et quae ad exemplum trahi non possunt: alia vero acriter observare, quae exemplo etiam nocent. Bene ergo Cicero ad Brutum: Salutaris severitas vincit inanem speciem clementiacis.

*Itaque adhibenda est moderatio]* Iam ostendit neque iustum esse severitatem, quae praeceps adeo et inexorabiliter poenas exigit, neque videri clementiam inter virtutes numerandam, quae passim ac promiscue se exhibet. Consectarium est, laudabilem esse moderationem quae aliquid ex utroque temperet. Hanc sententiam pulchre exsequitur Cicero ad Brutum. Ut Solonis, inquit, dictum usur-

pem, qui et sapiens fuit unus ex septem, et legum scriptor solus e septem. Is rem publicam duabus rebus contineri dixit, praemio et poena. Est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quaedam in utroque genere mediocritas. Publius Mimographus: Bonus iudex est qui novit dispensare quod dandum est, et quatenus.<sup>1)</sup> Cicero Offic. I.: Et tamen ita probanda est mansuetudo, ut adhibeat reipublicae causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Hoc voluit Plinius in [pag. 24] Panegyrico his verbis: quam mitis severitas, quam non dissoluta clementia.

*Sanabila ingenia a deploratis]* In hoc discrimine temperamentum est, quod in poenis constitutis requiritur. Sic habet Platonis lex lib. IX. de legg.: Quos vero insanabiles esse legislator cognoverit, ultimo suppicio hos afficiet, non ignorans satius fore iis qui insanabiles sunt, mori, quam vivere: ac si vita privantur, duplum prodesse caeteris. Nam et ipsorum exemplo caeteri deterrentur, et improbis hominibus civitas mundatur. Sic præfatur Tullus Hostilius apud Livium, quum animadvertisit in Metium foedifragum ac proditorem: Meti Suffeti, si ipse discere posses fidem ac foedera servare, vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset: nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo suppicio doce humanum genus ea sancta credere, quae a te violata sunt. Sanabila ingenia metaphorice deploratis opposuit, translatione a medicis sumpta. Nam deploratum ea ratione dixit, qua Terentius conclamat, pro desperato. Sic Livius lib. V.: suam quiske spem, sua consilia communibus deploratis exsequentes. Lib. IX.: quum haec audirentur et dicerentur, et deploratum paene rotum nomen in consilio sociorum fidelium esset. Non adeo frequens est verbum deplorare in hac significatione; Livius tamen utitur lib. III.: id vero regnum haud dubie videri, deploratur in perpetuum libertas. Hinc dueta loquutio, quod mortuorum cadavera rogo imposita deplorantur, et per intervalla conculmantur. Huiusmodi hominem profligissimum Graeci *χακέπιν* vocant, quasi vitiorum habitu depravatum: quo verbo usus est Cicero lib. I. ad Atticum. In id genus hominum id etiam conferri potest: σώματος μὲν ὄρθωστας λάεται τέχνη· ψυχῆς δὲ νόσημα λαργὸς λάεται θάνατος. Corporis valetudini ars medetur: animae morbo sola mors. Frangas enim, ut ait Fabius, citius quam corrigas.

*Nec vulgarem, nec abscissam]* Stili ubertate interdum luxuriat Seneca. Iam dixerat non omnibus nec vulgo ignoscendum: nunc eandem sententiam aliis verbis repetit. Abscissam dixit pro abrupta et

1) *Hanc sententiam inter caeteras quae hodie sub Publio nomine circumferuntur frustra quaestivimus.*

*praelecta.* Valerius lib. II.: Aspero enim et absciso castigationis genere militaris disciplina indiget. Et lib. VI.: Aliquanto ~~longe~~ <sup>longe</sup> Charondae Tyrii praeelectior et abscissior iustitia, ad vim et cruentum usque. Vide Budaeum in annott. poster. Eodem libro: Quam efficax est animi sermonisque abscissi gravitas.

*Tam omnibus ignoscere crudelitas est]* In Mimo Publiano legitur:

Bonis nocet, quisquis pepercit malis.

Non quod boni sanguinis sint appetentes, sed quia non aliunde petunt praesidium quam a legibus quae si malis omnia permitterent, actum esset de omnium bonorum salute. Quintilianus lib. XIII.: Si poenas scelerum expetere [pag. 25] fas non est, prope est ut scelera ipsa permissa sint: et licentiam malis dari, certe contra bonos est.

*In partem humaniorem praeponderet]* Hanc metaphoricam loquutionem a ponderibus sumptam malum ex verbis Gregorii intelligas, qui sic loquitur in Moralibus: Omnis qui iuste iudicat, stateram in manu gestat; in utroque penso iustitiam et misericordiam portat. Sed per iustitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccati temperat poenam: ut iusto libramine quaedam per aequitatem corrigat, quaedam vero per misericordiam indulget. Iam quia difficile est appendi semper aequa lance sententiam, vult Seneca iudicem in clementiam potius quam in crudelitatem esse propensum. Id etiam iure constitutum est, ut si sententiae pari numero adversac ferantur, reus, quasi numero vicerit, absolvatur. Cuius rei rationem reddit Aristoteles Problematum sectione XXIX.

### CAPUT III.

*Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit manumissionis. Secunda quae naturam clementiae habitumque demonstret: nam quum sint vitia quaedam virtutes imitantia, non possunt secerni, nisi signa quibus dignoscantur, impresseris. Tertio loco queremus quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, et usu suam faciat. Nullam vero ex omnibus virtutibus magis homini convenire, quum sit nulla humanior, constet necesse est, non solum inter nos, qui hominem sociale animal communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad utilitatem suam spectant. Nam si quietem petit et otium, hanc virtutem naturae suae nactus est, quae pacem amat et manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes*

*tam supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum [pag. 26] atque universorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxiun animal e cubili prosiliret diffugint, sed tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant, obincere se pro illo mucronibus insidianium paratissimi, et substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubis muniunt: latera obiecti circumfusique defendunt: incurribus periculis se opponunt. Non hic est sine ratione populis urbibusque consensus, sic protegendi amandique reges, et se suaque iactandi quocunque desideraverit imperantis salus. Nec haec vilitas est aut dementia pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere nonnunquam senis et invalidi. Quemadmodum totum corpus animo deservit, et quum hoc tanto maius, tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis, et in qua sede latitet incertus: tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt. Illum haec cutis munit. Illius iussu iacemus, aut inquieti discurremus. Quum ille imperavit, sive avarus dominus est, mare lucri causa scrutamur: sive ambitiosus, iamdudum dexteram flammis obiecimus, aut voluntarie subsiliumus. Sic haec immensa multitudo unius animae circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur.*

Divisio est operis, nondum mihi satis intellecta. Malo enim hominem ingenuae veritatis profiteri, quam frivolis argutiis lectorem eludere. Nam nec eo quo proponit ordine, argumentum prosequitur. Neque in aperto est, quid sibi velit nomen manumissionis in prima parte. Cuius rei culpa non tam nobis forte, quam autori ipsi fuerit adscribenda. Fuit enim peculiare Senecae vitium, confusaneas rerum sylvas congerere magis, quam digerere. In hoc etiam opere deterius, quod dispositionem quam promittit, minime praestat. Hoc tamen, qualecumque est, maioribus virtutibus pensatur.

*Vitia virtutes* [pag. 27] *imitantia* Imitatio est Ciceronis, cuius verba sunt in partitionibus: Cavendum est autem diligenter ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam inclititia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbiam in animis tollendis, et despiciencia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritiam immanis, et iustitiam acerbitas, et religionem superstitionem, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas etc. Hisdem fere verbis Gregorius: Saepse vitia ingerunt, et se virtutes esse mentiuntur: ut tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiae, remissio pietas videri velit. Juvenalis Satyra XIV.:

Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,  
Quum sit triste habitu, vultuque et ueste severum.  
Nec dubie tanquam frigi laudatur avarus,  
Tanquam parcus homo et rerum tutela suarum.

[www.Tanquam.com](http://www.Tanquam.com)

Seneca epist. VI.: Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet. Hanc sententiam eleganter constrinxit verborum compendio Publius Mimo graphus: Timidus se cautum vocat, sordidus parcum.<sup>1)</sup> Quod si verum aliquando fuit, magno nostro malo hodie verissimum experimur.

*Signa impresseris]* Significanter posuit hoc verbum quasi diceret neque descriptionem, neque picturam sufficere: adeo facilis est lapsus in virtutibus discernendis, propter illam, ut Quintilianus vocavit, vitiorum viciniam. Sic Seneca epist. VI.: In his magno periculo erratur, his certas notas imprime. Contrarium est signa conturbare Ciceroni libro septimo epist. ad Atticum.

*Quomodo confirmet eam, et usu suam faciat]* Al ludit ad usucapiones, et praescriptiones iurisconsultorum. Quomodo etiam epist. VI.: Semel traditi boni perpetua possessio est, virtus non dediscitur. Hoc est quod dicunt philosophi, animum hominis, prout virtutibus aut vitiis assuescit, eorum habitum contrahere. Habitus autem sunt acquisitae qualitates, quibus ad nostros affectus bene vel male nos habemus. Sic accipio locum Aristotelis secundo Ethicorum, moralem virtutem ex consuetudine comparari. Abeunt enim studia in mores, ait Ovidius, et apud Curtium lib. V.: Consuetudo natura dicitur potentior. Marius apud Salustum: Mihi, qui omnem aetatem in artibus optimis egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam vertit. Et Aristoteles Problem. sectione VIII. dicit consuetudinem in naturae habitum transformari.

*Nullam vero ex omnibus]* Iam Seneca ab ipsis virtutis commendatione artificiose incipit, quae ex aequo apud omnes [pag. 28] homines valeat. Vix enim ullum operae pretium facoret, si sola honesti contemplatione, Neroni et aliis principibus commendaret clementiam. Scimus ita esse natura comparatum, ut specie utilitatis aut voluptatis magis afficiamus, quam illis Stoicorum paradoxis, a sensu populari abhorrentibus. Sive igitur cum Stoicis in nuda honestatis conspiratione versamur, satis eo nomine placere potest clementia, quae societatem humanam complectitur. Seu ad voluntatem tendimus, seu spe commodi ducimur, et hic clementia locum suum retinet, et dignitatem.

*Quum nulla humanior sit]* Argumentum a coniugatis. Sunt enim derivata homo et humanus. Locus est in Topicis a coniugatione verborum, quam

1) *Lege:* Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.

Graeci συγγένειαν vocant, et coniugata ipsa συγγένεια, ut si compascuus sit ager, licet compascere. Mirum est hanc argumentationem Quintiliano tam nullius ponderis visam esse, ut ridiculum adiicere putaverit, nisi Cicero usus esset: quum haec ipsa sit finitima ei quae ab etymologia dicitur. Ergo quemadmodum Terentianus Chremes, quia homo est, nihil humani alienum a se putat, ita hic Seneca arguit esse hanc homini convenientissimam virtutem, quae omnium humanissima est. Humanitatis nomen varie usurpatur. In hoc loco ea est, quae a Gellio describitur lib. XIII. dexteritas quaedam, benevolentiaque erga omnes homines promiscua, Graecis φιλαρθρωτα.

*Inter nos, qui hominem sociale animal]* Eadem verba ex disciplina Stoicorum a Seneca repetuntur libro septimo de Beneficiis, ac si diceret hanc unam rationem satis efficacem fore, si cum Stoicis esset disputatio, clementiam esse quoddam quasi vinculum humanae societatis et cognitionis. Est enim statum inter eos axioma, homines hominum causa esse genitos, ut mutuas vicissim operas praestent, ut in commune consulant, ut se suaque quatenus publici commodi refert, in commune conferant. Verum statim Epicurei Cyrenaicique reclamabunt, qui ut nihil suis voluptatibus decidere volunt, minime ad se pertinere contendent, ut suo dispendio alienum procurent impendium. Cum iis ne sit illi confitandum, facit ut hanc virtutem suae utilitati consentaneam esse intelligent. De hac autem humani generis societate loquitur satis copiose Cicero lib. Offic. II. et II. de Finibus. Atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli esse natum meminerit, sed patriae, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. Paulo post: Eadem ratio facit hominem hominum appetentem, cumque iis natura et usu et sermone congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum, currat longius, et se implicet, primo ci vium, deinde omnium mortalium societati. Platonis verba, quae a Cicerone allegantur, hodie [pag. 29] quoque exstant in epist. ad Archytam. Cicero tamen haec eadem Stoicis tribuit in primo Officiorum. Aristotle quoque Polit. III.: Dictum est natura esse hominem civile animal ac sociale, ex quo fit, ut etiam si nihil indigeant mutuo auxilio, nihilominus affectionem vitae societatem. Ne hic sim impendio prolixior, vide Senecam epist. VI. epist. XLVIII.

*Communi bono genitum]* Talem Stoicum Catonem descriptis nobis Lucanus lib. II.:

Nec sibi, sed soli genitum se credere mundo.

Item:

In commune bonus.

Seneca lib. I. de Ira: Homo in adiutorium mutuum generatus est. Iuvenalis Satyra IX.:

Principio indulxit communis conditor illis  
Tantum animam, nobis animum quoque, mutuus ut nos  
Adfectus petere auxilium, et praestare iuberet.

**Cui simile est illud Quintiliani in Aegro redempto:**  
Voluit nos ille mortalitatis artifex deus in communis succurrere, et per mutuas auxiliarum vices in alterum, quod pro se quisque timeret, asserere. Ideo **Quintilianus in Apibus<sup>1)</sup>** pauperis, humano vitio factum queritur, ut in propriis quisque usus lucrum duceret.

**Quae pacem amat, et manus retinet]** Hoc pro Cyrenaicis, qui in omnibus prospectum volunt suae utilitati, ut prius explicatum est. Serviunt autem maxime voluptati et utilitati, pax, quies, otium: quae tamen vix inter homines stare possunt, nisi clementiae beneficio. Manum hic accipe pro violentia, in qua significatio est apud Ciceronem lib. I. Offic.: Tamen res vi manuque gesta est. Et Verrina sexta: Nihil aegrius factum est, quam ut manus ab illo appellatore abstinerentur. Contrarium est ad manus venire.

**Nullum tamen clementia]** Bene cohaeret orationis filum. In praecedentibus sic clementiam hominum naturae convenire disserebat, ut hominem non esse contenderet, qui non simul clementi esset ingenio, atque ad mansuetudinem propenso. Est enim clementia vere humanitas: cuius particeps esse, nihil aliud est, quam esse hominem. Nunc quod proprius est scopo, addit esse virtutem heroicam, sine qua imperare principes non possint: sicut Vopiscus ait, primam esse rerum dotem. Id convincit multis rationibus, quae suis locis seorsum observabuntur. Primum tamen continuo subiicit. Quia princeps nullis virtutibus gratiam populi sibi comparare potest, nisi salutari utatur potentia. Polleat licet rex, aut imperator, alias fortunae, corporis, animi dotibus: perdunt omnia gratiam, nisi se mansuetudine fecerit amabilem suis subditis, ac gratiosum. Rursum omnia eius facta dictaque benigne excipientur, si favorem populi sibi hac virtute semel conciliarit. Huc convenit apophagma Gymnosophistae qui interrogatus ab Alexandro, quomodo imperans magnam [pag. 30] sibi gloriam compararet,<sup>2)</sup> respondit id fore si non esset terribilis.

**Nam pestifera vis est]** Quod alibi dixit, non diu potest quae multorum malo exercetur potentia stare. Est enim contrariorum contentio, quia continuo sequitur: Illius demum magnitudo stabilis etc.

**Illius demum magnitudo]** Non tantum cogitandum est principi, quid sibi liceat, sed qua ratione tueatur suam potentiam. Potest instar rabiosae beluae grassari per strages hominum. Verum hoc erit non regnum, sed latrocinium. Latroni vero tot sunt hostes, quot homines. Male ergo sibi prospicit, quisquis magnitudine in multorum perniciem abutitur,

ut omnes contra se armet. At vero illius regnum est stabile, qui non tantum sua, sed et subditorum causa imperat, nimis pastor populorum, ut Homerus vocavit Agamemnona.

**Pro salute singulorum atque universorum]** Respicit illud praeceptum Platonis, ut qui praesunt reipublicae, totum eius corpus curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquias deserant. Qui enim parti consulunt, partem negligunt, inquit Cicero, rem perniciissimam in civitatem inducunt, seditionem ac discordiam.

**Cuius curam excubare]** Alia constructione usus est Plancus libro Epist. Ciceronis X. ex quo intelligi potest curam reipublicae summae defendendae apud nos excubare. Tracta est metaphora ab excubiis quae solent in urbibus disponi, quum ab hostibus est periculum, quasi diceret principem esse publicum quendam excubitorem, qui omnibus horis in salutem populi invigilet. Sic enim sapienter praecepit Homerus Illiados β:

οὐ χρὴ παννίχιον εὑδεῖν βούλησθόν ἀνδρα  
τοι λαοὶ τὸ ἐπιτερράπεται καὶ τόσα μέμηλε.

et Iulius vocabat imperium curam alienae salutis.

**Tanquam malum aliquod aut noxiū animal]** Nam si princeps tyrannice saeviat in suos, ex populosa urbe faciet vastam solitudinem. Plinius loquens de temporibus Domitianus in Panegyrico: Nec salutationes tuas fuga ac vastitas sequitur; remoramus, resistimus, ut in communi domo quam nuper immanissima belua plurimo terrore munierat, quum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum virorum strages cladesque proferret; obversabantur foribus horror et minae: ad haec ipso occursu visuque terribilis; superbia in fronte, ira in oculis etc.

**Sed tanquam ad clarum]** Haec est eximia laus boni principis, cuius aspectu dum sui fruuntur, solem se intueri putant, aut aliud sidus vitale. Sic Horatius ad Augustum carminum lib. IV.:

Lucem reddē tuae dux bone patriae:  
Instar veris enim vultus ubi tuus  
Affulsit populo, gravior it dies  
Et soles melius nitent.

Neque supervacuum est epithetum clari ac benefici, quum et philosophi sic distinguant, ut quaedam benigna [pag. 31] sint et prospera, alia vero adversa ac noxia. Quin et Porphyrius deos coelestes qui sunt ipsa sidera, quosdam esse tradit beneficos, quosdam vero maleficos.

**Obiicere se pro illo]** Nunc fusius explicat id quod prius dixerat, stabilem scilicet esse potentiam quae non magis unius commodis quam communi bono serviat. Magna enim fortuna ut fere invidiam parit, magnis praesidiis protegenda est. Hic vero iure salutem suam commendat omnibus, qui omnium salutem in curam suam ac fidem recipit. Principis vitae aut externi

1) *Edd. recentiores* (1611 ss.): opibus. 2) *Edd. 1597 et seqq.*: comparet.

hostes imminent, aut intestini ac domostici. Hi insidiis adoruntur, illi magis congreguntur aperto marte. *Utrique* <sup>Vitam</sup> *periculo cestum* remedium, ubi subditi parati sunt et mucronibus insidiantur obiicere se et substernere corpora sua etc.

*Substernere corpora sua]* Metaphora est elegans, et cui etiam gratiam addit. rhetorica *ὑπερβολή*. Neque enim proprie sternitur via ad salutem imperantis ex corporibus humanis: neque id caret excessu, ut corpora sua substernant, et iter illi instruant ex strage cadaverum. Verba autem bene inter se convenient, et metaphorae sunt appositissima. Sternere enim et instruere pro eo usitata sunt apud autores, quod alias pavire alias munire dicitur. Ad hanc sententiam videtur Lucanus allusisse libro primo, ubi tamen ironice deridet Neronem:

Quod si non aliam venturo fata Neroni  
Inveneri viam, magnoque aeterna parantur  
Regna diis, coelumque suo servire tonanti  
Non nisi magnorum potuit post bella gigantum:  
Iam nihilo superi querimur, scelera ipsa nefasque  
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos  
Impleat, et Poeni saturentur sanguine manes etc.

*Non hic est sine ratione]* Prolepsis seu occupatio, ne quis cavilletur temeritatem esse atque insaniam, tot hominum millia se morti destinare, ut unius vitam morti eximant: se in certum mortis periculum proiicere, ut ab uno capite repellant. Hic respondet Seneca, principem esse in republica tanquam animum in corpore. Quemadmodum animus omnia membrorum ministeria regit ac moderatur, ita subditi principis nutum ad omnia officia intuentur et observant.

*Multis mortibus unam animam redimere]* Quasi diceret male pensari tot mortes unius vita, coquiepius, si senex iuvenum, valetudinarius robustorum interitu redimitur. Quorsum igitur attinet tantum iacturae facere non ita magna mercede? nonne publice delinquitur, et privatim? Sunt haec etiam dicta *κατὰ τὴν πρόληψιν*.

*Quemadmodum totum corpus]* Nihil ad similitudinem poterat aptius aut proprius excogitari. Siquidem ut princeps et unus est, et interdum senex et valetudinarius, ita animus hominis pusillum est quidam et minutulum, nullis oculis conspicuum. Rursum corporis [pag. 32] vasta moles, et honesta membrorum proportione speciosa, et varia officiorum distinctione. Respublica constat ex infinito paene hominum numero, nec minori officiorum varietate. Tertio membra corporis habent quidem a se vigorem et naturalem impetum, sed penes animum est temperatura. In vulgo plus satis roboris, consilii parum, nisi aliunde sustineretur. Ita per partes excutienda est eorum similitudo quae inter se comparantur. In hanc sententiam refert Tacitus lib. I., quum Tiberius negaret se sufficere toti reipublicae administrandae, interrogatum ab Asinio Gallo quam

sibi partem committi vellet; sed quum Asinius deprehendisset in vultu offensionem, dixisse non ideo interrogatum, ut divideret quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse reipublicae corpus, atque unius animo regendum.

*In qua sede latet, incertus]* Obiter perstringit pugnantes inter se philosophorum sententias, qui nondum in certam ac statam sedem animum receperunt. Herophilus in ventriculo cerebri locum illi constituit, Platon et Democrito magis placet esse in toto capite; Erasistratus circa membranam cerebri, Strato in superciliorum interstitio, Parmenides et Epicurus in toto pectore, Diogenes in arteriaco cordis ventriculo, Stoici integrum cor seu spiritum illi assignant, alii cervicem cordis, alii praecordia, Empedocles sanguinis concretionem. Vide Plutarchum, et nonnulla apud Cicerone in Tuscul. I.

*Manus, pedes, oculi negotium illi gerunt]* Id est, pro illius arbitrio moventur, ac illi deserviunt. Idem Seneca epist. XIV.: Omnes istae artes, quibus aut excitatur civitas, aut strepit, corpori negotium gerunt. In multis exemplaribus perperam legitur corporum, suffragante etiam Erasmo in utraque editione. In hanc sententiam vocavit Cicero sensuum fontem, animum, qui obiecta discernit: sensus, perinde atque illi visum est, sequuntur, aut fugiunt: atque uti vere est apud Salustium, animi imperio, corporis servitio magis utimur. Huc pertinet et illud Quintilianus in Divite accusato proditio: Sic corpora nostra motum nisi de mente non sumunt, et otiosa sunt membra donec illis animus utatur.

*Mare lucri causa scrutamur]* Ponunt philosophi triplicem appetitum, naturalem, sensitivum et rationalem. Primum omnibus naturis attribuunt, alterum animalibus, tertium animae rationali. Rursum appetitum sensitivum sic partiuntur, ut aliis sit appetitus superior, ad affectus interiores pertinens, odium, amorem, tristitiam, spem, metum, et huiusmodi: de quo accipiens est hic locus; alter in passionibus corporis resideat, fame, siti, frigore, et similibus. De quo igitur fit mentio a Seneca, radix est omnium cupiditatum, quas velut [pag. 33] nervos in homine scribit Plato in Legibus, et seu<sup>1)</sup> funiculos quosdam quibus trahamur: et quemadmodum inter se contrariae sunt ipsae, sic et nos raptari in partes varias, nisi domina ratio praefecta fuerit. At vero quia alii in aliis eminent affectus, et, ut ait Propertius,

Naturae sequitur semina quisque sua,  
ideo Seneca nunc avarum facit dominum, nunc ambitiosum. Si avarus est, pro eius imperio

1) *Edd. 1611 seqq.*: cœu.

*Impiger extre mos currit mercator ad Indos,  
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

*Nam verum est quod dicit Horatius?*

Desiderantem quod satis est, neque  
Tumultuosum sollicitat mare.

*Iuvenalis Satyr. XIV.:*

Tu propter mille talenta

Et centum villas temerarius aspice portus,  
Et plenum magicis trahibus mare, plus hominum est iam  
In pelago, veniet classis quocunque vocarit  
Spes lucri, nec Carpatherium Getulaque tantum  
Aequora transiliat etc.

*Propertius libro tertio:*

Ergo sollicitae tu causa pecunia vitae es:  
Per te immaturum mortis adimus iter.

*Item:*

Ite rates curvae, et leti contexite causas:  
Ista per humanas mors venit acta manus.

*Item:*

Natura insidias pontum substravit avaris.

*Sive ambitiosus dominus est*] Ingenue fatetur Seneca quales fuerint egregiae illae ethnicorum virtutes, quae pleno ore decantantur. Tolle ambitiōnem, et fastuosos spiritus nullos habebis, nec Platonēs, nec Catones, nec Scaevolas, nec Scipiones, nec Fabricios. Haec eadem sententia apud Salustium legitur: Dux atque imperator vitae mortaliū animus: qui ubi ad gloriam virtutis via grāssatur, abunde potens pollensque et clarus est. Quod et innuit Vergilius Acneidos VI.:

Vincet amor patriae, laudumque immensa cupido.

*Dexteram flammis obiecimus*] Hoc referendum ad Scaevolam, de quo Livius libro secundo: Qui quum castra Porsenae ingressus scribam pro rege per errorem obtruncasset, accenso ad sacrificium foculo dextram iniecit: a qua clade nomen ei Scaevolae inditum; scaevam enim antiqui dixerunt qui sinistra esset agiliore quam dextra. Augustinus libro quarto De civitate Dei: Cur fortitudo dea non est, quae affuit Mutio quum dextram porrexit in flamas? Meminit et Martialis.

*Voluntarie subsiluimus*] Aut tangitur historia Horatii Coelitis, cuius fit mentio apud Livium eodem libro. Quum enim impetum Hetruscorum tantisper sustinuisse, dum pontem Sublicium Romani diruerent, in Tybrim se coniecit, et multis superincidentibus [pag. 34] telis incolumis ad suos tranavit, ob quod facinus statua illi decreta, et victus annuns. Refert historiam et Plutarchus in Publicola. Aut, quod videtur mihi vero esse proprius, intelligendum de Curtio, qui, ut Livius refert libro septimo, et Valerius libro quinto, in profundam terrae voraginem sese praecipitem dedit, quam expleri debere canebant oracula ea re qua maxime Romani excellerent. Vide Augustinum libro quinto et libro octavo De civitate Dei. Propertius:

Curtius expletis statuit monumenta lacunis.

*Pressura se ac fractura]* Alii codices habent stratura, eodem constante sensu, pro eo quod dixit Horatius:

Vis consili expers mole ruit sua;  
Vim temperatam di quoque provehunt  
In maius, idem odere vires  
Omne nefas animi moventes.

#### CAPUT IV.

*Suam itaque incolumitatem amant, quum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, quum in prima fronte procurrunt, et adversa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur. Ille est enim vinculum per quod res publica cohaeret, ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur. Rege incolumi mens omnibus una: Amisso rupere fidem. Hic casus romanae pacis extitum erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frenos; quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, haec unitas et hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliat: idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parandi fuerit. Ideo principes regesque, et quocunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur ut is quoque carior sit, in quem se res publica convertit. Olim enim ita se induit reipublicae Caesar, ut diduci alterum non posset sine utriusque pernicie. Nam ut illi viribus opus est, ita et huic capite.*

[pag. 35] Si stare non potest sine imperio res publica, si corpus ex multis hominibus collectum, truncum est et imperfectum sine capite, suae salutis sunt propugnatores, quum periculum a capite suo propulsant, quod secum traheret maiorem ruinam. Unum quidem hominem ut defendant, arma induunt, sed cuius incolumitas omnium incolumitatem complectitur: quem si deserunt, praedam se faciunt hostibus. In hoc pacem publicam et privatam, imperii maiestatem, fortunas domesticas possident. Cum hoc omnia pereunt. Quis iam dubitet hac mercede proposita mille mortibus se obiucere? pareant enim necesse est si se ac sua servare velint.

*Denas legiones in aciem deducunt]* Atqui multo plures Caesaris Augusti legiones fuerunt. Is enim quatuor et quadraginta legiones non semel tantum armavit, sed ordinarias habuit ad tutelam rei romanae. Quid autem sit legio, non satis inter classicos autores convenit. Plutarchus enim autor est Romulum divisisse iuuentutem romanam in militares ordines, quorum quilibet peditum tria millia,

equites trecentos habuit: isque numerus vocabatur legio. Livius lib. VIII. legionem scribi testatur ~~quinque lib millibus~~ peditum, et trecentis equitibus. Gellius lib. XVI. ex autoritate Cincii constituit legiōnē ex sexaginta centuriis, quae faciunt sex millia. Si verum est quod legitur in libello qui sub nomine Ciceronis circumfertur de re militari, et exemplaria mendo vacant, legio conficitur ex duobus peditum millibus, quingentis quindecim, equitibus octingentis nonagintaquinque. Verum ego magis crediderim, utcunque pro ratione temporum disciplina militaris immutata fuerit, eo demum processisse, ut decem cohortibus firmaretur: quarum prima esset milennaria, reliquae quingentariae: ut est etiam apud Vegetium, non quod eo numero praecise fini- rentur, sed valuit appellandi compendium, eadem forma qua centumviri pro centum et quinq̄re, et septuaginta interpres pro septuaginta duobus.

*Quum in prima fronte procurrunt]* Frons verbum est militare. Nam ut ait Vegetius lib. III.: *Acies* dicitur exercitus instructus. Frons, quae aduersum hostem spectat. Quintilianus lib. II.: Quid enim si præcipias imperatori, quoties aciem instruit, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? Curtius appellat faciem. Haec, inquit, dexterī cornū facies erat. Deinde sequitur: Frons laevi cornū haec erat. Apparet pro eodem posuisse frontem et faciem. Ibidem appellat prima: Itaque non prima quam latera, non latera muni- tiora fuere quam terga.

*Ne imperatoris sui signa vertantur]* Ex more Romanorum, qui primae cohorti aquilam et imperatoris imagines adtribuebant, utpote quae et nu- mero militum et dignitate praestantiaque [pag. 36] antecelleret.

*Adversa vulneribus pectora]* Quasi hoc dedecus non bene vita pensetur, si quis se vivo ac vi- dente passus fuerit aut verti signa, aut deiici, si signis desertis terga dederit, et pudenda, ut Vergilius ait, vulnera tergo acceperit. Contra quae ad- verso pectore illata sunt, laudantur tanquam mili- tiae decora. Vide Plutarchum in problem.: Dicitur et simpliciter adversum vulnus. Salustius in Catilina: Sed omnes tamen adversis vulneribus conciderant.

*Ille enim est vinculum]* Honestae sunt trans- lationes. Si enim concordia civium alitur imperii dignitas, necesse est ut aliqua inter se veluti catena cohaereant. Imperator igitur est vinculum, quo inter se colligantur, ne dissiliant. Desit rector et moderator, quibus catenis multitudine discors et sedi- tiosa constringetur? quo ferrumine committetur?

*Spiritus vitalis]* Altera est metaphora, qua significatur in suis ducibus vivere ac spirare popu- los: ab unius vita quasi de filo pendere: sicut illa Lucani apostrophe ad Caesarem libro quinto:

Quum tot in hac anima populorum vita salusque  
Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis.

Curtius lib. IX. de Alexandro loquens: Toto eo die, et nocte quae sequuta est, armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes unius spiritu vivere. Verum Senecæ metaphoram magis ad verbum expressit Curtius in persona Philippi medici ad Alexandrum: Rex, semper quidem spiritus meus ex te pependit: sed nunc vero, arbitror, sacro et venerabili ore tuo trahitur. Et imitatus est Erasmus in panegyrico Philippi. Porro hoc a philosophis sumptum est, qui vitam hominis in eo præcipue consistere affir- mant, quod aerem hauriat et recipiat per asperam arteriam, quam Celsus asperam fistulam vocat, et Lactantius gurgulionem: et quae animae aestuantis, ut ait Gellius, iter est: de qua satis multa Cicero lib. II. de Natura deorum. Causam autem cur spi- rare necesse habeamus, vide apud Aristotelem, pro- blematicum sectione XXXIV. problemat XII.: Quam- obrem sunt qui opinantur vitam nihil aliud esse, quam spiritum, seu animam. Servius in illud Ver- gili, *Vitam exhalantem*, secundum eos, inquit, lo- quutus est, qui vitam ventum volunt. Et idem in IV. commentar. Aeneidos quum Vergilius dixisset:

Atque in ventos vita recessit,

Eos, inquit, sequitur, qui vitam aarem esse dicunt. Verius tamen est ex quatuor elementis et divino spiritu constare omnia animalia. Cuius sententiae fuisse Aristotelem constat. Trahunt enim a terra carnem, ab aqua humorem, ab aere anhelitum, ab igne fervorem, a divino spiritu ingenium. Quam- quam aliter astrologi: putant enim nos, quum nas- cimur, sortiri a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, [pag. 37] a Mercurio ingenium, a Iove desiderium, a Venere cupiditates, a Saturno humorem. Non abs re igitur spiritus dictus est a Seneca epitheto vitalis. Nam, ut ait Quintilianus lib. V., illud retrorsus valet, et spirare hominem qui vivit, et vivere qui spirat: ut spiritus pro vita, et spirans pro vivente interdum sine adiecto reperiantur.

*Rege incolumi]* Haec duo hemistichia transtulit ex IV. Georgicon Vergilii, ubi de apibus loquitur:

Præterea regem non sic Aegyptus, et ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes Observant: rege incolumi mens omnibus una; Amisso rupere fidem, constructaque mella Diripuere ipsae, et crates solvere favorum etc.

*Tamdiu ab isto periculo aberit quandiu sciet]* Ferre frenos proverbio dicitur obedienter imperata facere, et domini aut principis imperium moderate ferre. Cui contrarium est frenum mordere. Servavit etiam verbi proprietatem, quum subiicit: Dis- cussos reponi sibi passus non erit. Executi enim proprie dicitur de equis, ut adnotavit Servius in sexto commentar. Aeneidos Vergilii:

Ea frena furenti  
Concutit, et stimulos.

Curtius lib. IV.: Hic territi equi subsistere non poterant, qui crebra iactatione cervicum non iugum modo excusserant, sed curum etiam everterant. Eadem translatione usus est Plinius in Panegyrico: Ergo sustulerant animos, et iugum excusserant, nec iam de sua libertate, sed de nostra servitute certabant.

*Ideo principes regesque]* Amicitia, inquit Cicero, ex variis rationibus contrahitur: sed omnes omnium necessitudines vincit una societas reipublicae administrandae. Lentulus ad Ciceronem epistol. XII.: Atque haec omnia is feci, qui et sodalis et familiarissimus Dolabellae eram, coniunctissimus sanguine Antoniis, provinciam quoque illorum beneficio habebam, sed πατρόδοξα ἐμὴν μᾶλλον φάλω. Omnibus meis bellum primus indixi. Namque in gradibus caritatis prima patriae ab optimo quoque deferuntur, et, ut subiicit Seneca, publica privatis potiora sunt sanis hominibus. Merito igitur ultra privatas necessitudines amantur administratores reipublicae, et quasi patres patriae. Supra declaravimus esse quasi publicos tutores.

*Quocunque sunt nomine]* Utpote reges, imperatores, dynastae, tetrarchae, marchiones, satrapae, veluti nostro saeculo imperatores, reges, duces, barones, comites, vicecomites, liberis populis consules, praetores, dictatores, censure, et huiusmodi.

*In quem se respublica convertit?* Eandem sententiam aliis verbis extulit Cicero ad Appium Pulchrum: Omnes vires civitatis se ad Pompeii ducum applicaverunt. Ideo enim nos in aliquem [pag. 38] convertimus, ut in eum tanquam in parietem incumbamus. Vergilius libro duodecimo:

Spes tu nunc una senectae,  
Tu requies miserae, decus imperiumque Latini  
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.

*Olim itu se induit reipublicae Caesar]* Nunc quandam capitis ad corpus commissuram facit, hoc est principis ad rempublicam, ut sit mutua rerum omnium sympathia, diduci enim alterum non potest sine alterutrius pernicie. Caesar sine republica non est Caesar, respublica non est respublica sine Caesare. Capiti necessaria sunt membrorum ministeria, corpus sine capite est inutile terrae pondus.

*Ut deduci]* Lego diduci contra fidem exemplarium, ut stet integer sensus pro separari, seu divelli.

## CAPUT V.

*Longius videtur recessisse a proposito oratio mea: at me hercules<sup>1)</sup> rem ipsam premit. Nam si, quod ad-*

*huc colligitur, animus reipublicae tu es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam necessaria clementia sit. Tibi enim parcis, quem videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbandis ciribus, non aliter quam membris languentibus: et si quando missa sanguine opus est, sustinendum est ne ultra quam necesse sit, incidat. Est ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus, quanto plus habet apud illos quod servet, quantoque in maiore materia apparet. Quantulum enim nocet privata crudelitas? Principum saevitia, bellum est. Quum autem virtutibus inter se sit concordia, nec ulla altera melior aut honestior sit, quaedam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum infra quem nihil est. Quid enim maius aut fortius, quam malam fortunam retundere? Haec tamen magnanimitas in bona fortuna latiorum locum habet, meliusque in tribunali quam in plano conspicitur. Clementia in quancunque domum pervenerit, eam [pag. 39] felicem tranquillamque praestabit. Sed in regia, quo rarer, eo mirabilior. Quid enim est memorabilius, quam eum, cuius irae nihil obstat, cuius graviori sententiae ipsi qui pereunt assentiuntur, quem nemo interrogatur est, imo si vehementius excanduit, nec deprecatur est quidem, ipsum sibi manum iniiceri, et potestate sua in melius placidiusque uti? hoc ipsum cogitantem: Occidere contra legem nemo non potest, servare nemo praeter me. Magnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam extulit, et altior stetit, illam quoque infra terram ducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque, et iniurias atque offendiones semper desplicere. Muliebre est furere in ira: ferarum vero, nec generosarum quidem, praemordere et urgere projectos. Elephantes leonesque transeunt quem impulerunt. Ignobilis bestiae pertinacia est. Non decet regem saeva nec inexorabilis ira. Non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exaequat. At si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus, et meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum patienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. Servare, proprium est excellentis fortunae, quae nunquam magis suspici debet, quam quum illi contingit idem posse quod diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum asserens princeps, alios ex cibis suis quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.*

Videbatur exspatiari in digressionem oratio Senecæ, et totum caput praecedens esse parergon, nihil ad rem propositam faciens, nisi quod principum caritatem subditis insinuabat. Nunc ostendit se alio spectasse, et collimasse ad alterum scopum, ut scilicet probaret clementiam nullum magis decere quam regem aut principem. Si enim populi, dum

1) Amst.: mehercule.

Calvini opera. Vol. V.

salutem sui principis obiectu corporum defendunt, [pag. 40] vitam eius suis mortibus redimunt, adversa ~~vulnerib[us] pectora~~ ferunt, eum esse mentem reipublicae profitentur: agnoscat ille vicissim oportet rempublicam suum corpus esse, et vicem officii, quam suis membris debet, rependat. Proponat sibi apud animum, publicam esse caritatem, quae a suis sibi defertur, alio transferendam si desierit esse quod est.

*Tibi enim parcis]* Quisquis enim ille sit cui ignoscitur, pars tui est. Sic Alexander apud Curtium lib. VI.: Videbar mihi partem meorum viscerum abrumpere, si in quos tam magna contuleram, viliores mihi fecisse.

*Parcendum improbandis civibus]* Sensus est: Si qui sunt ex civium numero vitiosi, cogita esse membra tui corporis: quae cum etiam ulcerosa sunt, mollioribus remedii curantur, et quasi suspenso digito attractantur; tantum abest ut abscondantur et urantur ad primum languorem. Vitia igitur tolle, non hominem. Quae tamen si ab homine revelli non possunt, consulendum potius universo corpori, quam particulae. Tunc valet illud Ovidii:

Immedicabile vulnus

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Illud memoria ne excidat, quod est apud Senecam libro VII. de Beneficiis: Ut corporum, ita animorum vitia molliter tractanda sunt. Et illud Ciceronis II. ad Atticum: Non minus probandam medicinam quae sanet, quam quae urat et secet.

*Et si quando misso sanguine]* Alludit ad medicorum phlebotomias, quae semper ad mensuram exiguntur. Sic Lucanus Syllam post victoriam saevientem, nec modum poenis exigendis imponenter reprehendit eadem fere translatione:

Sylla quoque immensis accessit cladibus autor.

Ille, quod exiguum restabat sanguinis urbi,  
Hausit, dumque nimis iam putrida membra resolvit,  
Excessit medicina modum, nimiumque sequuta est,  
Qua morbi duxere, manus.

*Est ergo ut dicebam]* Innuit Seneca in eum sensum accipiendam esse totam illam dissertationem, quae videbatur praeter Bacchum, ut est in proverbio, interposita: Nune more suo per ἀναγεγαλωσιν summam dissertationis in compendium redigit. Quod dicit clementiam omnibus hominibus secundum naturam, ad illud referendum: nullam homini virtutem magis convenire, quam clementiam, quum nulla sit humanior, etc. Quod subiicit maxime decoram imperatoribus, alterum membrum respicit.

*Secundum naturam]* Philosophi vocant ea quae sunt de propriis naturae, *κατὰ τὴν φύσιν*. Proprium quarto modo accipiatur, quemadmodum est apud Porphyrium [pag. 41] cap. IV. libri de quinque vocibus.

*Quantulum nocet privata crudelitas?* Cur potis-

simum deceat clementia principem? Idem est ac si quaeras, cur liberalitas divitem in primis deceat. Ille enim materiam habet ignorandi, huic suppetunt ad largiendum facultates. Maluit tamen ducere argumentum a contrariis, in hanc formam: Si parum nocet privata crudelitas, parum etiam prodest in homine privato clementia. Si principis saevitia bellum est et publica pernicies, eiusdem clementia publicam salutem complectitur. Seneca lib. III. de Ira: Illa plebeia ira et privata, inerme et sine viribus telum est.

*Quum autem virtutibus]* Ex dogmatibus Stoicorum. De hac virtutum connexione Cicero meminit Offic. I., in Paradoxis et in V. de Finibus et Seneca noster epist. lib. IX. ad Lucilium. Forte et haec verba in Peripateticos torqueri possunt, qui externa fortunae bona virtutibus opitulari tradunt, atque ideo inter bona numerant, quod sunt virtutum praesidia. His adversantur Stoici, virtutem se sola contentam esse, nec fortunae opibus indigere.

*Decet magnanimitas]* Argumentum a simili, virtutem parem et eandem in duobus, magis in altero elucere et eminere. Quod priusquam explicemus, videndum quid sit magnanimitas. Est autem virtus, qua utramque fortunam moderate ferre dicimus, ut nec prosperitate efferamus, tollamusque animos, nec adversitate deliciamur ac deprimamur, animumque despondeamus. Itaque extrema magnanimitatis sunt, inflatio animi et clatio ad excessum, abiectio et pusillanimitas ad defectum. Vide Aristotelem libro Ethic. IV. Cicero quoque Tusculan. IV.: Constantem volumus quandam sedatum, gravem, humana omnia prementem, illum esse quem magnanimum et fortem virum dicimus etc. Haec igitur magnanimitas decet hominem sortis humillimae et abiectissimae, seu, ut magis verbum verbo reddamus, postremae ignobilis. Quid enim fortius quam non coarctare animum ad fortunae angustias? quam animi magnitudinem et constantiam supra omnes casus exserere? quam divitiarum et paupertatis ex aequo esse contemptorem? At vero quia difficilis est prosperam, quam adversam ferre fortunam, quanto melius conspicuus erit, qui in bonis rebus, ut ait Horatius, mentem continebit ab insolenti temperatam laetitia: qui nec confidet praesentibus bonis, nec adversitatem fortunae perhorrescit? Ita clementia etc.

*Malam fortunam retundere]* Retundimus enim aciem telorum, quae fortuna in nos acuit, si nihil pendimus quidquid in nos machinatur. Lib. II. epist. dixit fortunae contumaciter resistere.

*Clementia in quancumque domum]* Habitat quidem privatos parietes; habitat, si vis, pauperes casas et rustica tuguriola: quum pater familias erga uxorem, liberos, servos, modeste [pag. 42] se gerit,

dat, praetermittit, indulget, ad opus illectat magis quam cogit. Quamobrem Petrus in sua canonica, non vult dominos esse bodos, hoc est morosos, et servis difficiles.<sup>1)</sup>

*Quid enim memorabilius?* Alia ratio amplificationis. Imperant leges privatis hominibus. Statuant leges quid marito liceat in uxorem, quid patri in liberis, quid domino in servos. Si transgreditur, presentanea est ultio. Prohibent leges, ne civis civi damnum det. Quod si civis contra civem velit exsequi rabiem et saevitiam, non poterit, ne cum discrimine quidem capit is et fortunarum. Alia principis est licentia. Verba regis sunt imperia. Atque, ut ait Homerus in quodam hymno, *ἀνεψ’ ἔπος τε καὶ ἔργον*. Deinde opus suum omnibus approbat, nempe laudantibus quod corrigere non possunt. Non sunt tribuni, qui intercedant; non est superior, qui appelletur. Is igitur cui omnium consensu summa rerum sic est delata, quibus laudibus pro merito extolleatur, si sibi ipse temperantiam imperaverit, si intercesserit sibi, si ad se ipsum, sed clementiorem, provocaverit?

*Nemo interrogaturus est?* Verbi huius elegantia non est vulgaris. Ponitur enim pro accusare et postulare apud iudicem. Quare saepius dicitur cum adiecto legibus interrogare. Cicero pro Domo sua: *Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit?* Salustius in Catilina: P. Antronius<sup>2)</sup> et P. Sylla designati consules legibus ambitus interrogati, poenas dederant. Item: Et ipse Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo. Livius libro tricesimo octavo: Alii neminem unum tantum eminere civem debere, ut legibus interrogari non possit. Tacitus lib. XIII.: Sane pepigerat Pallas, ne cuiusquam facti in praeteritum interrogaretur. Et lib. XIV.: Damnatus iisdem consulibus Tarquinius<sup>3)</sup> Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus. Cicero Offic. I. dixit appellare, et Philippica II. appellatum de pecunia.

*Ipsum sibi manum iniicere?* Id est suos affectus in potestatem redigere, et intra modum contineere. Vergilius Aeneidos X.:

Iniecere manum Parcae.

Traxerunt debitum sibi, inquit Servius, et sermone usus est iuris. Nam manus injectio dicitur, quoties nulla iudicis autoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus. Hanc Servii interpretationem comprobant carmen Ovidii Elegiarum I.:

Et dicam, mea sunt: iniiciamque manus.

et libro secundo:

1) Videtur respicere ad Ephes. VI. 9 aut Col. IV. 1. Nam apud Petrum haec non leguntur. Verum nec διώρθωσις paulinum est. Caeterum vides eum de Petri canonica dicere quasi unica. 2) Sic omnes praeter Amst. ubi Antonius. 3) Apud Tacitum hodie habetur Tarquitius.

Iniiciam dominas in mea iura manus.

Gulielmus Budaeus, primum rei literariae decus et columen, cuius beneficio palmarum eruditio nis hodie sibi vendicat nostra Gallia, diligenter et copiose explicat huius loquutionis proprietatem. Sed quando addit recentiores nullo antiquo exemplo iniicere manum usurpare [pag. 43] pro eo quod latine dicitur afferre vel inferre manus, id vero an perpetuum sit, alii viderint. Ego apud Horatium iniicere manus interpretor inferre. Carmen est:

Ne male dispari  
Incontinentes iniiciat manus,  
Et scindat haerentem coronam  
Crinibus immeritamque vestem.

Item apud Curtium lib. X.: Non contentus supplcio insontis spado, ipse morituro manum iniicit.

*Occidere contra legem?* Salva res est, ubi semel haec cogitatio subiit memoriam principis. Hoc est enim quod perdit tyrannos, quum licentiosa dominatione<sup>1)</sup> eximere se turbae volunt. Sic loquitur Atreus apud Senecam:

Pietas, sanctitas,<sup>2)</sup> fides  
Privata bona sunt: qua iuvat, reges eant.

Quanto illud melius? Occidere immercentem, latronum et grassatorum laus est. Eripere vitam nemo non homini potest, vitam tribuere, regium est.

*Magnam fortunam?* Aliud est argumentum eiusdem rationis, quod sic in formam syllogismi colligi potest. Magna fortuna magnum animum desiderat. Magnus animus est placidus et moderatus, et qui ad quamlibet offenditionem de gradu non deiicitur. Ergo princeps, ut personam principis sustineat, debet inoffensa animi aequitate offendiones contemnere et iniurias. Hic non admodum labore ut per omnia serviam legibus dialecticorum, modo sensum fideleriter assequar.

*Magnam fortunam?* Non tantum quia secundae res, ut ait Cato, a recte consulendo atque intelligendo transvorsum trudere solent hominem laetitia exultantem et ferocientem: sed quod plerique, animi abiectionis, ad sordes nati, illustrem gerere personam non possunt. Succumbunt enim oneri, et suo splendore praestringuntur. Sic Curtius de Alexandro: Nondum fortuna se eius animo superfuderat. Hinc et illa emanarunt: Nec fortunam capit ipse suam. Item:

Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Ovidius in consolatione ad Liviam:

Imposuit te alto fortuna, locumque tenere  
Iussit honoratum, Livia, perfer onus.

1) Edd. recentiores inde ab a. 1611: damnatione. 2)  
In editionibus Tragoediarum scribitur: Sanctitas, pietas. Sic  
quoque ed. Amst.

*Magni autem animi]* Definitio magnanimitatis, quam superius retulimus, a qua trahitur perpetuum argumentum: ~~sicut nec~~ converso a definito ad definitionem.

*Muliebre est furere]* Nihil foeminae iracundia efferatius. Ait enim Juvenalis:

Sic collige quod vindicta

Nemo magis gaudet, quam foemina.

Ubi vires ad nocendum deficiunt, tunc caeca rabbies, et sui impotens, furt ac fremit.

*Ferarum nec generosarum]* Si ferarum est immanitas, monstrum in homine: si ferarum ignobilium, in rege monstro peius. Hoc enim valet amplificatio in sensu, tametsi verba non exprimunt. Ac si diceret, si oblisceris te esse principem, memineris hominem. Sin minus, quod est [pag. 44] postremum, imiteris feras nobiliores. Quintilianus in Gladiatore: Ferae mehercule generosiores iacentes transeunt. Ovidius Tristium II.:

Quo quisque est maior, magis est placabilis irae:

Et faciles motus mens generosa capit.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,

Pugna suum finem, quem iacet hostis, habet.

At lupus, et turpes instant morientibus ursi,

Et quaecunque minor nobilitate fera est.

*Elephantes]* Hoc de elephantis testimonio Plinii comprobatur, qui libro VIII. scribit in hunc modum: Idem vestigio hominis animadverso prius quam homine, intremiscere insidiarum metu, subsistere, ac olfactu circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere, illum sequenti nuncio, usque ad extremum.

*Leones]* Verba Plinii de leonibus eodem libro cap. XVI.: Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit; et ubi saevit, in viros prius quam in foeminas fremit: in infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum.

*Nec inexorabilis ira]* Haec vero est immanis feritas, ira saeva, et inexorabilis. Nam si, secundum Horatium, ira furor brevis est: quid est aliud ira obstinata, quam plane furor? Cicero ad Atticum dicit irritabiles esse optimorum saepe hominum animos, et eosdem placabiles, et hanc esse agilitatem mollitiemque naturae bonitati. Idem ad Quintum fratrem: Si implacabiles sunt iracundiae, inquit, summa est acerbitas: si autem exorabiles, summa levitas: quae tamen, ut in malis, acerbitate anteponenda est.

*Non multum enim supra]* Ne quis sibi laudi futurum ducat, si hostem sua potentia contriverit, intelligat eum sibi exaequari, cui tantum tribuit, ut cum eo inimicitias exerceat. Id est quod dicit Seneca lib. de Ira II.: Cum pari contendere, anceps; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum. Id sibi volunt verba Caesaris apud Lucanum libro tertio:

Vanam spem mortis honestae  
Concipis: haud, inquit, iugulo se polluet isto  
Nostra, Metelle, manus: dignum te Caesaris ira  
Nullus honor faciet.

Huc spectat problema Aristotelis quod legitur sectione XXIX.: Cur mulierem interfecisse iniquius sit, quam virum, quanquam naturae ratione mas foemina praestantior est? An quia mulier imbecillior est, minusque proinde facere iniuriam potest? Item, eniti adversus id quod longe infirmius est, nihil virile, imo stolidum atque iniquissimum est.

*Vita superiori cripitur]* Si magnum est occidere hominem, et [pag. 45] si hac una re metimur alicuius potentiam, cogitemus et latronem et hostem admovere posse iugulo nostro gladium, ut potestas maior absit. Neminem non servum habere in nos vitae necisque arbitrium. Recognoscamus eorum exempla, qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo; et intelligemus non pauciores servorum ira cecidisse, quam regum. Neque vero si quis non est imperfectus a latrone, vitam illi acceptam referre debet. Maius est vitae beneficium et nobilis, quam ut a latrone accipiat. Ei vita datur, qui quum salvis legibus interfici possit, eximitur mortis periculo. Seneca in Medea:

Hoc reges habent  
Magnificum et ingens, nulla quod rapiet dies,  
Prodesse miseris, supplices fido lare  
Protegere.

Non itaque frustra celebre est dictum Scipionis, quod postea Antonino Pio frequenter fuisse in ore legimus, se malle unum civem servare, quam mille hostes occidere. Tyrannica illa vox Neronis apud Senecam in Octavia:

Occidere hostem, maxima est virtus ducis.  
Cui respondet Seneca:

Servare cives, maior est patriae patri.

*Idem contingit quod diis]* Crudelitas facit regem omnibus execrabilem, quin etiam ex principe tyrannum. Clementia amabilem omnibus reddit, omnibus superiorem, postremo et diis similem. Deorum est quod et boni et mali nascimur, quod communi coelo atque aere fruimur, quod iisdem alimentis sustinemur. Hauc deorum mansuetudinem cur non imitetur princeps? Cicero pro Ligario: Nulla re proprius homines ad deos accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quam plurimos. Claudianus ad Honorium:

Sola deos aequat clementia nobis.

*In numerum relinquat]* Id est, qui faciant numerum, ut sint scilicet, quibus imperet. Sic Lukanus libro II.:

In numerum pars magna perit,  
id est, in hoc taatum ut magnus esset occisorum numerus.

## CAPUT VI.

*Cogitate, in hac civitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quoties aliquid obstitit, quod cursum eius, velut torrentis rapidi, moraretur, in qua tribus eodem tempore theatris viae postulantur, in qua consumitur quidquid terris omnibus aratur: quanta solitudo et vastitas futura sit, si nihil relinquitur, [pag. 46] nisi quod iudex severus absolverit. Quotusquisque ex quaestoribus est, qui non ea ipsa lege teneatur, qua quaeritur? Quotusquisque accusator vacat culpa? Et nescio an nemo ad dandam veniam difficilior est, quam qui illam petere saepius meruit. Peccavimus omnes, alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati: alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus, et innocentiam inviti ac renentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum aevi delinquimus. Etiam si quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.*

Nunc per descriptionem ostendit Seneca, quam sit principi necessarium quosdam in numerum relinquere, et ad tempus tolerare. Si quis enim ad vivum resecare velit strumas et vomicas civitatis, bonam partem exhauriat oportet. Quod ut facilius percipiat lector, proponat sibi argumentum in hanc formam: Hanc legem debent in primis servare magistratus, ut neminem laedant. Quod si laesus quispiam fuerit, secundum est ne plures laedantur: atque ideo tollitur e medio is qui laesit, quia pluris est universam multitudinem servare, quam unum aut alterum. Hunc finem et hunc scopum habent poenae publicae. Qui autem magistratus summo iure animadvertisunt in noxiis, tollunt maiorem numerum quam relinquunt. Non ergo statuunt poenam legitimam finem. Quod autem in hoc contextu dixi esse descriptionem, sic Cicero eam appellat libro Rhetoricorum quarto, quae graece dicitur *τράπεζα*, id est perspicuitas et evidentia; quae rerum imagines concipit, ut hic Seneca populosam civitatem quasi oculis repreäsentat. Exempla sunt apud Quintilianum lib. VIII.

*In qua turba]* Si liberam adhuc et stantem rempublicam cum ea componamus, quae sub imperio Caesarum fuit, in immensum et paene extra fidem crevit numerus. Nam census quem stante libertate maximum fuisse lego, fuit C. Lentulo et L. Gellio Censoribus, in quo censa sunt civium capita CCCCL millia. Verum post Actiacum triumphum autor est Eusebius censu acto inventa esse quadragies semel centena et septuaginta millia civium, in altero vero censu quem Augustus egit cum Tiberio filio adoptivo, inventa esse ter et nonages centena et septuaginta millia. Ultimo vero censu

acto, qui Neronis imperio [pag. 47] proximus fuit, censa sunt civium LXIX. centena. c.<sup>1)</sup> quadraginta quatuor millia.

*Quanta solitudo]* Sensus est: vides urbem tanta multitudine affluentem, et suorum civium vix capacem? Si quis tamen iudex apud quem nec sordes valeant, nec gratia, nec aequi bonique ratio, denique qualis ille, qui scopolus reorum appellatus est, omnes in reos recipiat, vix millesimus quisque ultimi supplicii sententiam effugiet in tot hominum milibus. Aut igitur ignoscendum, aut non imperandum.

*Quotusquisque ex quaestoribus]* Unum est hominum genus quod omni vitio purgatum esse debet, qui scilicet praesunt moribus, et aliorum vitia corrigit. Hoc genus tamen homines iniquissimi sunt nobis iudices, aequi sibi: et hoc nescio quomodo accidit, ut quae aliis aegre aut nullo modo permittunt, sibi facile indulgent. Seneca de Ira II.: Alienam vitia in oculis habemus: a tergo nostra sunt. Nihil alienae luxuriae ignoscit, qui suae nihil negavit. Et homicidae tyrannus irascitur, et punit fulta sacrificus. Magna pars hominum est, quae non peccatis irascitur, sed peccantibus. Ubi etiam alludit ad manticam Aesopi. Seneca Tragicus in Agamemnone:

Ignota sunt tibi iura regnorum haud nova:  
Nobis maligni iudices, aequi sibi.  
Id esse regni maximum pignus putant,  
Si quidquid aliis non licet, solis licet.

## Iuvenalis Satyra VIII.:

Mitte ostia, Caesar,  
Mitte, sed in magna legatum quaere popina:  
Invenies aliquo cum percussore iacentem  
Permixtum nautis et furibus aut fugitivis  
Inter carnifices.

## Et paulo post:

At vos Trojanae vobis ignoscitis, et quae  
Turpia Cerdoni, Volusos Brutosque decebunt.

Porro quum multa quaestorum genera fuerint apud Romanos, quaestores hic accipe rerum capitalium, qui et quaestores parricidii, praesunt exercendis quaestionibus criminalibus: ut Asconius testatur secundo commentario Verrinarum, et Servius in VL Aeneidos. Sic confundunt scriptores quidam non contemnenda eruditionis: ego tamen existimo latum esse discrimen. Prius de quaestoribus parricidii videamus, quem magistratum fuisse antiquae originis tradunt Fenestella et Iurisconsultus Pomponius in L. II. ff. de origine iuris. Varro libro IV. De lingua latina de hisdem loquitur, in quorum locum successisse triumviros capitales affirmit. Adiunt Fenestella et Pomponius solitos constitui a populo: quod iniussu populi non liceret in civem romanum animadvertere. Habemus ergo huiusmodi

1) *Lege: et, ut habet ed. Amst.*

magistratus fuisse ordinarios, et creatos a populo, quorum vices postea cesserunt triumviris. [pag. 48] At vero quaestor cuius Asconius meminit, qui et quaesitor, et iudex quaestionis appellatur a Cicero, intelligitur Praetor urbanus, cui demandabatur eadem sorte cura publicorum iudiciorum, qua sortiebatur urbanam provinciam. Cicero in Praetura urbana: Ecce autem illis ipsis diebus quum praetores designati sortirentur, et Marcello obtigisset ut is de pecuniis repetundis quaereret, nunciatur mihi tantam gratulationem isti esse factam, ut is quoque domum pueros mitteret qui uxori suae renunciarent. Deinde subiicit: Duo igitur consules et quaesitor erunt ex illius voluntate. Autor est etiam Plutarchus Licinium Macrum reum peculatus actum esse apud Ciceronem praetorem, et omnibus iudicum sententiis damnatum. Hinc apud autores praetoris nomen pro quaesitore saepe ponitur. Cicero Verrina secunda: Quamobrem vero se confidat aliquid proficere posse hoc Glabrione praetore, et hoc consilio, intelligere non possum. Iuvenalis:

Prima est haec ultio, quod se  
Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis  
Gratia fallacis praetoris vicerit urnam.

Paedianus in Orationem pro Scauro: Postulatus apud Marcum Catonem praetorem repetundarum, ut in actis scriptum est. Idem in orationem pro Cornelio: Iudicium id exercuit Q. Gallus praetor. Illud etiam addendum, quum extra ordinem decernebatur quaestio, fuisse creatos ad id quaestores suffragio populi, quemadmodum Cn. Domitius Aenobarbus in causa Milonis comitiis creatus est, ubi extra ordinem de homicidio quaerebatur.

*Eadem lege teneatur, qua quaeritur]* Dicimus enim quaeri lege Iulia maiestatis, lege Iulia de adulteriis, lege Cornelia de sicariis, lege Pompeia de parricidiis, et similibus, eumque teneri legibus, qui sit convictus laesae maiestatis, adulter, aut parricida, aut uno ex capite legis Corneliae.

*Quotusquisque accusator vacat culpa]* Cicero actione quinta in Verrem: Omnes qui alterum, iudices, nullis impulsu inimicitias, nulla privatim laesi iniuria, nullo praemio adducti in iudicium reipublicae causa vocant, providere debent non solum quid oneris in praesenti tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negotium suscipere conentur. Legem enim sibi ipsi indicunt innocentiae, continentiae, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitae reposcunt. Ibidem: Omnia postremo quae vindicaris in alterum, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse reprehenditur. Si igitur accusator et iudex in eadem scelera prolabuntur, quae alter [pag. 49] ad poenam defert, alter poena afficit, quid de aliis sperandum?

*Peccavimus omnes]* Iam non de iudicibus tantum aut accusatoribus pronunciat: sed ostendit irrogandas poenas esse omnibus si vindicanda sunt omnium peccata, nec finem poenis faciendum, donec se quoque iudex ultimo suppicio addixerit. Idem Seneca libro secundo de Ira: Hoc scito, tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Et Horatius in epistolis:

Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille,  
Qui minimis urgetur.

Licet non omnium delicta paria sint aut similia, omnes tamen peccavimus. Alii destinata malitia, alii inconstantia, alii gravius, alii levius. Seneca libro quarto de Beneficiis: Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia existant in singulis. Idem in III. de Ira: Omnes inconsulti et improvidi sumus. Omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid levioribus verbis ulcus publicum absconde? Omnes mali sumus. Quidquid itaque in alio reprehenditur, id unusquisque in suo sinu inveniet. Placidiores itaque invicem simus: mali inter malos vivimus. Una res potest facere quietos, mutuae facilitatis conventio.

*Ex destinato]* Id est de industria, de composito, data opera, dedita opera, sive, ut Plautus loquitur, ob industram, quod vulgo dicitur de proposito liberato. Suetonius in Caligula: Militiam neque semel attigit, neque ex destinato. Seneca lib. VI. de Beneficiis: Non enim profuisse te mihi oportet ut obliger: sed ex destinato profuisse. Tranquillus in Iulio praepositionem omisit: Praemia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat. Adverbium est. Sic antiqui composito, quod dicimus: de composito. Vergilius Aeneidos II.:

Composito rupit vocem, et me destinat aerae.

Sic ex insperato, et insperato, sine praepositione, utrumque apud Livium, eiusdem rationis est, ut diximus dedita opera. Observavi tamen apud Ciceronem lib. II. ad Atticum, dedita opera positum pro expresse, ut vulgus loquitur. Quare ad illud, inquit, redeo. Cura ut eius rei causa, dedita opera mittas aliquem etc. Coelius libro sexto Epistolarum: Data opera paravi qui sic persequeretur omnia etc.

## CAPUT VII.

*Quoniam deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi deos, velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit [pag. 50] usque ad ultimam infesta perniciem? Et quis regum erit tutus, curu non membra aruspices colligant? Quod si dii placabiles sunt, et aequa delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quanto acquiuss est hominem hominibus praepositum, mihi animo exercere imperium? et cogi-*

*tare, utrum mundi status gratiō oculis pulchriorque sit sereno et puro die, an quum fragoribus crebris omnia quatintur, et ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti moderatique imperii quam sereni coeli et nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebrisque obscurum est, inter trementes, et ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem qui omnia conturbat incuncuso. Facilius privatis ignoscitur pertinaciter se vindicantibus. Possunt enim laedi, dolorque eorum ab iniuria venit. Timent praeterea contemptum: et non retulisse laudentibus gratiam, infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio<sup>1)</sup> in facili est, is omissa ea, certam laudem mansuetudinis consequitur: humili loco positis exserere manum, litigare, in rixam procurrere, liberius est. Leves inter paria ictus sunt. Regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia, non ex maiestate est.*

Ne videatur ex abrupto transire ad hanc similitudinem, connectit cum prioribus. Quum enim dixisset nihil esse principi tam magnificum, quam quum deorum exemplo improbos tolerat, ac in numerum relinquit, ubi alterum est exsequutus de iis ad tempus tolerandis, qui civitatis supplent numerum, nunc ad deorum mentionem revertitur. Admonet igitur principem legis naturalis, ut sit subditis suis talis, quales sibi esse deos velit: qui sibi rursum dominantur, ut ipse hominibus imperat. Quod si deorum indulgentia vivit ac spirat, cur non homo potius hominibus propitius erit et exorabilis? Sic Ovidius ad Augustum lib. Tristium II.:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Nunc ubi detonuit strepitumque exterruit orbem, Purum discussis aera reddit aquis.

[pag. 51] Iure igitur genitorque deum, rectorque vocatur; Iure capax mundus nil Iove maius habet.

Tu quoque quum patriae rector dicare paterque, Uttere more dei numen habentis idem.

Hoc tamen interest, quod ille Augusto adulatur, hic philosophice praecipit. Plutarchus quoque de sera numinis vindicta: Quum deum optimum maximum, qui neminem timet, nullius rei indiget, qui nulla poenitentia duci potest, vindictam tamen suspendere cernamus, debitumque sceleribus exspectare tempus, nos quoque illum imitari, ac placidos reddi oportet, mansuetudinemque ac tolerantiam, divinam virtutis censere particulam. Vide ut idem exemplum varie accommodant.

*Quis regum erit tutus, cuius non membra aruspices?* Si regum delicta dii severe persequantur, quis regum est qui non in horas identidem peccet? Quid igitur spei reliquum est, quam ut aruspices ad deos consulendos mittant in certissimum ac praesentissimum mortis nuncium? Eant nunc reges, et impe-

ratores, suorum delicta crudeliter ulciscantur: sed agnoscant esse deos, qui sua scelera ad eandem amussim possint exigere. Loquitur autem Seneca iuxta ethnicon principum superstitionem: qui in extis pecudum salutem suam repositam putabant, et aruspices cum diis in consilium mittebant de vita fortunisque suis: quum tamen nihil fuerit unquam vanius eo hominum genere: in quorum vanitatem lusit Cato saleissimo scommate. Mirari enim se aiebat, quod non rideret aruspex, aruspicem quum vidisset.

*Quanto aequius est?* Argumentum a minori. Dii in dandam hominibus veniam faciles, cur non magis homines hominibus? seu quia id debent communi naturae, seu quod eandem quoque facilitatem ulciscendis suis peccatis desiderant.

*Et cogitare, utrum mundi status?* Aliud ex alio derivatur. Poetae enim suo Iovi fulmina attribuunt, quasi tela iracundiae: quae aerem ex liquido puroque turbidum ac nubilum reddunt, motu ac terrore mundum concutunt. Sic rex instar terreni Iovis, quum irascitur, fulgurat ac fulminat: nulla quies, nulla serenitas.

*Fragoribus crebris?* Id est strepitum tonitru: qui unde oriatur, reperies apud Aristotelem libro Meteororum III. cap. 6., apud Ciceronem libro II. de Divinat., Senecam libro II. Quaest. natur., Plinium libro II. cap. 20., Plutarchum in Placitis philosoph.

*Et ignis?* Id est fulgurations.

*Atqui non alia facies?* Cur enim frontem non exporrigat totum imperium, ubi sol ille oculus mundi pure renidet? Non enim privata est principis laetitia; secum omnia exhilarat. Bene ergo aequiparatur aeris serenitati ad quam hominum animi serenantrant et explicantur.

*Facies?* Quod Graecis nunc schema, [pag. 52] nunc πρόσωπον dicitur. Synesius ἐλαχυτας πόλεως σχῆμα. Cicero Epist. V.: Quanquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Facies enim non solum in hominum corporibus, sed in re qualibet accipitur pro specie. Ovidius primo Tristium:

Haec facies Troiae, quum caperetur, erat.

Vergilius I. Georgicon:

Tam multae scelerum facies.

Vide Gellium, et Nonium Marcellum.

*Crudele regnum, turbidum?* Sunt enim densis nebris obvoluti, quibus semper obversantur prae oculis flagella, cruces, secures, et mille tormentorum atque suppliciorum genera: ad omnes minas quasi stupidi et obstupefacti horrent, non aliter quam tonitru perculti.

*Facilius privatis ignoscitur?* Si quis obiecerit, at vero regis quisque intra se animum habet, nec est aliquis qui se impune laedi velit, omnes se pertinaciter vindicant, non modo secundae sortis homines, sed humillimi quoque, ac despiciatissimi: respondet

1) *Edd. 1611 sqq. vitio.*

quatuor esse causas, cur talibus ignoscatur acrius se vindicantibus, quae singulae suis locis observabuntur.

*Possunt enim laedi]* Prima causa est: non nisi morsi remordent; reddunt idem quod passi sunt. Patiuntur autem gravissimas offensas et contumelias, quas ob fortunae mediocritatem propulsare nequeunt.

*Timent praeterea contemptum]* Bene Terentius: Omnes quibus res sunt minus secundae, sunt nescio quod modo magis. Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis: Propter suam impotentiam se semper credunt negligi. Est igitur secunda ratio, cur adeo sint animosi ad vindictam, quia se laedi putant quum tanguntur: et hoc quoque in contumeliam suam trahunt, non suppetere ad nocendum vires.

Qui nolunt occidere quenquam,  
Posse volunt,

inquit Iuvenalis. Quintilianus lib. II.: Statura breves in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur.

*Non retulisse laedentibus gratiam]* Non mirum est si iniurias suas non adeo facile condonant plebeii et contempti homines, quoniam id illis vitio datur, quod potentioribus laus est. Si enim quis eorum vindictam remiserit, in vulgus nihilominus rumor erit, voluit ulcisci, sed non potuit. Referre vero gratiam, ironice pro eo quod est iniuriam reppendere, seu, ut dicit Curtius, vicem reddere. Terentius in Eunacho:

Inveniam pol hodie parem ubi ei referam gratiam.  
Ibidem:

Quid? quid venire in mentem nunc mihi possit?<sup>1)</sup>  
Quidnam? qui referam huic sacrilego gratiam,  
Qu' hunc supposuit nobis?

Eadem ratione dixit Coelius deferre munusculum. Nemini hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori. Item: Aperte cum quibusdam loquutum cum L. Domitio homine, ut nunc est, mihi iniucissimo deliberare, velle hoc munusculum deferre. Etsi Servius grates τὸν μέσον esse tradit in II. commentar. Aeneidos Vergilii:

[pag. 53] Di, si qua est coelo pietas quae talia curet,  
Persolvant grates dignas, et praemia reddant  
Debita, qui nati coram me cernere lethum  
Fecisti, et patrios foedasti sanguine vultus.

*At cui ultio in facili]* Ii sunt qui vindicta debent abstinere, qui ex eo quod abstinent, certam laudem consequuntur, nec facilius ideo in posterum laedentur, quia semel impune laesi sunt. Ultio in facili, id est facilis, prompta, parata. Honesta est loquutio. Ovidius in I. de Arte:

Quod petis, ex facili, si volet illa, feres.

Seneca lib. III. de Beneficiis: Beneficium ex facili largitus est. Valerius lib. IV.: Proni studii certius

indictum est supra vires niti, quam viribus ex facili uti. Livius lib. III.: Quum exitus haud in facili esset, compulsos in cavas valles circumveniunt. Quintilianus lib. IX.: Interim augemus crimina quae ex facili possumus aut diluere, aut negare.

*Humili loco positis]* Si obscuri et ignobiles inter se rixantur, ac se mutuo conviciis maledictisque proscindunt, nihil novum. Est enim eis solenne, rixari ac iurgari: post ubi se clamoribus satius ad ravim exercuerunt, tandem ad manus venire, et item decidere pugnis et calcibus: estque vulgare proverbium, post verba verbera. Rex vero si in modum popularium vociferetur, ac depugnet unguibus et pugnis, nonne multum detrahet ex sua maiestate? Nota hanc esse tertium rationem.

### CAPUT VIII.

*Grave putas, eripi loquendi arbitrium regibus, quod humillimi habent. Ista quidem servitus est, non imperium. Quid? tu non experiris istud nobis esse, non tibi, servitutem? Alia conditio est eorum qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum et virtutes ut appareant, diu luctantur, et vita tenebras habent. Vesta facta dictaque rumor excipit. Et ideo nullis magis curandum est quallem famam habeant, quam qui, qualencunque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa tibi non licent, quae nobis beneficio tulicent? Possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius. Tibi in tua pace armato vivendum est. Aberrare a fortuna tua non potes. [pag. 54] Obsidet te, et quounque descendis, magno adparatu sequitur. Et haec summae magnitudini servitus est, non posse fieri minorem. Sed cum diis tibi ipsa necessitas est. Nam illos quoque coelum alligatos tenet: nec magis illis descendere datum est, quam tibi iutum. Fastigio tuo adfixus es. Nostros motus pauci sentiunt. Prodire nobis ac redere, et mutare habitum, sine sensu publico licet. Tibi non mugis quam soli latere contingit. Multa contra te lux est. Omnium in istum conversi oculi sunt. Prodire te putas, oriris. Loqui non potes, nisi ut vocem tuam quae ubique sunt gentes, excipient. Irasci non potes, nisi ut omnia premantur. Sic neminem potes affligere, nisi ut quidquid circa fuerit, quatatur. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent, non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo qui omnia potest. Adiuce nunc, quod privatos homines ad accipendas iniurias opportuniiores, acceptarum patientia facit. Regibus certior est ex mansuetudine securitas; quia frequens vindicta, paucorum odium reprimit, omnium irritat. Voluntas oportet ante sac-*

1) *Lege:* possit mihi.

*viendi, quam causa deficiat. Alioqui quemadmodum praecisae arbores plurimis ramis repullulant, et multa satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum qui interficti sunt, et propinquii, et amici, in locum singulorum succedunt. Hoc quam verum sit, admonere te exemplo domestico volo.*

Visus est Seneca duram imponere regibus conditionem, quum vociferationem verborumque intemperantium in illis vituperaret. Si quid est enim liberum in homine, lingua est. Detruditur ergo in postremam servitutem, cui ademptum est loquendi arbitrium. Oportet, inquit Tiberius, in libera civitate liberas esse linguas. Solus is qui supra libertatem est, silentio serviet. Hic rem per se asperam mollit [pag. 55] Seneca, nunc verborum deflexione, nunc aptis comparisonibus. Ostendit enim hoc maiestatis plenum esse, non contaminare scurrilibus verbis maiestatem: tantum abest ut aliquid dignitati detrahatur. Virtutes et vitia principum esse in aperto. A viuis cavendum ut solae et purae virtutes emineant: vulgus autem suis tenebris immersum, inglorium latere. Sic principis magno comitatu adparatu procedere, privatos nullum habere comitatum. Denique hanc esse deorum necessitatem, qui suo coelo avelli non possunt, quemadmodum nec princeps suo fastigio.

*Ista quidem servitus est*] Ex persona principis, qui nolit sibi eripi loquendi arbitrium. Quasi dicaret, non esse id rationi consentaneum, ut qui imperare debet, serviat. In hanc sententiam est illud Publili Mimographi:

Regibus est peius multo quam servientibus.

Et Salustius in Catilina: Qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna, minima licentia est. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Agamemnon etiam, ut refert Plutarchus in vita Nicipiae, hoc saepe usurpavat. Vitae nostrae praesidem turbam sortiti sumus, multitudinique procul dubio servire cogimus.

*Alia conditio est eorum*] Qui enim sibi vivunt obscuro loco positi, ignobilis suae beneficio loquuntur libero, et faciunt libere quidquid libet. Putas quot<sup>1)</sup> pauperum praecclare dicta ac facta, non longa vetustate, sed unius aut alterius diei spatio oblitterantur? Principum verba atque opera simul sunt edita, perpetuae consecrantur memoriae. Rursum, quae turpiter aut facta aut dicta fuerint a viris ignobilibus, eodem temporis articulo effluunt. Nam qua ratione celebrentur, ubi autor sibi tantum

ac suis parietibus cognitus est? Sic aetas, ut ait ille, per tacitum fluit, et dies sine strepitu praeteriunt.

*Vestra facta dictaque*] Nihil quod fit aut dicitur a viris principibus, excidit, quin in vulgus perferatur, et suos habeat interpretes. Quare, ut Herodianus ait, principum res nullo pacto latere possunt. Plinius in Panegyrico: Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda famae proponit atque explicat. Claudianus in Panegyrico Honori:

Hoc te praeterea crebro sermone monebo,  
Ut te totius medio telluris in orbe  
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse  
Facta palam, nec posse dari regalibus usquam  
Secretum vitiis. Nam lux altissima fati  
[pag. 56] Occultum nil esse sinit, latebrasque per omnes  
Intrat, et angustos explorat fama recessus.

Iuvenalis:

Omne animi vitium tanto conspectius in se  
Crimen habet, quanto qui peccat, maior habetur.

Salustius in Iugurtha: Maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Eadem est sententia Plutarchi in Politicis.

*Et ideo nullis magis curandum est*] Istis qui personam magnae dignitatis sustinent, non licet esse mediocribus. A privatis enim virtutes populares exiguntur: ab illis excellentes et heroicae: atque, ut ait ille, maiora semper populus a summo exigit. Cicero ad Quintum fratrem: Quod si in mediocri statu sermonis et praedicationis res nostraes essent, nihil abs te eximium, nihil praeter aliorum consuetudinem postularetur: nunc vero propter earum rerum in quibus versati sumus splendorem et magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam vituperationem posse vitare. Hoc igitur illis necessitatis incumbit, quoniam velint nolint magnos esse oportet, ut boni sint iuxta ac magni nominis.

*Quam multa tibi non licent*] Argumentum a simili, ne putet aliquid ex sua magnitudine decedere princeps, si illi in iurgia et rixas non liceat prorumpere, quum multa non liceant, salva tamen maiestate. Malim autem interrogative legere, quamquam sine interrogatione legitur in plerisque exemplaribus: et loquutio est ab autoribus recepta, licet Valla improbat. Coelius libro VIII. Epistol. Ciceronis: At ille quam clementer. Item: Omnia intima conferre discipio, habeo autem quam multa. Cicero Tuscul. quarta: Atqui stirpes sunt aegritudinis quam multae, quam amarae, quae ipso trunco everso omnes elidendae sunt. Seneca ipse lib. X. Declamationum: Et quia ipsos pudet viros esse, id agunt ut quam pauci viri sint. Suetonius in

1) Ed. Amst. quod.

Calvini opera. Vol. V.

**Claudio:** Opera magna potius quam necessaria quam multa perfecit.

*Aberrare a fortuna tua non potes]* Est artificii rhetorici, quae contra nos faciunt, in rem nostram et causae commodum vertere. Est enim aliquid tyrannicum, inter cives suos corpus munire armorum praesidio. Cicero Philipp. II.: Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse vivere? Seneca vero magis esse ornamenta et insignia imperii dicit, quam vitae praesidia. Mamertinus in Panegyrico Iuliani Caesaris: Arma igitur, et iuvenes cum gladiis atque pilis, non custodiae corporis sunt, sed imperatoriae maiestatis solennis ornatus. Quid enim istis opus est, quum firmissimo sis muro civici amoris obseptus?

*Omnium in istam oculi conversi sunt]* Ovidius in consolatione ad Liviam:

Ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus,  
[pag. 57] Nec vox missa potest principis ore tegi.  
Et ille turpem esse in rege ebrietatem dicebat, quem aures oculique omnium sequerentur. Verum id, ut praeclarum, ita etiam difficile et arduum est: ut non immerito Cicero exclamaverit: O di immortales, quam magnum est personam in republica tueri principis, qui non animis solum debet, sed oculis servire civium.

*Irasci non potes]* Verissima sententia. Omnes enim verentur quo efferatur animi impotentia, cui nihil clausum est. Et quum tandem, velut calamitas, in aliquem ecclidit, alii idem in caput suum timent. Quantam enim putas futuram terris pestem, si principes legibus liberi, soluti omnibus, ut aiunt, frenis ac repagulis, velint exercere nocendo potentiam? Quis finis esset caedibus, latroniciis, direptionibus, ubi nihil non potest efferata rabies? Bene ergo quod principes legibus soluti, legibus tamen vivunt. Imo vero lex ipsa sunt.

*Adiice nunc quod privatos]* Redit nunc ex digressione ad orationis contextum, et filum argumenti, et tandem quartam rationem reddit, cur sit ignoscendum privatis hominibus ubi asperius suas offensas ulciscuntur: quia quum sint obnoxii iniuria, veterem ferendo, novam invitant. Id est quod saepe eos cogit retaliare iniurias: non ut praeterita corrigan, sed ut in futurum provideant. Alia est regum ratio et conditio, qui quum iniurias remittunt, certam sibi securitatem comparant. Idque comprobat arguento a contrariis. Si enim frequens vindicta paucorum odium reprimit, multorum irritat: sequitur aptiorem esse coercendis iniuriis veniam.

*Quemadmodum praecisae arbores]* Comparatio sumpta ex disciplina rei rusticae. Solent enim agricolae, quo sint firmiores arbores et feraciores, teneros adhuc ramos praecidere. Ita et frondosi

magis et densiores renascuntur. Et sunt satorum quaedam genera, quae nisi ferro amputantur, emoriuntur, et languescent. Multa in hanc rem praeципiuntur ab autoribus rei rusticae.

*Parentes liberique eorum]* Unde illud celebre antiquitus proverbium: Stultus, qui patre imperfecto filium relinquit superstitem.

*Admonere te exemplo domestico]* Haec enim plus habent energiae, quia melius in aures influunt, promptiores ad laudes familiae suaे audiendas, et aculeum relinquunt, quum is qui admonetur, probossum reputat maioribus suis cedere, et partum ab illis splendorem obscurare. Vergilius Aeneidos III. in persona Andromaches:

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles  
Et pater Aeneas, et avunculus excitat Hector?

Quod sic lib. XII. repetitum est:

Tu facito mox quum matura adoleverit aetas,  
[pag. 58] Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum  
Et pater Aeneas, et avunculus excitat Hector.

## CAPUT IX.

*Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat. In communem quidem rem publicam gladium movit, quum hoc aetatis esset, quod tu nunc es: duodecimum egressus annum iam pugiones in sinu amicorum absconderebat. Iam insidiis Marci Antonii consulis latus petierat. Iam fuerat collega proscriptoris. Sed quum annum quadragesimum transisset, et in Gallia moratur, delatum est ad eum indicium, Cinnam stolidi ingenii virum insidias ei struere. Dictum est et ubi, et quando, et quemadmodum aggredi vellet. Unus ex consciis deferebat. Constituit se ab eo vindicare. Consilium amicorum advocari iussit. Nox illi inquieta erat, quum cogitaret adolescentem nobilem hoc detracto integrum, Cn. Pompeii nepotem damnandum. Iam unum hominem occidere non poterat. Quum proscriptionis edictum inter coenam dictaret gemens, subinde voces emittebat varias, et inter se contrarias. Quid ergo? Ego percussorem meum securum ambulare patiar, me sollicito? Ergo non dabit poenas, qui tot civilibus bellis frustra petitum caput, tot navalibus, tot pedestriis praeliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constitutus, sed immolare? Num sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito, maiore multo voce sibi quam Cinnae irascebatur. Quid vivis, si perire te, tam multorum interest? Quis finis erit suppliciorum? Quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentibus expositum caput, in quod mucrones accuant. Non est tanti vita, si ut ego non peream, tam multa perdenda sunt. Interpellavit tandem illum Livia uxor. Et admittis, inquit, muliebre consilium? Fac quod medici solent,*

[pag. 59] qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti. Salvidenum<sup>1)</sup> Lepidus ~~sequutus~~ est, Lepidum Murena, Murenam Coepio, Coepionem Egnatius, ut alios taceam: quos tantum ausos pudet. Nunc tenta quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnae: deprehensus est. Iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest. Gavisus tibi, quod advacatum invenerat, uxori quidem gratias egit: renunciari autem extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, impetravit, et Cinnam unum ad se accersit, dimissisque omnibus egressus e cubiculo, quem alteram Cinnae cathedram poni iussisset. Hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpellas, ne meo sermone medio proclaims: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te Cinna, quem in hostium castris invenissem, non factum tantum mihi inimicum, sed natum, servavi: patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, et tam dives, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militavabant, dedi. Quum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Quum ad hanc vocem exclamasset, procul hanc a se abesse dementiam, Non praestas, inquit, fidem, Cinna: convenerat, ne interloquereris. Occidere inquam me paras. Adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et quum defixum videret, nec ex conventione iam, sed ex conscientia tacentem, Quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? Male mehercule cum republica agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia in privato iudicio superatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Caesarem advocate. Cedo,<sup>2)</sup> si spes tuas solus impedio, Paulusne te et Fabius Maximus et Cossi et Servili ferent, tantumque agmen nobilium non inania nomina praferentium, sed eorum qui imaginibus suis decori sint?<sup>3)</sup> Ne totam eius [pag. 60] orationem repentendo, magnam partem voluminis occupem (diutrus enim quam duabus horis loquutum esse constat) quum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Post haec detulit ultro consulatum, questus, quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit, haeres solus fuit illi. Nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.

Sic sunt distinguenda orationis partes ut uno spiritu hoc efferratur; *Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat.* Deinde quod sequitur, seorsum pronuncietur: *In communem quidem rempublicam gladium movit*

1) Ed. Amst.: Salvidenum. 2) Edd. 1611 sqq.: Credo.  
3) Ed. Amst.: sunt.

quum id aetatis esset quod tu nunc es. Qui enim eius temporis historiam prodiderunt, omnes uno ore Augusti clementiam celebrant, postquam solus sublati Lepido et Antonio reipublicae administrationem suscepit. In triumviratu acri ferocique ingenio proscribendi saevitiam exercuit, et alia quaedam edidit crudelitatis plena opera, quae recensere longum est. Tranquillus in eius vita: Clementiae civilitatisque eius multa et magna documenta sunt. Vide Cornelium Tacitum lib. I., Ovidium in pluribus locis. Nolui enim hic haerere, quia quaedam ut se offerant, sparsim attingentur.

*In communem rempublicam gladium movit]* Erasmus in posteriori editione legit, in communis republika. Utraque lectio sustineri potest. Nam Caesar octodecim plus minus natus annos, in expeditionem missus adversus Antonium, qui tunc Brutum Mutinæ obsidebat, negotium intra tres menses confecit. Paulo post fugato Antonio, consulum altero in acie interempto, altero ex vulnere mortuo, animum ad petitionem consulatus adiecit: quia et suspicio insederat hominum animis, occisum ab eo Hirtium in pugnae tumultu, et Pansae vulneri, eiusdem instinctu, venenum a Glicone medico illitum: quo fractis opibus Antonii, et republica ducibus orbata, dominatum ad se reciperet. Et senatui visum erat, eius potentiam revocato exercitu scindere. His inquam nunciis territus, operam intendit at petendum consulatum. Et quum de successu ambigeret, legiones urbi admovit, arma quae sibi pro republica data erant, in rempublicam convertens. Quo tempore sic ad eum Cicero scribit: Quo [pag. 61] te misimus? a quibus revertaris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? a quibus exercitum abducis? et adversus quos aciem struis? cur hostis relinquitur, civis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius adversarium castris, et proprius urbem moventur? Paulo post cum Antonio et Lepido sceleratam triumviratus societatem coepit coire. Ita circiter undevicesimum aetatis annum in rempublicam gladium movit, et in republica.

*Id aetatis quod tu nunc es]* Sic ineunda est supputatio ex Tranquillo: Quadrivimus patrem amisit. Duodecimum annum agens, aviam Iuliam defunctam pro concione laudavit; quadriennio post, virili sumpta toga, militaribus donis triumpho Caesaris Africano donatus est. Quid temporis intercesserit inter id, et mortem Iulii dictatoris, alia supputatione colligendum. Siquidem primum cum M. Antonio atque Lepido, deinde tantum cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quatuor et quadraginta solus rempublicam tenuit. Mortuus est anno aetatis septuagesimo sexto, diebus quinque et triginta minus. Demantur anni sexdecim ad id tempus quo aviam laudavit in funere, deinde anni fere duodecim societatis cum Lepido et Antonio, post XLIV. qui assignantur monarchiae, supersunt anni quatuor.

Quibus partim stetit a republica partim ad partes Antonii et Lepidi deflexit. Ex qua etiam observatione deprehenditur, conscriptum esse hunc librum a Seneca anno imperii Neronis II. qui septemdecim natus annos Claudio successit: ex quo fluxerat annus integer, et alter agebatur. Erat enim undevicesimum ingressus annum. Syntaxis qua hic usus est Seneca, licet non adeo trivialis, usurpatum a bonis autoribus. Cicero Epist. VII.: Et id aetatis iam sumus, ut omnia quae non nostra culpa accident, ferre fortiter debeamus. Libro I. de Oratore: Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis oneris imponitur. Idem in Verrem: Hominem id aetatis minime litigiosum quam tumultuosissime aggreduntur. Philippica II.: Dixit P. Africanus et in fratre suo summam esse virtutem, summumque consilium, neque se ei legatum id aetatis, iisque rebus gestis defuturum. Plautus: Quid aetatis tibi videor? Apuleius in V. Metamorphoseon: Ut primum quidem tuae parentis, imo dominae praeceltae calcares, nec sordidis amoribus inimicam me veram cruciales, verum etiam hoc aetatis puer, tuis licentiosis et immaturis iungeres amplexibus.

*Iam M. Antonii consulis latus]* Satis constat Antonium eo anno fuisse consulem, quo Caesar Iulius a coniuratis caesus est. Quamobrem et Caesaris commentaria penes se habuit (quia decretum erat a senatu, ne eius acta rescinderentur), et pecuniam, quam apud eum [pag. 62] Calphurnia deposuerat, quatuor millia talentorum. Eam quum Octavianus haeres ex dodrante scriptus, repeteret, contumeliose habitus est. Haec prima fuit causa dissidii: quod tamen temporarium fuit. Redierunt per communes amicos in gratiam, congressu in capitolio habito: ea nocte dormientem Antonium terribilis visio excitavit. Visum est ei dexteram de coelo feriri, nec multo post nunciatum est illi Caesarem insidias tendere. Quam ob causam rursus inter eos ardentissimae inimicitiae exortae sunt. Autor Plutarchus in Antonio. Meminit etiam Tranquillus his verbis: Hortantibus nonnullis percussores ei subornavit. Idem tradit Appianus.

*Iam fuerat collega proscriptoris]* Hostis consulis, proscriptoris collega. Non enim inter eos convenit, nisi initis de triumviratu et ultra ducentorum ciuium procriptione, pactionibus.

*Quum annum quadragesimum transisset, et in Gallia]* Nempe anno imperii nono, quum Mediolani staret, ut ad primam quamque occasionem Druso adesset bellum gerenti adversus Germanos.

*Delatum est ad eum indicium]* Saepe huiusmodi delationes, merae sunt calumniae, quibus patent aures principum: huic vero indicio ita omnes circumstantiae loci, temporis, modi, apponuntur, ut pro re comperta esse possit.

*Cinnam]* Quis iste fuerit Lucius Cinna, apud alios autores non reperio. Primum in ea opinione fui, eundem esse Cinnam, qui graviter et aspero in Caesarem mortuum apud populum concionatus erat, quia videbatur verisimile, cum qui unus semel fuisse ex vindicibus libertatis, stetisse in proposito: eaque causa fuisse infensum Augusto. Sed postea animadverti Cornelium esse, non Lucium, et vocari a Seneca adolescentem, qui foret iustae senectutis. Forte is ipse est, cuius tacito nomine meminit Valerius libro nono cap. de dictis improbis aut factis sceleratis.

*Unus ex conscientis deferebat]* Index proprie dicitur, ut autor est Paedianus in divinationem, qui facinoris cuius est conscientis, latebras indicit, impunitate proposita. Cuius nominis proprietatem expressit Seneca per periphrasim. Videas tamen alicubi non observatam a probis autoribus. Curtius libro nono: Bessus, quanquam erat graeci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia, indicium Patronem detulisse credebat. Nam ut certum est, Patron nunquam consilium inierat cum coniuratis, nec erat proposita impunitas. Idem libro sexto: Ille Ceballino in armamentario abscondito, protinus regi corpus forte curanti, quid index detulisset, ostendit. Quum tamen Ceballinus non esset e numero coniuratorum, et detulisset non proposita impunitate.

*Nox illi inquieta erat]* Ex eorum more qui res magnas animo volvunt, et in magnis cogitationibus [pag. 63] suspensi haerent. Nam ut ait Ovidius:

Conscia curarum nox intempesta.

Unde illud apud poetam:

Et sub nocte cura recursat.

Item:

Nec placidam membris dat cura quietem.

In quem sensum Aristophanes eleganter vocavit δυσκολόχοις τε μερέμνην.

*Quum cogitaret]* Haec illi tum obversabantur, nobilitas viri, ob quam multo favore, multisque opibus polleret. Integritas vitae et morum, hac una proditionis exceptione. Probitas, quae iniuria damnatum argueret. Pompeii cognatio, quae omnium illi populorum gratiam conciliaret, ob hominis viventis celebritatem, et mortui gratam memoriam. Ita suspensus animi, Cinnam occideret necne, ambigebat.

*Iam unum hominem]* Epiphonema, seu rei narratae clamatio. Cuius generis est illud Ciceronis: Facere enim fortis adolescens periculose, quam perpeti aliquid turpiter maluit. Et Vergili:

Tantae molis erat romanam condere gentem.

Quum enarrasset Octavianum intendisse insidias vitae consulis, rempublicam armis pulsasse, fuisse civium proscriptorem, et nunc diu de morte homi-

nis deliberare, tandem exclamat: Iam unum hominem occidere non poterat.

*Quum M. Antonius proscriptionis edictum]* Videri posset lapsus memoria Seneca, ut aliquando solet. Si enim supra quadraginta annos natus Augustus, ergo novem annis aut circiter post debellatum Antonium: quo tamen expugnato, ut testatur Plutarchus, publico edicto vetitum est, ne quis ex Antoniorum familia Marcus appellaretur. Ita nullus potuit esse id temporis M. Antonius, qui proscriptionis edictum dictaret. At vix credibile est adeo pueriliter hallucinatum esse Senecam in re praesertim suis temporibus gesta: quo fit ut malim omittere nomen M. Antonii.

*Quid ergo?* Dialogismos, schema rhetoricum, quum quis secum disputat et deliberat. Observat formam et decorum orationis patheticae, quae ab odio et indignatione proficiscitur, abruptum habens initium: ut ait Macrobius. Iuno apud Vergilius:

Mene incepto desistere victimam?  
Nec posse Italia Teucrorum avertere gentem?

#### Aiax XIII. Metamorphoseon:

Agimus proh Iuppiter, inquit,  
Ante rates causam? et mecum confertur Ulysses?

Movet etiam indignationem, quum percussorem vocat, quasi iam perpetraverit quod statuerat. Securum eum, se sollicitum.

*Tot civilibus bellis]* Bella civilia quinque gessit Augustus, quemadmodum Tranquillus, exsequitur. Primum Mutinense, contra M. Antonium, quo Decimum Brutum consulem designatum obsidione liberavit. Secundum Philippense, adversus Brutum et Cassium, quo vindicavit mortem patris adoptivi, ubi prius inter Pompeium et Caesarem depugnatum [pag. 64] fuerat. Unde invidiose exclamat Vergilius:

Ergo inter sese paribus concurrere telis  
Romanas acies iterum videre Philippi.  
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro  
Aemathiam et latos Haemi pinguescere campos.

Perusinum, adversus L. Antonium, triumviri fratrems. Quartum Siculum, contra Sextum Pompeium piraticam exercentem. Quintum Actiacum, contra Antonium et Cleopatram. Haec Ovidius recensuit lib. XV. Metamorphoseon:

Illi auspicis ob sessae mbenia pacem  
Victa petent Mutinæ, Pharsalia sentiet illum,  
Aemathique iterum remadescent caede Philippi,  
Et magnum Siculis nomen superabit undis,  
Romanique ducis coniunx Aegyptia taedæ  
Non bene fixa cadet, frustraque erit illa minata,  
Servitura suo Capitolio nostra Canopo.

Ex his quaedam pedestria fuerunt: ut Mutinense, Perusinum, Philippense: reliqua duo navalia, Siculum et Actiacum. Nec defuerunt externa bella, ut Dalmaticum et Cantabricum. Quod sua pericula commemorat Augustus, hunc habet sensum: qui tot bellorum pericula evasit, quem fortuna tot discri-

minibus servatum voluit, hic vult perdere. Ab hisdem locis movet affectus Alexander apud Curtium lib. VI.: Quam feliciter in acie cecidisse, potius hostis praeda, quam civis victima? nunc servatus ex periculis, quae sola timui, in haec incidi, quae timere non debui.

*Pedestriis praelijs]* Frequentius et usitatius pedestre praelium dicitur, quam pedestrium. Hic tamen ea forma ponitur pedestrium, qua vulgarium Gellio, pro vulgari, et singularius pro singulari. Vide Nonium Marcellum de mutata declinatione.

*Postquam terra marique pax parta est]* Facit invidiam L. Cinnae, ex eo quod autor publicae pacis, parta omnibus populis quiete, unus ipse insidiis petitur. Significat autem id tempus, quo devictis Antonio et Cleopatra ad Actium promontorium, Iani templum clausit, quod observatum signum est pacis. Livius, Tranquillus, Plutarchus in vita Numae. Vergilius:

Claudentur belli portae, furor impius intus  
Saeva sedens super arma, et centum vincitus ahenis  
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

#### Ovidius I. Fastorum:

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos,  
Pax ades, et toto mitis in orbe mane.  
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi,  
Tu ducibus, bello gloria maior eris.

[pag. 65] *Non occidere, sed immolare*] Occidere quidem et immolare, sed illud tanquam levius, quod tamen per se grave est, elevat: ut atrocitatem criminis exaggeret, quia et diis praesentibus testibus facinus perpetratur, et hostiae purae et sanctæ humano sanguine respurguntur.

*Adoriri]* Iuxta verbi proprietatem. Est enim adoriri, ut admonet Donatus in Andriam, ex insidiis repente invadere, ex eo quod corpora ingrediuntur exsurgent subito, atque increcant. Idem in Adelphos: Aggredimur de longinquo, adorimur ex insidiis. Cicero in Milone: Qui erant cum Clodio, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur. Livius lib. VII.: Via patentiore ad hostem ducuntur, quem incautum improviso adortae etc. Idem lib. XXI.: Ut quum facto opus sit, adoriarunt a tergo hostem. Curtius libro VIII.: Quem praetergressum sylvam, qui in ea consederant, ex improviso adorti, cum omnibus interemerunt. Nec tamen haec differentia ubique servatur.

*Rursus silentio*] Prius consilium capiebat in mortem hominis. Non aequum esse percussorem suum impunitum dimitti se sollicito. Esse irrogandam poenam insidiatori, qui in eius mortem conspiaverit, cui fortuna toties pepercerat. Nunc in se ipsum vertit accusationem, et vitam suam detestatur, quae tot hominum mortes secum trahat. Moriendum itaque sibi concludit, quia vivere non potest sine multorum malo.

*Admittis muliebre consilium]* Verba sunt Liviae Drusillae Augustum compellantis, et verecunde excusantis hac præfatiuncula, quod mulier seriis consiliis se immisceat. Ad hunc modum Porcia apud Plutarchum Brutum alloquitur: Scio muliebrem naturam fragilem esse ad arcana ferenda. Sed est, o Brute, vis quaedam et bonae educationis, et optimae consuetudinis, ad ingenium mihi, et Catonis esse filiam, et Bruto coniugem datam esse. Livius belli Macedonici lib. IV. in oratione Catonis: Maiores quidem nostri nullam, ne privatam quidem rem, agere foeminas sine autore voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum. Quamobrem vehementer obiurgatur Iuno a Iove quod se audacius in seria deorum consilia ingereret. Iliados lib. I.

*Salvidenum Lepidus sequutus est]* Is est Q. Salvidenus, cui classem Augustus commisit oppugnaturus terra marique Sextum Pompeium, in magnis honoribus habitus, et ad consulatum usque proiectus liberalitate Augusti: quem nefaria contra Caesarem molitus, suo indicio detexit Antonius. Damnatus tandem mortem sibi concivit. Autor Livius lib. CXXVII. ut indicat L. Flori Epitome et Eusebius in chronicō. Hallucinantur Suetonii interpres, qui Cornelium Gallum senatui damnandum traditum putant, Salvideno tantum provinciis interdictum. [pag. 66] Verba Tranquilli sunt: Quorum alterum res novas molientem damnandum senatui tradidit: alteri ob malevolum animum domo et provinceis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denunciationibus, et senatusconsultis ad necem compulso, landavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium. Caeterum et illaerymavit, et vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. Lepidus, non ille Pontifex Maximus, et collega Augusti in triumviratu, sed eius filius, quem Lepidum iuvenem vocat Tranquillus. L. Florus in librum III. Decadis XIII.: Imposito fine civilibus bellis, altero et trigesimo anno, M. Lepidus, qui Lepidi Triumviri fuerat filius, coniuratione contra Caesarem facta, bellum moliens oppressus et occisus est. Muraena et Coepio Proculeii fratres, si Porphyroni credimus. Muraenae proditio Castritio indice detecta est. Vide Tranquillum in eius vita. Idem etiam in vita Tiburii. Fannium Coepionem, qui cum Varrone Muraena in Augustum conspiraverat, reum maiestatis apud Iuvenes fecit, et condemnavit. Seneca in libro de brevitate vitae: Dum ultra Archenum, Eufratem, et Danubium terminos movet, in ipsa urbe, Muraenae, Coepionis, Lepidi, Egnatiorum, in eum mucrones acuebantur. Vult ergo dicere Livia, neque poena Salvideni Lepidum territum, neque Lepidi supplicio Muraenam, nec Muraenae Coepionem. Nota schema rhetoricum, quod climax dicitur, quale illud,

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita.

*Ut alios taceam]* Nempe Plautum Rufum, L. Audactium, L. Paulum, Varronem, Telephum, Aridasium, Epicadum.

*Ignosc L. Cinnae: deprehensus est]* Sensus est, si ignoscis L. Cinnae ad exemplum trahetur venia, et famae tuae proderit. Nempe magnum clementiae tuae documentum. Nec iam tibi timendum est ab eius insidiis. Semel deprehensus nocere amplius non potest. Deprehensus proprie est verbum nauticum, ut docet Servius. Statius primo Thebaidos:

Ac velut hyberno deprehensu navita ponto.

Ovid. in Epist. Didonis:

Finge age te rapido, nullum sit in homine<sup>1)</sup> pondus,  
Turbine deprendi, quid tibi mentis erit?

Caeterum ad alia transfertur, quum volumus significare aliquem ita angustiis constrictum, ut nulla patet ad effugium via. Curtius lib. VII.: Tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis ne fugae quidem, nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. Quintilianus lib. XII.: Ut parva quaedam in angustiis mobilia, in campo deprehenduntur. Vere igitur deprehensus erat Cinna, quia index detulerat et ubi, et quando, et quomodo aggredi vellet.

*Ego te Cinna]* Oratio [pag. 67] Augusti ad Cinnam, plena artificiū rhetorici, sic tamen ut ars latet, et quasi fluat non affectata. Proponit primum sua merita, quibus Cinnam sibi obligaverat, si ille parem referre gratiam, ut iustum erat, voluisse. Repertum hostem in hostium castris, quum iure belli occidere liceret, servasse. Nihil ex matrimonio ademisse, quum eodem iure in praedam cederet. Sacerdotium detulisse, quum plurimi petarent bene meriti. Nihil igitur habet suum: vita, fortunae, honores, Augusti beneficia sunt. Haec tamē quum ita habeant, ostendit ut sibi competum sit, consilium iniisse de sua morte. Atque ita hominem illigat omnibus circumstantiis, ut tergiversari non possit. Iam probata est coniuratio. Addit spei inanem concipere, si regnandi cupiditate imperatorem tollere statuerit. Qui enim orbis imperium sustineret, qui praeesse familiae non potest? Quod si alio sit opus Augusto, non esse Cinnam tantum assequutum dignitatis, ut sit imperio destinatus. Esse plurimos Romae et gentis nobilitate non inferiores, et superiores omnibus ornamenti, qui non patientur hunc sibi honoris gradum praescipi. Ergo quum facinus perpetraverit, fore illi inutile.

*Praeteritis pluribus]* Nomen in hac significacione elegans. Dicitur enim populus eos ex competitoribus in comitiis praeterire, quos suis suffragiis non adiuvat; et censores eum senatu mo-

1) Sic libri nostri omnes. In Ovidii edd. hodie legitur nomine.

vent, quem in senatoribus recensendis praetereunt; et pater in iure dicitur filium praeterire haeredem, quem in loco haeredum non habet. Cicero in oratione pro Plancio subinde repetit, sed unum tantum exemplum subiiciemus. Nunc tantum dispu-  
de iure populi, qui potest et solet nonnunquam dignos praeterire: nec si a populo praeteritus est quem non oportuit, a iudicibus condemnandus est, qui praeteritus non est. Livius libro IV.: Principes plebis ea comitia malebant, quibus non habere-  
tur ratio sui, quam ut indigni praeterirentur.

*Non praestas fidem]* Quod vulgo dicitur, ac-  
quitare se de suo promisso. Cicero Epist. lib. I.: Ut si rex amicis tuis qui per provinciam imperii  
tui pecunias ei credidissent, fidem suam praestis-  
set, auxiliis quum adiuwares. Idem libro V.: Quan-  
cunque fidem dederis, praestabo. Graeci dicunt  
*τύρασθαι*, ut docet Budaeus in annotationibus.

*Et quum defixum videret]* Vultu demisso ter-  
ram spectantem, sive id verecundia faceret, sive  
timore poenae stupidus et attonitus. Eo enim com-  
pulsus erat, ut iam non posset dissimulare facinus.  
Nam, ut ait Iuvenalis satyra nona:

Deprendas animi tormenta latentis in aegro  
Pectore, deprendas et gaudia, sumit utrumque  
Inde habitum facies.

[pag. 68] *Ex conscientia tacentem*] Non purgare  
se, non diluere obiecta, et accusationem silentio ex-  
cipere, confidentis est. Unde illud inter iuriscon-  
sultos vulgare: Qui tacet, consentire videtur. Reo  
enim causam deserente, accusator obtinet.

*Male cum republica agitur]* Qui domi suae prae-  
esse nequit, is ne ad publica munera adspiret.  
Oeconomica enim, umbra quadam est et imago  
politicae, ut ait Aristoteles. In familia enim uxor,  
liberi, servi, liberti, faciunt parvam reipublicae spe-  
ciem. Paterfamilias regis loco est: qui si est impe-  
ritus et minime idoneus, quorum affectat maiora?  
Hoc volunt verba Aeschinis contra Ctesiphontem:  
Qui filios odit, et malus est pater, nunquam bonus  
governator populi esse potest: nec qui privatim est  
malus, unquam bonus publice esse potest.

*Cedo, si spes tuas]* Hoc dictum per rhetoramicam  
permissionem accipio. Haec etiam sententia aliud  
rhetoricum schema complectitur, quod dicitur com-  
municatio, habetque usum maxime in coniecturis  
quum adversarium consulimus.

*Paulusne te, et Fabius Maximus]* Antiquae et  
insignis apud Romanos nobilitatis familiae fue-  
runt. Nam Paulos satis superque illustravit L.  
Paulus, qui consul apud Cannas occidit, et Fabios  
non solum ille Maximus, sed trecenti quoque illi  
qui omnes ad unum animas reipublicae depende-  
runt; Cossos, Cossus ipse qui Larte Tolumnio oc-  
eiso opima spolia Iovi Feretrio retulit; Servilius  
vero Servilius Hala, qui Sp. Melium regnum affec-

tantem obtruncavit magister equitum. Qui ex una-  
quaque familia celebres fuerint tempore Augusti,  
nescio. Quintilianus lib. VI. Fabii meminit, qui  
incusans congioriorum Augusti quae amicis dabat,  
exiguitatem, heminaria esse dicebat. Et forte is  
ipse est ad quem sunt elegiae Ovidii in libris de  
Ponto.

*Agmen nobilium non inania nomina preferen-  
tium]* Nomen inter alia significata hoc habet ele-  
gantissimum, quum accipitur pro nobilitate. Cicero  
Verrina II.: Proponit inania mihi nobilitatis, hoc  
est hominum arrogantium nomina. Pro Cn. Plan-  
cio: Est tuum nomen utraque familia consulaire.  
Non dubitas igitur quin omnes qui favent nobili-  
tati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus,  
qui nominibus vestris ducuntur, te aedilem  
fecerint. Idem lib. III. Epistolarum: Quum ea  
nondum consequutus eram quae sunt hominum opini-  
onibus amplissima, tamen ista vestra nomina  
nunquam sum admiratus. Viros eos qui ea vobis  
reliquerant, magnos arbitrabar. Saepius in ora-  
tione pro Ligario. Iuvenalis Satyr. VIII.:

Et tamen ut longe repetas, longeque revolas  
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

Ita Servius in secundo Georgicon interpretatur il-  
lud Vergilii

Aliquod nomenque decusque  
Gessimus.

[pag. 69] *Marcello quoque nomen decus ac dignita-  
tem significat, qualiter etiam Vergilius usurpavit  
libro secundo Aeneidos:*

Non tamen indecorum tua te regina relinquet  
Extrema iam in morte, neque hoc sine nomine lethum.

Hinc forte manavit nomen pro gentilitia nobilitate  
acciipi, quod commendatio a maiorum nobilitate ad  
posteros transmittitur. Unusquisque autem nomen  
a rebus gestis assumebat. Ovidius Fastorum I.:

Respicie dispositas generosa per atria ceras,  
Contigerant nulli nomina tanta viro.  
Africa victorem de se vocat, alter Isaurum  
Aut Cretum domitas testificatur opes.

Qua ratione etiam pro familia et cognatione legitur.  
Vergilius libro VI.:

Nostrumque in nomen ituras.

Et iurisconsultus dicit fundum legari sub conditione,  
ut in nomine permaneat.

*Sed qui imaginibus suis decori sunt]* Exegesis.  
Qui enim imaginibus suis decori sunt, non inania  
nomina praferunt, qui maiorum gloria, non suis  
rebus gestis turgescant atque inflantur, dicuntur  
inania nomina praeferre, quasi maiorum suorum  
meritis tantum honoris debitum sit, ut redundaret  
quod posteris solveretur. De imaginibus dicerem  
quae nunc memoriae succurrunt, nisi omnia suffi-  
ceret Budaeus. Unum quod ille praetermisit, hic  
inseram, quum maxime ad rem faciat: Ius imagi-

nis dari solitum apud Romanos, quemadmodum senatoriam dignitatem, et alia publica ornamenta. *Cicero. Verrinac VII.* Sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam.

*Hanc poenam]* Scilicet exprobationem suorum beneficiorum et ingratitudinis Cinnuae.

*Vitam tibi iterum do]* Peroratio, in qua Augustus Cinnam admonet, et pro quanto beneficio sibi tam male prius gratiam reposuerit, et quantum in posterum debiturus sit. Vitam semel Augusto debbat, quam hostis hosti concessisset: nunc bis debet, et ei quidem, cui mortem est machinatus.

*Insidiatori ac parricidae]* Quoniam ut apud Tranquillum legimus, parricidae vocati sunt qui Caesari manus attulerant in curia, quasi patris publici occisores, et idus martiae parricidium nominatae. Cicero lib. XII. Epistolarum Cassio: Augest tuus amicus furorem in dies: primum in statua quam posuit in rostris. inscripsit: Parenti optimo merito. Ut non modo sicarii, sed etiam parricidae iudicemini. Ad id etiam allusit Valerius lib. I. M. etiam Bruti dignus admisso parricidio eventus est omne designatus. Et in aliis aliquot locis.

*Ex hodierno die]* Sensus est: Sic mutuam ineamus benevolentiam, quasi nulla antehac fuerit: omnes iniurias oblivione conteramus, fingamus nunquam fuisse diremptum amorem, ne qua labecula incidat, [pag. 70] quae obscuret praesentem benevolentiam. Certemus ex hoc die officiis, modo intellegas te velut debitum persolvere, me ultiro provocasse quum nihil deberem.

*Utrum ego meliore fide]* Sic a Curtio inducitur Alexander verba faciens ad milites: Eadem fide redeite mecum in gratiam, qua vobiscum revertor. Bona fides hic, quae Graecis ἐπιείκεια καὶ χρηστότης, id est probitas et sinceritas in servandis promissis. Tranquillus in Augusto: Populo promissum congarium reposcenti, respondit, se bonae fidei esse. Seneca Epist. 12: Nunquam bona fide vitia mansuecant.

*Nullis amplius insidiis]* Clausula quae exemplum rei praesenti accommodat. Erat enim probandum, augeri a regibus inimicorum numerum tollendo, quia parentes et propinqui in demortuorum locum succedunt.

## CAPUT X.

*Ignorit abarus tuus victis. Nam si non ignorisset, quibus imperasset?* Salustium, Cocceios, et Deilius, et totam cohortem primam interioris admissionis ex adversiorum castris conscripsit. Nam Domitios, Messalas, Asinios, Cicerones, et quidquid floris in civitate erat, clementiae suae debebat. *Ipsum*

*Lepidum quamdiu mori passus non est? Per multis annos tulit ornamento principis retinente. Eius pontificatum maximum non nisi mortuo illo transferri in se passus est. Maluit enim illum honorem vocari, quam spolium. Haec eum clementia ad salutem securitatemque perduxit. Haec gratum favorabilemque reddidit, quamvis nondum subactis reipublicae cervicibus manum imposuisset. Haec hodie praestat illi famam, quae vix vivis principibus servit. Deum esse, non tanquam iussi, credimus bonum principem Augustum, et bene illi convenisse parentis nomen fatemur, ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quae acerbiores principibus solent esse quam iniuriae, nulla crudelitatem exsequebatur: quod probrosis in se dictis arrisit: quod dare illum poenas apparabat, quum exigeret: quod quoscunque ob adulterium familiae suaee damnaverat, adeo non occidit, ut dimisis, quo tutiores essent, diplomata daret. Hoc est [pag. 71] ignorare, quum scias multos futuros qui prote irascantur: et tibi alieno sanguine gratificantem, non dare tantum salutem, sed pruestare.*

Quod ad exempli similitudinem pertinebat, expeditum est, tantum profecisse Augustum sua erga Cinnam clementia, ut et illum sibi amicum redderet, et nullis amplius insidiis ab ullo peteretur. Est igitur alterum exemplum, victis ignoruisse Augustum, idque illi feliciter cessisse, quo ad eandem facilitatem Neronem alliciat. Ovidius libro II. Trium id ipsum testatur ad Augustum scribens:

Divitiis etiam multos et honoribus auctos  
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.  
Quaque dies bellum, belli tibi sustulit iram:  
Parsque simul templis utraque dona tulit.

*Idem lib. I. de Ponto:*

Sed piger ad poenas princeps, ad praemia velox:  
Quique dolet quoties cogitur esse ferox.  
Qui vincit semper, victis ut parcere possit:  
Clausit et aeterna civica bella sera.  
Multa metu poenae, poena qui pauca coercet,  
Et iacit invita fulmina rara manu.

*Abarus tuus]* Non temere reperias qui assecuratur, quomodo hoc gradu cognitionis ad Augustum pertineret Nero. Nam abarus eius stirpis paternae fuit Domitius is, qui praetor Caesarēm abeuntem consulatu, quem contra leges auspiciaque gessisse existimabat, ad disquisitionem senatus vocavit. Mox consul imperatorem ab exercitibus gallicis retrahere tentavit: successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corphinium captus est, acieque demum Pharsalica occubuit, inquit Tranquillus. Qua ratione Augustus non abarus, sed proavunculus dicendus esset. Siquidem Octavius pater Augusti filiam habuit Octaviam, quae Antonio in matrimonium collocata, ex eo duas filias sustulit, quarum maior Antonia nomine, ex Domitio avo peperit Domitium patrem. Abarus mater-

nus Tiberius Nero Liviae Drusillae, quae postea Augusto nupsit, coniux. Nam ex ea Drusum genuit patrem Germanici: ex quo rursum Agrippina genita Neronis mater. Nec fuisse proprie abavum adoptivum facile percipitur. Est enim adoptatus a Claudio patruo suo magno, Drusi autem filio, qui privignus erat Augusti. Qua etiam ratione, ne per abusionem quidem, abnepos fuerit, sed pronepos. Uno tamen modo iure adoptionis sic vocari potest, quod Drusum privignum suum Neronis proavum [pag. 72] naturalem adoptavit. Tacitus lib. XIII.: Cum Nerone simul tertium init consultatum Valesius Messala, cuius proavum oratorem Corvinum divo Augusto abavo Neronis collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. Hoc vero animadversione dignum, ab eodem Tacito lib. XIV. semel Augustum Neronis atavum dici in oratione Senecae ad Neronem, in oratione Neronis ad Senecam avum appellari, Alciato connivente, et minutias quasdam interdum consecstante.

*Coccoeios*] L. Cocceium intelligo, qui prius communis Octavio et Antonio amicus, autor fuerat ciliandi inter eos foederis.

*Duellios*] Lego Deillios, nullo exemplari suffragante, sed non levi conjectura. Eumque Deillium esse interpretor, quem Messala Corvinus dsertorem bellorum civilium vocabat: quia (ut ipse Seneca lib. I. Suasor. scribit) a Dolabella ad Cassinum transierat, inita pactione ut Dolabellam occideret. Deinde a Cassio ad Antonium, novissime ab Antonio ad Augustum transfugerat. In quo loco Deillius sine controversia legitur. Eius quoque meminit Plutarchus in Vita Antonii: ubi tamen corrupte legitur Delius in vulgaribus codicibus.

*Totam cohortem primam interioris admissionis*] Quod officium inter aulica munia non postremae fuit dignitatis, quantum ego intelligo. Sunt enim isti admissionales, qui aditu in cubiculum principis prohibent quos volunt, et quos volunt admittunt. Lampridius in Alexandro: Salutaretur vero quasi unus de senatoribus, patente velo, admissionibus remotis, aut solis iis qui ministri ad fores fuerant. Suetonius in Vespasiano: Trepidum eum interdicta causa sub Nerone, quaerentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, Morboniam abire iusserat. Iis praeest magister admissionum, cuius meminit Ammianus Marcellinus libro XV. Eiusmodi fere erant et regibus Macedonum. Curtius libro VI.: Ceballinus ante vestibulum regiae (neque enim proprius aditus ei patebat) constitit opperiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad regem. Et libro VIII. dicit nobilissimos iuvenes Macedonum solere describi in eam cohortem, qui seminarium erant ducum, praefectorumque. Quod autem addit, *interioris*, epitheton facit ad emphasin. Tran-

*Calvini opera. Vol. V.*

quillus in Caligula: Sed avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam. Statius primo Thebaidos:

Lectus concilio divum convenerat ordo  
Interior polo.

Hinc et Vergilius: domus interior pro ipsis penetralibus.

*Nam Domitios, Messalas, Asinios, Cicerones*] Hi omnes partes Cassii et Bruti tuebantur: quibus profligatis, quidam etiam ad Sex. Pompeium [pag. 73] transierunt: Domitius quidem inter conscos Caesarianae necis, quamquam insonis, lege Pedia damnatus, ad Brutum et Cassium se contulit: a quibus acceptam classem diu retinuit: quorum accisis opibus Antonio tradidit, et in patriam restitutus, amplissimos honores adeptus est. Postremo civili dissensione orta inter Octavianum et Antonium, ab Antonio descivit, navicula ad Octavianum transvectus. Autors Plutarchus in Antonio, et Tranquillus in Nerone. Verum alterum forte hic designat Seneca. Neque enim beneficentia Augusti in civitate floruit, quia non ab Augusto, sed ab Antonio in fidem acceptus, neque humilis aut supplex, sed ingentis meriti loco, ut qui reliquias belli magnis viribus repararet, et paulo post quam ad Augustum transfugit relicto Antonio, vita decessit. Nisi mavis arbitrari abusum Senecam historia ad Augusti laudem. De Messala narrat Plutarchus, quem ait Cassio fuisse perfamiliarem, ac pridie quam infeliciter pugnatum est in Philippis, cum eo coenasse, quum paucissimos ex domesticis in ea coena haberet. Huc certe argumento est, in magno pretio habitum, quod quum Brutus a Cassio exorasset sibi dexterum cornu, additus est illi Messala, partem militum bellicosissimam secum habens. Postea Augusto reconciliatus, consul factus est, et demandante senatu Augustum patrem patriae salutavit. Primus etiam urbis praefectus, autore Dionysio et Eusebio. Asinius vero, cuius mentio fit a Seneca, non ille est Pollio, qui Iulium in bellis civilibus sequutus, strenuam illi adversus Pompeium operam praestitit: quem Cicero in quadam Philippica inter portenta annicorum Caesaris numerat, et cum quo velut cum amico primario Iulium de traicio Rubicone liberasse affirmat Tranquillus, et qui postea Augusto opitulatus est in debellando Sex. Pompeio, ut scribit Plutarchus in vita Catonis Uticensis. Magis crediderim aut Asinium Gallum, aut alium quempiam ex eorum numero qui libertati studebant. Ciceronem hic filium intellige, qui vivo adhuc patre a Bruto accitus est in castra, ac inter primi nominis duces habitus. Multa gessit egregie, inquit Plutarchus in Vita Bruti. Caium etiam Antonium circa Byllidem praelio devicit. Militavit postea in castris Sex. Pompeii. Ubi victoria potitus est Augustus, eum, quo se a proditione Ciceronis excusaret, be-

nigne exceptit. Pontificem statim declaravit: nec multo post consulem instituit, et Syriae praetorem. Antonio apud Actium posterius devicto, consul ius populo plerumque dixit, seditque pro rostris eo in loco, quo caput parentis eius manusque pependerant. Autor Appianus lib. IV. Addit Plutarchus in Vita Ciceronis, collegam esse adoptatum in consulatu ab Augusto, quo [pag. 74] anno senatus statuas Antonii deiecit, ac nonnulla oruamenta abolevit: ut divino quodam fato ultima ultio ad Ciceronis domum rediret. Non igitur abs re vocat eos Seneca florem civitatis, qui non mediocrem locum obtinebant.

*Ipsum Lepidum]* Primum post tumultus per Fulvium et L. Antonium excitatos divisum est inter eos imperium. Omnis ad orientem tractus Antonio concessus, Caesari attributae partes ad occidentem, ita ut terminum facerent Ionum mare. Lepido permissa Africa. Iam tum Caesaris potentia supra Lepidum efferebatur, quum tamen hactenus et dignitate et honore Lepidus superior fuisset. Sic tamen quieverunt, donec evocatus ab Octavio ad auxilium ferendum in expugnando Sex. Pompeio duarum et viginti, seu, ut alii volunt, viginti legionum fiducia superbiens, summas sibi partes vendicaret. Tum Octavius castra eius ingressus, quanvis capitinis discriminis, rerum tamen potitus est, et exceptus salutatione militari. Lepidus rebus desperatis vitam impetravit abiecto magistratu, in Circeios relegatus, ubi reliquum vitae tempus finivit. Haec partim ex Appiano, partim ex Plutarcho, partim etiam ex Tranquillo.

*Per multos annos tulit]* Atque id inter Octavii laudes reponi non debet, qui ut primum potuit, Lepidum spoliavit omni dignitate.

*Eius pontificatum maximum]* Lepidus post mortem Iulii Caesaris pontificatum maximum invasit quo functus est ad mortem usque etiam quum exsularet. Eo mortuo Caesar ad se traxit. Creabatur primum a collegio pontificum, deinde On. Domitio consule ius suffragiorum ad populum translatum erat. Sacerdotium erat amplissimi honoris. Ita enim superstitione obstrinxerant populi animos pontifices, ut essent primae in urbe autoritatis publice et privatim. Ipse pontifex maximus inter omnes pontifices spectabilis et eminentissimus.

*Maluit enim illum honorem]* Epiphonema.

*Gratum ac favorabilem]* Hic passivam habet significationem, qui usus autoribus magis familiaris. Tranquillus: Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, prae turba occurrentium prosequentiumve nonnunquam eum discrimen vitae adisse. Quintilianus libro duodecimo: Et incipere quam maxime a facili ac favorabili causa velim. Reperitur tamen active, contra observationem Vallae et Beroaldi, apud Livium libro XXII. De Terentio enim Varrone lo-

quens, iam, inquit, ad consulatus spem quum attolleret animos, haud parum callide auram favorabilis populi ex dictoria invidia petit. Sic Vergilius in Georgicis: penetrabile frigus, et alibi: penetrabile telum. Sic Valerius, titulo de Observ. relig., senatum in deos venerabiliores dicit. Et libro II.: Venerabilibus [pag. 75] erga deos obsequiis iuventus.<sup>1)</sup> Insatiabile, apud Ciceronem libro secundo de Nat. deorum, quod satiare non potest. Nulla enim est insatiabilior species, nulla pulchrior ad rationem solertiaque praestantior. Ammianus lib. XIV.: Qui enim adulabili sermone seriis admixto solus omnium proficisci pellex vultu dissimulato.

*Haec hodie praestat]* Clementia viventi Augusto securitatem praestitit, mortuo famam praestat. Senatus consulta quac in laudem principum viventium fiunt, aut metu expressa, aut temeritate praecepitata videri possunt. Obsequia servilia quae a populo exhibentur, acclamations quoque, ut quidam vocat, ancillatrices, serviunt imperantis praesentiae. Homini mortuo quae dantur, spontanea sunt, eoque potiora. Deum ergo credit populus romanus Augustum, non quia iussus, sed quia bonum principem expertus est. Mos fuit ille solennis Romanorum, ut Caesares suos per apotheosis in numerum decorum referent. Valerius: Deos alios accepimus, Caesares fecimus. Ritus ac caeremonias consecrandi imperatores exponit Herodianus libro IV. quem locum quoties relego, non possum a risu temperare. Adeo ridicula fuit illa Romanorum religio. Praeterea non tantum post mortem Augustus dei nomine donatus est; sed vivus vidensque divinos sibi honores exhiberi non aegre passus est. Horatius:

Praesenti tibi maturos largimur honores  
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Et Carminum III.:

Cœlo tonantem credidimus Iovem  
Regnare: praesens divus habebitur  
Augustus.

Publice tamen non fuit illi decreta religio nisi post mortem.

*Bene illi convenisse parentis nomen]* Tranquillus in eius vita: Patris patriae cognomen universi repantino maximoque consensu detulerunt. Salutatus est a Valerio Messala nomine universi senatus. Ovidius Fastorum II.:

Sancte pater patriæ tibi plebs, tibi curia nomen  
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques,  
Res tamen ante dedit: sero quoque vera tulisti  
Nomina: iampridem tu pater orbis eras.

Et Tristium II.:

Parce pater patriæ: nec nominis immemor huius  
Olim placandi spem mihi redde tui.

1) *Edd. 1597 et seqq. inventus, vitio operarum. Caetrum in nostro Valerii Maximi textu L. II. c. 4. legitur: Venerabilibus erga deos verbis iuventus gestus adiecit.*

Hoc factum est Nonis Februarii. Errat tamen vir de studiis humanioribus bene meritus Baptista Egnotius in suis Caesaribus, quum affirmat Augusto primo attributum esse cognomen patris patriae: quum prius dictatori inditum fuerit, ut alibi videbitur.

*Quod contumelias quoque suas]* Animadvertemus hic quod dicit principes acerbius ferre contumeliam quam iniuriam. Iniuria namque, ut ait Ulpianus, seu re, seu verbis, nihil differt a contumelia. Quod dictum [pag. 76] parum convenit cum hoc loco Senecae. Itaque referendum ad illam Marcelli distinctionem, dicentis iniuriam a contumelia hoc distare, quod iniuria levior res est. Pacuvius in Peribea: Patior facile iniuriam, si est vacua a contumelia. Facile aerumnam ferre possum, si male abest iniuria. Etiam iniuriam, nisi contra constat contumelia. Contumelia enim a contemnendo dicitur, ut idem Ulpianus autor est. Nihil autem principes magis aegre patiuntur, quam contemni. Habet enim quandam aculeum contumelia, inquit Cicero Verrina V., quem boni viri ferre non possunt. Et Publius Mimographus: Contumeliam pati nec fortis, nec ingenuus potest.<sup>1)</sup> Aristoteles quoque Ethicorum lib. IV. servile esse opinatur, perferre contumelias. Hoc si in aliis verum est, in principe tamen verissimum. Nazarius in Panegyrico Constantini: O quam acres habes dolorum aculeos a contumelia, quam imponit inferior. Contumelias autem suas eadem forma qua Cicero loquitur Philipp. XIII.: Pergit porro in mea maledicta, quasi vero pulcherrime priora processerint. Sic etiam passive Coelius memoriam tuam dixit libro VIII. Epist. Ciceronis. Non quin mihi suavissimum sit tuae memoriae operam dare. Contumelia fuit, quod Labeo Antistius in senatus lectione legit M. Lepidum Circeis exsularem in opprobrium Augusti, quod sparsi famosi de eo in curia libelli, quod illi a quodam senatore dictum est: Contradiccerem tibi, si locum haberem. Ab aliis: Licere senatoribus de republica loqui.

*Probrosis in se dictis arrisit]* Celebratur Alexandri apophthegma a Plutarcho: βασιλεύον ἐστιν εὐποιοῦται κακῶς αἰχνευειν. Regium est benefacientem male audire. Quod sequutus Augustus patienter audiit loedorias et scommata quae in se iactabantur: quemadmodum etiam recitat Macrobius libro II. Saturnium. Nos pauca subiiciemus. Quum adulescentem provincialem sibi simillimum per iocum interrogasset, an mater sua aliquando Romae fuisset, negavit ille: nec contentus adiecit, pater meus saepe. Et Pollio quum in eum Fescenninos Augustus scrip-

sisset, At ego, inquit, taceo. Non enim est facile in eum scribere, qui potest proscribere. Alia eiusdem generis vide apud Macrobius et Senecam in III. de Ira. Ipse Augustus epistola quadam ad Tiberium: Noli<sup>1)</sup> nimium indignari quenquam esse qui de me male loquatur. Satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malefacere possit.

*Quoscumque ob adulterium familiae suae]* Notum est Iulias filiam et neptem domum Augusti omnibus probris contaminasse, ob idque relegatas. Vide Tranquillum et Senecam lib. VI. de Beneficiis, et Plinium lib. XXI. De iis igitur nunc loquitur Seneca, qui consuetudinem haberent stupri cum filia et nepte, aut qui consciis essent adulteriorum: qui buscum mitius actum esse dicit, quod de damnatis non [pag. 77] est sumptum ultimum supplicium, sed exilio tantum mulctati sunt: quin etiam acceptis diplomatis dimissi sunt. Nec tamen verum est adeo clementer tractatos ab Augusto, quam hic affirmit Seneca. Siquidem nonnulli ultimo supplicio affecti: inter quos Iulius Antonius. Vide Tacit. lib. IV. Quod hic Erasmus divinat legendum *filiae*, nullius est momenti.

## CAPUT XI.

*Haec Augustus senex, aut iam in senectutem annis vergentibus. In adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quae invitus oculos retorquebat. Comparare nemo mansuetudini tuae uidebit divum Augustum, etiam si in certamen iuvenilium armorum deduxerit senectutem plusquam maturam. I'uerit moderatus et clemens. Nempe post Actiacum mare romano cruento infectum. Nempe post fractas in Sicilia classes, et suas, et alienas. Nempe post Perusinas aras, et prescriptiones. Ego vero clementiam non voco lassam crudelitatem. Haec est, Caesar, clementia vera, quam tu praestas, quae non saevitiae poenitentia coepit, nullam habere maculam, nunquam civilem sanguinem fudisse. Haec est in maxima potestate verissima animi temperantia, et humani generis comprehensibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi. Non priorum principum exemplis corruptis, quantum in cives suos liceat, experiendo tentare: sed hebetare aciem imperii sui. Praestitisti, Caesar, civitatem incurvantam, et hoc, quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruentis humani misisse: quod eo maius est mirabiliusque, quod nulli unquam citius gladius commissus est. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores praestat. Ornamentum imperiorum est simul, et certissima lux. Quid enim est quum reges consenserint, liberisque ac nepotibus tradiderint regna,*

1) *Sententiam hanc hodie sic expressam legimus:* Contumeliam nec ingenuus fert nec fortis facit.

1) *Ed. Amst.:* Non.

*quod tyrannorum execrabilis, ac brevis potestas est? Quid interest inter tyrannum [pag. 78] et regem? Species enim ipsa fortunae, ac licentia par est: nisi quod tyranni in voluptate saeviunt: reges non nisi ex causa, ac necessitate.*

*Ut dispositionem huius capititis intelligas]* Operae pretium est superiora in compendium colligere. Admonendus fuit exemplo Nero, crudelitatem regibus esse perniciosa, quac uno sublato hoste multos excitet. Mansuetudine et clementia securitatem certiorem comparari. Augustus in exemplum propositus est, qui iuvenis adhuc, et aetatis vitio iracundus, potestate sua usus est in multorum perniciem. In eum ortae coniurationes, quas quum acerri me puniret, nihil poenis profectum est. Nullus exortus est post L. Cinnae impunitatem qui ei insidiaretur. Alia deinde subiiciuntur exempla clementiae, quae gratum favorabilemque suis reddidit, quae et viventi salutem, et mortuo gratiam conciliavit. Nunc ex comparatione auget Neronis mansuetudinem. Si enim Augusti vitia cum virtutibus pensantur, crudelitatis odium mansuetudinis tollit gratiam. Nero igitur longe gratioissimus esse debet, qui nulla via admiscerit virtutibus.

*Si in certamen iuvenilium]* Si cum tua iuvenili mansuetudine componatur Augusti mansuetudo iam senis, et aetatis temperatura iam moderati. Amplificatio ab aetate. Senectutis propria est moderatio, iuventuti naturalis est intemperantia: quo mirabilius est, iuvenem seni moderatione praestare.

*Fuerit moderatus]* Confessio, quum rem aliquam concedimus, deinde inferimus quod id quod posuimus, infirmet.

*Nempe post Actiacum mare]* Multum romani sanguinis fusum videri potest ad Actium, promontorium Ambracii sinus, ubi Caesar expugnavit Antonium. Nam diu aequis viribus pugnatum est, partibus utrinque acerime dimicantibus, donec sexaginta Cleopatrae naves, quae post magnas collocatae erant, fugam capessentes, aliis terrorem iniecerunt. Si tamen verum est quod scribit Plutarchus, ex Antonianis non supra quinque millia eo praelio occubuerunt. Quamobrem mirum est Senecam clade belli Philippensis praetermissa, in qua flos romanae nobilitatis interiit, hanc quasi insignem commemorasse.

*Post fractas in Sicilia classes]* Non temere ullo bello aut plura aut maiora pericula adiit Augustus, inquit Tranquillus, quam bello Siculo contra Pompeium. Bis enim classem tempestatibus obrutam amisit. Idque per aestatem, ut scribunt Plinius et Appianus. [pag. 79] Oppressus a Democrate et Apollophane Pompeii praefectis, aegre uno navigio effugit. His quidem difficultatibus superavit hostem non incruenta victoria. Ideo Seneca dicit post fractas classes et suas et alienas.

*Post Perusinas aras]* De bello Perusino alibi dictum est, quod adversus Lucium Antonium suscepit Augustus: rebellaverat is et instinctu Fulviae audaci mulieris, et fiducia consulatus, quem tunc gerebat. Accessit occasio: quia multitudo possessionibus suis deiecta a veteranis militibus, quibus agri assignati erant, undique ad eum confluxit et imperatorem salutavit. Collecta manu occupavit Hetruriae urbem opulentissimam Perusiam: quam vallo et fossa ob sessam Augustus ad ditionem compulit. Haec omnia copiose apud Appianum. Cur autem Perusinas aras hic Seneca nominaverit, cognoscitur ex Tranquillo. Scribunt quidam, inquit, trecentos ex deditiis electos utriusque ordinis ad aram divo Iulio exstructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos.

*Et proscriptiones]* Bene Iuvenalis Triumviro vocat discipulos Syllae ob proscriptiones. Nihil enim unquam horrendum magis Romae visum est, quam tres illas beluas in foro sedentes, omnes qui divitiis, honore, amicitiis pollerent, nominatim ad necem destinare, nec viros tantum, sed, quod dictu foedum est, etiam mulieres. Octavius vero quum aliquamdiu collegis restitisset ne qua proscriptio fieret, inceptam utroque acerbius exercuit. Aliis per gratiam et preces exorabilibus, solus magnopere contendit, ne cui parceretur. Proscripsit etiam C. Toranium tutorem suum. Marco Lepido in senatu praeterita excusante, et spem clementiae in posterum faciente, quoniam satis poenarum exactum esset, professus est ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia relinquenter sibi libera.

*Haec est Caesar clemencia vera]* Augusti clementia, poenitentia fuit crudelitatis et saevitiae. Ea vero quam praestas, nulla sanguinis macula aspersa est, provenit ex verissima animi temperantia, et caritate qua humanum genus complecteris.

*Priorum principum corruptis exemplis]* Ante Ne ronem imperabat Claudius, Claudium præcesserat C. Caligula, Caligulam Tiberius. Ex quibus C. Caligula ferocitate et impatience ardebat. Tiberius quasi publico humani generis odio causas saevitiae sibi commiscebatur. Claudius non tam consilio peccabat, quam stoliditate et ignavia qua liberti ad crudelitatem abutebantur, quamvis esset suopte ingenio sanguinarius. Omnes id atrocitatis ausi, quod referre non est opus, ubi in promptu sunt Tranquillus et Tacitus, ex quibus petet lector quae ad hunc [pag. 80] locum pertinent.

*Praestitisti Caesar]* In hunc sensum accipe: praestitisti, Caesar, civitatem incruentam. Neque id solum, sed etiam praestitisti, quod magno animo gloriatus es nullam scilicet te stillam humani sanguinis misisse. Id enim forte gloriatus fuerat Nero aut in senatu, aut in concione ad populum.

*Quod eo maius est]* Ruresum amplificatio ab ae-

tate. Si enim istae imperiorum mutationes magnam rerum omnium vicissitudinem sua natura parturunt, magnum est per se, quod Nero ne stillam quidem sanguinis humani fudit, quum adeptus est imperium. Verum hoc auget magnitudinem, quod paene adhuc puer aetatem prudentia temperavit. Nam septemdecim natus annos defuncto Claudio imperium suscepit.

*Clementia ergo non tantum honestiores]* Assumptum seu intentio. Erat enim propositio iam posita, certiorem esse regibus securitatem ex mansuetudine. Argumentum autem in suasoriis ab utili vallet plurimum. Quintilianus libro tertio: In suadendo consideratur honestas, deinde utilitas. Sunt qui utilitatis considerationem in deliberationem venire solam putant.

*Ornamentum imperiorum]* Interpretatio.

*Quum reges consenuerint, liberisque]* Qui legitimum imperium obtinent et bono publico accommodant, illi morte sua occidunt, nec ante diem, sed saepe in otio et pace consenescunt. Tandem quum naturae legibus cedendum est, regnum relinquunt familiae suae haereditarium. Devolvitur in filios, a filiis nepotes accipiunt. Tyranni quamdui vivunt, exsecrabiles, gladio saepius absumuntur quam morbo. Sic exercent violentam potestatem, ut non perpetua sit. Est ergo locus ex contrariis: primum ponitur propositio, reges consenescere, tyrannorum brevem esse potestatem, qua contraria inter se conferuntur. Sequitur differentia inter regem et tyrannum. Tum subiicitur eius differentiae illustratio. Quod autem hic Seneca dicit reges liberis ac nepotibus regna quasi per manus tradere, ex iure gentium trahitur. Quod Homerus eleganter significat hoc carmine Iliados β.:

*Εἴτει δὲ σκῆπτρον πατρώσιν ἀλφίτον αἰεὶ.*

Ubi et patrium, et incorruptum sceptrum vocat.

*Tyrannorum brevis]* Hoc voluit Iuvenalis:

Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci  
Descendunt reges, et saeva morte tyranni.

Et Seneca Tragicus in Medea:

Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Et in Nerone:<sup>1)</sup>

Ubi non est pudor,  
Nec cura iuris, pietas, sanctitas, fides,  
Instabile regnum est.

Subiit memoriam nobile illud dictum Theopompi Lacedaemoniorum regis: cui quum ab uxore probro obiiceretur, quod esset humilis regnum filiis traditurus, quam ipse accepisset: respondit, eo igitur maius, quo diurnius. Erant enim eo regnante

constituti Ephori, [pag. 81] qui non permetterent vagari regiam libidinem. Vide Ciceronem in Officis.

*Quod interest inter tyranum et regem]* Quidquid est differentiae, usus potius quam verbi etymon aut proprietas constituit. Tyrannus enim graecum est, derivatum a verbo neutro τύραννος, quod illis imperare significat. Unde Isocrates in Εὐαγόρᾳ, τύραννος dixit pro dominandi perito. Et Aristophanes in nubibus vocat ψυμέδοντα τῶν θεῶν Ζῆνα τύραννον. Sophocles:

*Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνοντιά.*

Hoc et Servius testatur in septimo commentario Aeneidos cuius verba sunt: Apud Graecos tyranni et regis nulla discretio est, licet apud nos incubator, imperii tyrannus dicatur. His satis confutatus est error Verrii Flacci, qui scripsit tyrannos ab Hetruscis appellatos, qui et Tyrrheni a Tyrrheno Lydorum duce dicti sunt, quia gens illa crudelitatis nomine famata fuit. Itaque et autores latini hac dictione frequenter usi sunt in bonam partem. Verrilius Aeneidos quarto:

Te propter Libycae gentes, Nomadumque τύραννι Odere.

Et in septimo:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Horatius III. Carminum:

Qui Formiarum moenia dicitur  
Princeps, et innantem Maricae  
Littoribus tenuisse Lyrim  
Late tyrannus.

Statius II. Thebaidos:

Ne toties incerta ferant, nutentque gementes  
Imperia, et dubio pigeat parere tyranno.

Vide Augustinum lib. II. et libro V. de Civitate Dei. Iam vero usus obtinuit tyrannum dici, qui contra suorum voluntatem dominatur, aut intemperanter exercet potestatem, ut sit nomen vitii. Et sic Graecis distinguuntur τύραννος καὶ βασιλεὺς, ut nobis rex et tyrannus. Ideo Solon scribit quodam carmine se horruisse nolainis infamiam, quum tyrannidem ultro a civibus suis oblatam respueret. Aristoteles VIII. Ethicorum ponit tyrannidem regni transgressionem. Et Politicorum III.: Vocare consuevimus, quum unus ad communem utilitatem gubernat, regiam potestatem. Quum vero pauci gubernant, plures tamen uno, optimatum gubernationem. Quum autem multitudo ad communem utilitatem gubernat, fit respublica. Labuntur vero et transgrediuntur huiusmodi species, ex regia quidem gubernatione in tyrannidem, ex optimatibus in paucorum potentiam, ex republica in popularem statum. Sunt autem multae species tyranidis, de quibus idem libro quinto disserit. Cicero in Topicis: Ex altero genere quod erat bipertitum, unum est de eodem, et de alio: ut si quaeratur quid intersit inter amicum et assentatorem, regem et tyrannum? Seneca in Agamemnone:

1) Ed. Amst.: in Thyeste, quod omnino probandum. Versus illi enim leguntur ibi v. 215 ss. Neronis nomen procul dubio calami lapsui debetur. Caeterum eadem Amstelodamensis emendat: sanctitas, pietas, iudeente lege prosodica.

Rex Mycenarum fuit.  
Veniet tyrannus.

Hic ~~wylyus isto tecon~~ quoties a Seneca usurpatur, accipiendum in malam partem.

## CAPUT XII.

[pag. 82] *Quid ergo? Non reges quoque occidere solent? Sed quoties id fieri publica utilitas persuadet: tyrannis saevitia cordi est. Tyrannus autem a rege di- stat factis, non nomine. Nam et Dionysius maior iure meritique praeferrri multis regibus potest. Et L. Sylla- lam appellari tyrannum quid prohibet? cui occidendi finem fecit inopia hostium, descenderit licet e dictatura sua, et se togae reddiderit. Quis tamen unquam ty- rannus tam avide humanum sanguinem bibit, quam ille, qui septem millia civium romanorum contrucidari iussit? et quum in vicino<sup>1)</sup> ad aedem Belloneae sedens exaudisset exclamacionem tot millium sub gladio ge- mentium, exterrito senatu, Hoc agamus, inquit P. C. seditiosi pauculi meo iusu occiduntur. Hic non est mentitus, pauci Syllae videbantur. Sed mox de Sylla consequemur quomodo hostibus irascendum sit. Utique si in hostile nomen cives, et ex eodem corpore abrupti transierint. Interim hoc quod dicebam, clementia ef- ficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit, uterque licet non minus armis valletur: sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter ut magno timore magna odia compescat. Nec illas ip- das manus quibus se commisit securus aspicit. Con- trariis in contraria agitur. Nam ut inquis sit quia timetur, timeri vult quia inquis est. Et illo exsecra- bili versu, qui multos dedit praecipites, utitur: Ode- rent, dum metuant. Ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos, assiduus vero et acer, et extrema admovens, in audaciam iacentes excitat, et omnia ex- periri suadet. Sic feras lineis et pinna conclusas con- tine, easdem a tergo eques telis incessat, tentabunt fu- gam per ipsa quae fugerant, proculabantque formidi- nem. Acerrima virtus est quam ultima necessitas ex- tundit. Relinquit oportet securi aliquid metus, multo- que plus spei quam periculorum ostentet. Alioqui ubi quiescenti paria metuuntur, incurrire [pag. 83] in pe- ricula iuvat, et aliena anima abuti. Placido tranqui- loque regi fida sunt auxilia sua, quibus ad commu- nem salutem utatur. Gloriosusque miles (publicae enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut parentis custos. At illum acerbum et san- guinarium necesse est graventur stipatores sui.*

*Quid ergo?] Interrogatio, quae dispositionem adiuvat et excitat auditorem. Quum enim ea quae*

de differentia inter regem et tyrannum breviter com- plexus est, longa verborum serie postea sit enarratur, minus haec haberent gratiae, si aequali tractu pronunciata essent, in hunc modum: Nam et reges occidere solent, sed quoties etc.

*Nam et Dionysius maior]* Dionysius maior non rex, sed tyrannus Syracusarum vulgo dicitur: et tamen multi qui reges appellati sunt, multo acer- bius exercuerunt regnum, quam ipse tyrannidem. Hic igitur rex, illi verius tyranni, si ex suis operibus aestimentur. Neque tamen Dionysius ipse man- suetus per se aut moderatus fuit: quem etiam di- rum atque exitialem terris futurum somnia porten- derunt antequam nasceretur, ut refert Valerius. Et Macrobius inclemensissimum aulae Siculae incubato- rem vocat: qui submotis amicis, homines barbaros et ferocissimos in eorum locum substituit, quibus latera sua committeret. Verum quorundam saevi- tiae comparata eius crudelitas, paene speciem habet clementiae. Quo factum est ut duodequadraginta an- norum dominationem peregerit, quum plerique reges fastigio<sup>1)</sup> depulsi, aut exsilio aut morte male mul- tati sint. Eo tempore floruit, quo Atheniensibus triginta tyranni impositi sunt: quo eodem fere tem- pore Romae creati sunt tribuni militum consulari potestate, anno post conditam urbem 347 ut censem Gellius. Nam Livius tradit fuisse annum<sup>2)</sup> 310. Dio- nysium maiores dicit propter filium, qui tyranni- dem velut hacreditariam a patre accepit. Postea per factionem expulsus, ludum literarium Corinthi pue- ris aperuit. Quoddam scilicet fortunae ludibrium, utramque expertus, adversam moderatius tulit, pro- spera intemperanter abusus est. Loquitur autem contra Vallae observationem, quum maiores dicit potius quam superiores: sicut Valerius lib. III: Fe- licior progenie sua superior Cato, a quo Porciae fa- miliae principia manarunt. Idem: Cato vero su- perior saepenumero ab inimicis ad causae dictionem vocatus, nec ullo unquam crimen convictus etc.

*Et L. Syllam]* Sylla quum plus quam tyran- nice in caedes et latrocinia rueret, nunquam tyran- nus [pag. 84] vocatis est. Dictatoris nomen retinuit, quem magistratum liberi populi sibi imponebant. Et tamen quis neget vere tyrannum fuisse, si tyrannus is est qui impotenter dominatur, qui caedibus suo- rum pascitur, qui praeter aequum et bonum violen- ter imperium exercet?

*Cui occidendi finem]* Imo vero ne ipsa quidem modum imposuit. Multi enim quibus nihil erat cum Sylla rei, et qui civilibus factionibus abstinuerant, privatis inimiciis sunt interempti, sub hoc praetextu, quod Mariani essent, quanquam se nunquam

1) Ed. 1597: in vicinio, quod vitium sequentes ita corre- runt ut in vicinia scriberent.

2) Edd. 1597 ss.: anno.

ad miscuerant Mario. Postea Sylla a quodam senatore rogatus, ut declararet quos esset poenis affecturus, ne tot ~~inimicos~~ <sup>inimicos</sup> ingularentur, octoginta cives proscriptis. Id aegre ferente senatu, addidit ducentos ac viginti. Tertio etiam non pauciores adiecit. Super hoc in concione se proscriptisse dixit, qui tunc memoriae succurrissent: alios proscriptorum, qui oblivione essent praeteriti. Si quis proscriptum receperisset, opibus adiuvisset, morte liberasset, mortem irrogari preecepit, ut pietatis poenas lueret. Non fratrem, non filium, non parentem excepit. Neque deorum templa, neque hospitalles penates, nec paternas domos a caedibus puras esse voluit. Nec Romae solum, sed in omnibus Italiae oppidis proscriptiones exercuit. Praeneste illati primum viritim cruciatus, iudicario more. Deinde duodecim millia trucidata: soli Syllae hospiti concessa impunitate; quam tamen fortiter abnuit, respondens nullam se habere salutis gratiam, si extinctori patriae permiseretur. Mille alia id genus leges apud Appianum et Plutarchum.

*Descenderit licet e dictatura sua]* Quum ita se in republica gereret, dictaturam assumpsit, magistratum scilicet populo romano antea usitatum, cui tamen rerum summa permetteretur. Libere enim in capita civium dictatores animadvertebant, non parebant tribunorum intercessionibus, et paene supra leges erant, non secus ac regia potestate praediti. Quamobrem cautum erat, ut se abdicarent magistratu sexto mense, ex quo adepti essent, ne magnum imperium, quod periculosum creditur, foret diuturnum. Sylla vero in annos centum et viginti sibi desumpsit. Cuius exemplum sequutus est Iulius Caesar. Verum hic semel acceptam potestatem nunquam dimisit, ille vero sibi abrogavit in coetu populi, ausus se exponere rationem gestae dictatura redditum, si quis inquireret. Ideo cavillatus in eum Caesar, dixit nescisse literas, qui dictaturam deposuerit. Et rhetores inter declamandi exercitationes, deliberationem Syllae agitabant dictaturam in concione deponentis: ut ait Quintilianus libro VIII. Quo alluit Iuvenalis Satyra prima:

*Et nos*

Consilium dedimus Syllae, privatus ut altum  
Dormiret.

Quum ad hunc modum [pag. 85] abuterentur eius potestatis licentia, qui imperium affectabant, nomen senatusconsulto abrogatum est in perpetuum Antonio consule. Quae causa fuit ut postea Augustus magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore, eam deprecatus sit. Verba igitur Senecae hunc habent sensum, licet praeter morem tyrannorum aliquando tyrannido excesserit, et in privatorum ordinem se composuerit, nullus tamen tyrannus etiam qui ad mortem perseveraverit, avidior fuit hauriendi sanguinis.

*Et se togae reddiderit]* Eadem loquutione uitur Lucanus lib. VII. in persona Caesaris:

Ipse ego privatae cupidus me reddere vitae,  
Plebeiaque toga modicum componere civem.

Ut per togam significetur privatus habitus: quia praetexta insigne erat magistratum. Paedianus in divinationem: Toga communis habitus marium et foeminarum, sed praetexta honestorum, toga viliorum. Quod tamen non satis est. Nam Sylla post depositam dictaturam senatoriam dignitatem retinebat. Quid sentiam, breviter perstringere visum est. In primis praetextati erant magistratus, ut dictum est, et ostendit Plinius in Panegyrico. Gestum, inquit, consulatum mirer, an non receptum? Gestus non in hoc urbis otio et intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus moris erat paludamento mutare praetextam. Item: Modo praetextas exuerant, resumant: modo lictores abire iusserant, revocent etc. Et Livius lib. X. tertiae decadis enumerat insignia triumphantium, et magistratum, sellas curules, togam praetextam, tunicam palmatam, togam pictam, coronam triumphalem, lauream. Nonnulli alii etiam praetexta utebantur, consulares scilicet viri et praetorii, ac similes functi honoratis magistratibus, vel suis in rem publicam meritis eum honorem consequuti. Cicero quum de aedilitate sua loquitur: Sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. Idem pro Cornelio Balbo: Qui praetoriam sententiam, ac togam praetextam legum praemiis consequuntur. Ne illi quidem semper praetexta toga induit in publicum procedebant, sed celebrandis supplicationibus, aut aliis feriis solennibus, et aliis quibusdam publicis festivitatibus. Cicero Philipp. II.: Cur non sumus praetextati? Cur honorem Caesaris tua lege datum deserit patimur? Bene ergo per togatos, privatos homines intelligimus, sive senatores, sive plebeios.

*Tam avide sanguinem bibit]* Usus est loquendi frequens, quum volunt scriptores quempiam exprimere suppliciis gaudentem, ut dicant eum sanguinem sitire et bibere. Plinius: Volumen evomuit, quo facile intelligatur ebrius [pag. 86] iam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens. Unde illud carmen in Tiberium iactatum:

Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem:  
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

Caesar apud Lucanum:

Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum,  
Durat, Magne, sitis.<sup>1)</sup>

*Qui septem millia civium]* Hanc eandem histo-

1) Ed. Amst. habet: magna sitis, qui ridiculus error inde manasse videtur quod antiquiores omnes adeoque ipsa principis magne exhibent, ac si adverbium esset, non Pompeii cognomen (Lucan. I. 331).

riam recitat Augustinus libro III. de Civitate et Plutarchus in Vita Syllae. Hic tamen in numero a Seneca discrepat. Scribit enim interfertos ad sex milia: nec responsum Syllae ponit superbum adeo atque atrox. Illic enim legitur quosdam flagitosos castigari, non pauculos. Sed hoc addidit Seneca ad auxesin, quo maiorem faceret Syllae invidiam. Augustinus de numero cum Seneca convenit.

*Ad aedem Bellonae]* In ea aede saepe habebatur senatus, praesertim quum aut externarum gentium legatis dabatur, quibus urbem ingredi non liceret, aut imperatoribus triumphum petituris, qui ex more urbem non ingrediebantur, nisi triumphantes. Utriusque rei exempla sunt apud Livium, tertiae decadis libro X. de legatis Carthaginiensium, quibus vetitis ingredi urbem, hospitium in via publica, senatus ad aedem Bellonae datus est. Lib. VIII.: Senatu extra urbem in aede Bellonae dato, quas res gessisset in Hispania, disseruit. Erat enim iuxta circum maximum extra urbem sita, ab Appio Pulchro consecrata, autore Ovidio VI. Fastorum:

Hac sacra die Thusco Bellona duello  
Dicitur, et Latio prospera semper adest.  
Appius est autor, Pyrrho qui pace negata,  
Multum animo vidit, lumine captus erat.  
Prospicit a tergo summum brevis area circum.

et caett. Eam autem diem intellige pridie Nonas Iunias, seu quartum diem mensis Iunii. Vovisse Appium Pulchrum autor est Livius libro X., verum a quo sit consecrata, aut quo tempore, non meminit. Primum tamen senatusconsultum apud Livium ibi factum legitur, quum victor Marcellus reversus ex Syracusis triumphum ob res a se gestas postulavit. Senatum habebat C. Calphurnius praetor, libro VI. tertiae decadis. De ipsa dea lege Ciceronem libro secundo de Natura deorum, Lactantium libro primo. Ut ad Syllam redeamus, potuit facile clamorem exaudire. Illa enim hominum septem millia quae se illi dederant, ac in fidem permiserant, convenabant in circum maximum non longe a Bellonae templo.

*Pauci Syllae videbantur]* Sic respondisse Syllam alii non tradunt, quemadmodum diximus: sed hoc addidit Seneca, ut acciperet occasionem schematis quod Graecis [pag. 87] ἀνάχλασις dicitur, quum id quod ab altero dictum est, in aliam sententiam retorquemus. Huiusmodi est vulgare illud Proculleii: cui quum filius dixisset se non mortem patris exspectare, scilicet intelligens se non inhiare haereditati, exceptit ille: Imo vero exspectes, nec propterea moliri ut velocius moriar. Sylla pauculos dixerat occidi, ut terrorem minueret quem senatus ex tanto clamore conceperat: Seneca ad sanguinis avitatem refert.

*Ex eodem corpore abrupti]* Argute colligit eos non esse cives, qui in commune non vivunt. Quid

enim est civitas? Nempe concilium coetusve hominum iure sociatus, inquit Cicero in somnio Scipionis. Quam definitionem sumpsit ex Aristotele in Politicis. Si igitur non omnis societas est civitas, sed ea tantum quae probis moribus et aequis legibus vivat: nimur qui legibus non obtemperant, cives non sunt, sed ex corpore legitimae civitatis abrupti. In hostile nomen transeunt. In eandem sententiam alibi Cicero: Ut corpora nostra sine mente, ita civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine et membris, uti non potest.

*Interim hoc quod dicebamus]* Quasi diceret: Illud obiter dictum sit, admoneri nos exemplo Syllae quos hostes persequi debeamus. Interim quod est instituti nostri proprium, facile tyrannum a rege discernit clementia.

*Uterque licet non minus armis valletur]* Παραδιατολή, quam Fabius lib. IX. distinctionem vocat, quae duas res aut plures, quae videntur eandem vim et rationem habere, disiungit, et quantum distent docet, suam cuique propriam sententiam subiungendo. Sic Ovidius in re simili:

Et latro, et cautus praecingitur ense viator,  
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Eiusdem generis est etiam quod sequitur: Nolo te saepius parcum appellare, quum sis avarus. Nam qui parcus est, utitur eo quod satis est; tu contra propter avaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiae fructus, quam copiae miseria consequitur.

*Alter arma habet quibus]* Rex scilicet, cuius officium est vim quae subditis inferatur, armis propulsare, quibus utitur tanquam pacis praesidio.

*Alter ut magno timore]* Scilicet tyrannus, qui quum omnibus inquisus sit, odia terrore cohibet. Quod significavit Tranquillus de Domitiano loquens: Inopia rapax, metu saevus. Et Claudianus:

Cuncta ferit, dum cuncta timet.

*Nec illas ipsas manus]* Qui omnes timet, qui ad omnem motum trepidat, suos etiam satellites cur non timeat? armatos videt, nec satis securus est, an pro se, an contra se ferro accingantur. In hanc sententiam introducitur Thyestes a Seneca tragicus:

Dum excelsus steti  
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei  
Ferrum timere lateris.

*Ut inquisus sit quia timetur]* Contrariis in contraria agitur tyrannus. Nam timeri vult quia inquisus [pag. 88] est. Et tamen ideo inquisus est, quia timetur. Atqui nihil opus esset timore, si nullum esset odium. Hoc igitur unum illi malum est, quod putat mali remedium.

*Et timetur]* Ut enim ait Ennius, quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit. Seneca lib. II. de Ira: Quid? quod semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuit, ipse securus?

Occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus, qui medio civili bello in theatro dictus, totum in se populum non aliter convertit, quam si missa vox esset publici affectus:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ita natura constituit, ut quod alieno metu magnum est, suo non vacet.

*Timeri vult*] Quid enim aliud faciunt, quam terrorem omnibus incutiunt, qui omnes sibi gladios impendere, suaeque vitae imminere arbitrantur? Lege tragoediam Senecae quae inscribitur Octavia: in quam sententias paene ad verbum ex hoc opere transluit. Vere ergo tyrannica vox Dionysii, qua iactabat vincula adamantina esse metum, violentiam, classem et decem millia armatorum.

*Et illo execrabilis versu*] Versus hic Atreo attribuitur in tragocdia quadam veteri, sive Accii, sive alterius cuiuspam: quemadmodum Cicero duobus locis meminit: Offic. I.: Si Acacus aut Minos dixerit, Oderint, dum metuant, aut: Natis ipse sit sepulcrum parens: indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus; at Atreo dicente, plausus excitantur. Et Philipp. I.: Videmus quoque in fabulis, ipsis qui Oderint dum metuant, dixerint, pernicio- sum fuisse.

*Oderint dum metuant*] Suetonius in Caligula: Tragicum illud subinde iactabat: Oderint dum metuant. Item in Tiberio: Tragicum illud identidem iactabat: Oderint dum probent. Seneca lib. I. de Ira: Diram illam et abominandam vocem Syllano scias tempore esse scriptam: Oderint dum metuant. Hoc nomine Caesarem onerat invidia Lucanus, his verbis:

Gaudet tamen esse timori

Tam magno populis: et se non mallet amari.

*Ubi supra modum odia creverunt*] Tyrannus quidem satis prospere actum putat, si a suis metuantur, nihil ad se pertinere odium existimans, quod terrori succumbat. Interim crescent odia, et tandem in rabiem vertuntur, quae nullo timore qualibet ruit. Hic nihil agunt gladii, nihil satellites, hic miser a suis praesidiis deseritur, quae sibi in eam fortunam comparaverat.

*Temperatus enim timor*] Nam et boni principes necesse habent metu continere facinorosos homines, ut appetitus noxii sub iuris regula limitentur: et poenas exsequi quae irrogantur a legibus, ne impunitas augeat confidentiam. Sed adhibent temperaturam: quoniam multis exorabiles<sup>1)</sup> se praestant, pluribus etiam amabiles. Terror ille tyrannicus, qui nec mediocritatem habet, nec intervallum, nec discriminem, ita ad vivum pungit, ut magis irritet quam coerceat.

1) Sic omnes recentiores. Princeps male: execrables, quod tamen corrigit in erratis.

Calvini opera. Vol. V.

*Sic feras lineis*] Similitudo est appositissima, qua idem ipse Seneca utitur libro nono Declamationum: Quaedam, inquit, ferae tela commordent, et in mortis autorem per vulnera ruunt. Sed haec expressior et accommodatior ad id quod dixerat. Ut enim terror ille, quem posuit, acer et assiduus, et extrema admovens, sic feras indagine cinctas, venatore ferrum admovente, undique urget desperatio.

*Lineis et pinna*] Periphrastice designat indaginem, hoc est plagarum seriem in varros arrectarum.

*Tentabunt fugam per ipsa quae fugerant*] Dum enim ferrum fugiunt venatoris, se lineis plagiis implicant: quibus rursum dum se explicare contendunt, cursum in venatorem retorquent, venabulum dentibus arripunt. Idque contingit in ultima desperatione. Est enim artis venatoriae, facere aliquam spem evadendi, si aufugiant; quo se facilis con- ciant in plagas.

*Acerrima virtus est*] Τρούπη seu sententia, quae frequenter in clausulis ponitur. Hic simplex, et ad rem relata. Est autem non minus vera sententia, quam celebris et vulgata. Porcius Latro in Declamat.: Gravissimi sunt morsus irritatae necessitatis. Q. Curtius lib. V.: Ignaviam quoque necessitas acuit: et saepe desperatio spei causa est. Idem alibi: Efficacior omni arte necessitas, non usitata modo prae- sidia, sed etiam nova admovit. Hinc illud hortamentum Hannibalum ad milites, quo nihil efficacius dici potuit: Aut vincendum, aut moriendum, milites, libro X.<sup>1)</sup> Livii et tertiae decadis libro I.: Vobis necesse est fortibus viris esse, omnibus inter victori- ram, mortemve certam, desperatione abruptis, aut vincere, aut si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga mortem oppetere. Nullum incitamen- tum ad vincendum homini a diis immortalibus acrius datum est. Simile quiddam est apud Salustum in persona Catilinae.

*Extundit*] Verbum in hac significatione elegans, ut studii contentionem designet. Est enim quasi tundendo elicere, ut ait Nonius: qui etiam Vergilii carmen Georg. I. sic legit:

Ut varias usus meditando extunderet artes.

Quamvis Servio et Festo placeat, *excuderet*. Suetonius in Vespasiano: Latum clavum quamvis fratre adepto, diu aversatus est, nec tandem ut appeteret compelli nisi a matre potuit: ea demum extudit magis convicio, quam precibus. Ipse Seneca alibi: Qui etiam ex duro et immemori pectore gratiam extundit.

*Relinquat oportet securi*] Bonus princeps time- tur ut praeses legum, et custos: quae non omnibus poenas irrogant, sed iis [pag. 90] qui non aliter cor-

1) Hic nescio quis latet error. Quae praecedunt verba Hannibalum et quae sequuntur in eadem oratione leguntur apud Livium l. XXI. c. 43 seq.

rigi possunt. Hunc improbi et facinorosi formidant, boni amant et reverentur.

*wv Ubi quiescenti* [Sensus est, tyrannus non modo de iis sumit supplicium, qui in necem suam conspirarint: sed etiam accusatores submittit, qui factis criminibus opprimant innocentes. Sive igitur magnum aliquid cogites, sive quiescas, versaris semper in eodem capitum discriminis. Satius est autem a vero accusatore, quam a calumniatore trahi in iudicium.

*Aliena anima abuti*] Secundum eam differentiam, quam Donatus observavit in Phormione. Abutimur, ait, cum iniuria et contumelia. Quemadmodum etiam accepit Curtius lib. VIII.: Haec ergo sunt Macédonum praemia, quorum ut supervacuo et vilissimo abuteris sanguine.

*Placido tranquilloque regi*] Hactenus argumentabatur in hunc modum: etiam si tyrannus aliquod praesidium habeat in satellitibus armatis, non satis firmum esse et validum, tamen quod odio publico vinceretur. Nunc arguit nullum etiam in iis esse praesidium, nempe qui custodia eius graventur.

*Sanguinarium*] Id est crudelem, et sanguinis appetentem. Tranquillus in Claudio: Saevum et sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Plinius Epist. IV.: De huius nequitia sanguinariisque sententiis in commune omnes super coenam loquebantur. Sic Plinius maior vocat sanguinarium Tarquinii responsum, et idem Seneca libro III. de Ira, feram sanguinariam. Eadem forma Graecis αἰματόεις, καὶ αἰματώδης, καὶ αἰματηρός. Pro quibus nominibus Politianus in Herodiano sanguinarium vertit.

### CAPUT XIII.

*Non potest habere quisquam fidae ac bonae voluntatis ministros, quibus in tormentis et equuleo et ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam bestiis homines obiectat, omnibus reis noxior ac sollicitior, ut qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, ut non liceat illi mutare mores. Hoc enim inter caetera vel pessimum habet crudelitas. Perseverandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelerata enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo infelicius, cui iam esse malum necesse est? O miserabilem illum, sibi certe: nam [pag. 91] caeteris misericri eius nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta redidit tam externa quam domestica: quum arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumsperxit quaeque fecit, quaeque facturus est, et conscientiam suam plenam sceleribus qc tormentis adaperuit, saepe mortem timet, saepius optat, invisiōr sibi quam servientibus.*

*E contrario is cui curae sunt universa, qui non alia magis, alia minus tuerit, nullam non reipublicae partem tanquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiam si ex usu est animadvertere: ostendens quam invitus aspero remedio manus admoveat. In cuius animo nihil hostile, nihil efferrum est. Qui potentiam suam placide ac salutariter exercet, approbare imperia sua civibus cupiens. Felix abunde sibi visus, si fortunam suam publicaverit; sermone affabilis accessuque facilis, vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis; aequis desideriis propensus, et iniquis acerbis: qui a tota civitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines secreto loquuntur, quae palam. Tollere filios cupiunt, et publicis malis sterilitas indicta recluditur. Bene se meritum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale saeculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus, nihil praesidiis eget: arma ornamenti causa habet.*

Hoc caput est annexum superiori. Reddit enim rationem eius quod dixerat, non posse fieri quin graventur stipatores acerbo et sanguinario principe. Subdit nunc, quia nulla potest esse eorum fides aut benevolentia, quos assiduis caedibus, bestiarum more, exercet. Alludit autem Seneca ad morem antiquum Romanorum, qui supplicio addicatos aut feris obiciabant, ut protinus laniarentur, aut cogebant cum feris depugnare. Hique postremi ad bestias condemnati dicebantur. Illi priores, qui in mortem praesentaneam tradebantur, peiori erant conditione.

*Omnibus reis noxior*] Qui reus est et noxius, eum quoque sollicitum esse oportet. Nam quum per se meticolosa res sit ire ad iudicem, [pag. 92] ut ait Plautus, meticolosissima est causam capitalem et malam sustinere, in qua de capite tuo sententiam secundum adversarium ferendam exspectes. Comparativum nomen quo usus est Seneca, non potest exigi ad communem aliorum formam: nec tamen caret exemplo. Plautus in *Mostellaria*:

Quo neque industrior de iuventute erat  
Arte gymnastica.

Iuvenalis:

Ergegius coenat, meliusque miserrimus horum. Cicero in oratione pro Domo sua ad Pontifices: Quis apud populum romanum de illius dignitate industrius? quis senatui sapius dixit?

*Ut non liceat illi mutare mores*] Putat enim paratam sibi esse ultimam perniciem tyrannus, si solito faciliorem se exhibeat. Semper enim mortem habet prae oculis, quam non credit posse evitari, nisi vi armisque propulsetur. Sic animatus, etiam si velit, non tamen audet quidquam de solita crudelitate remittere. Ideo Phalaris, in quadam epistola, periculosius ait deponere principatum, quam occupare. Et Dionysius dicebat non equo insiden-

tem, sed pedibus tractum debere deponere tyrannidem: ut meininit Livius lib. IV. tertiae Decadis. Memorat et ~~Plutarchus~~<sup>Hyp.</sup> Solonis responsum, qui aiebat, pulchrum quidem tyrannidem esse locum, sed exitum non habere.

*Scelera sceleribus tuenda]* Hic mos eorum est, qui quum defendere admissa flagitia non possint, de novis sceleribus remedia quaerunt. Iam hoc scelus est, quod tyrannus irrumpit in publicam libertatem, ac pacem civitatis tumultuose perturbat; deinde ut possessionem semel acceptam retineat, cogitur omnes de medio tollere, qui sunt alicuius in urbe dignitatis, qui possunt ad recuperandam libertatem populum concitare. Haec ubi perpetravit, prospicit ne qui exsistant ultores ac vindicos. Itaque omnem generosum sanguinem effundit. Demum agnoscit se omnibus execrabilis ac detestandum: quas execrationes dum vult a suo capite amoliri, sclera sceleribus tueretur. Ita nec modus nec finis scelerum. Seneca in Agamemnone:

Per sclera semper sceleribus tutum est iter.

Hinc eleganter Persius:

Virtutem ut videant, intabescantque reicta.

*Non amicorum fidei]* Sic de Dionysio legimus, qui subinotis amicis, in eorum locum ferocissimarum gentium homines, et a familiis locupletum electos praevalidos servos, quibus latera sua committeret, substituit. Valerius autor libro IX. Cicero quoque Tusculanarum V. de eodem loquens: Qui quum eset bonis parentibus atque honesto loco natus, etsi id quidem alius alio modo tradit, abundaretque et aequalium familiaritatibus, et consuetudine propinquorum; haberet etiam more Graeciae quosdam adolescentes amore coniunctos, credebat se eorum nemini: sed iis [pag. 93] quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nonen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis, et feris barbaris corporis custodiam committebat. Lege apud cundem Ciceronem Offic. II. de Alexandro Phereo.

*Non liberorum pietati]* Hoc etiam ad Dionysium refertur, qui quum se tonsorum manibus nollet permittere, tondere filias docuit, quarum etiam postea suspectam habens fraudem, instituit ut candardibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Non est autem oscitanter praetereundum, quod Seneca fidem amicorum dixit, et pietatem liberorum. Sic enim eorum officia distinguuntur. Plinius in Panegyrico: Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium servis. Cicero in oratione pro Quintio: Veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur. Neque mireris alibi veritatem, alibi fidem legi. Sunt enim eiusdem prope significationis, pro ea quam Graeci *χρηστότητα*<sup>1)</sup> vo-

cant. Idem Cicero pro Plancio: Quid pietas, nisi voluntas grata in parentes? Quintilianus libro V.: Ut ea in quae communi opinione consensum est, deos esse, praestandam pietatem parentibus. Ut tamen intelligent lectores quid vere sit pietas, subiiciam verba Ciceronis ex Topicis: Atque etiam, inquit, rursus aequitas tripartita dicitur esse; una ad superos, altera ad manus, tertia ad homines dicitur pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia seu aequitas. Hactenus Cicero. Verum quoniam parentes nobis quasi deorum vice sunt, ad eos derivatur: quod innuit Augustinus libro X. de Civitate. Pietas proprie Dei cultus intelligi solet, quam Graeci *πειθελαν* vocant. Haec tamen et erga parentes officiose haberet dicitur. Quin et hoc nomine utimur, quum volumus praecipuum amoris vim exprimere. Cicero lib. I. Epistolarum: Periucundae mihi fuerunt literae tuae, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem. Quid enim dicam benevolentiam, quum illud ipsum gravissimum et sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis videatur?

*Qui ubi circumspexit]* Hactenus exsequutus est tyrannum esse miserrimum, qui sic deos horret et homines, testes ac vindices facinorum, ut nec amicorum fidei se permitteret, nec liberorum pietati fideret, qui necesse haberet ad armorum praesidia configere, ne ipsis quidem satis securus. Nunc addit, quod est gravius, eum habere testem conscientiam, quae instar vermis eum intus corredit ac lacerat. Est enim conscientia mille testes, ut proverbio fertur. Juvenalis Satyra XIII.:

Quos diri conscientia facti

Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit,

[pag. 94] Occultum paciente animo tortore flagellum.

Poena autem vehemens, et multo saevior illis,

Quas et Caeditus gravis invenit, et Rhadamanthus,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Pacatus in Panegyrico: Habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, imo ipsa sibi carnifex conscientia est, etc. Cicero pro Roscio: Nolite putare, quemadmodum saepe in fabulis videtis, eos qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri furiarum taedis ardentibus: sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Haec sunt impii assiduae domesticæque furiae. Secundum haec Ciceronis verba intelligendum illud Statii I. Thebaidos:

Scelerumque in pectore dirae.

Idem Cicero pro Milone: Magna est vis conscientiae, et magna in utramque partem: ut neque timeant qui nihil commiserint, et semper ante oculos poemam versari putent, qui peccarint. Plura Seneca in eandem sententiam Epistola XCIII.

7\*

1) Ed. princeps male: *χρηστότητα*.

*Fortunam suam publicaverit]* Hoc enim inter regnum et tyrannidem interest, quod illud ad publicam utilitatem pertinet, haec privatis commodis continetur. Pro eo quod hic Seneca publicare dicit, Curtius vulgare. Verba sunt libro IX.: Ad hoc, itineris labor et aegritudo animi vulgaverat morbos. Item: Et contagium morbi etiam in alios vulgatum est.

*Sermonem affabilis, accessuque facilis]* Vere regiae virtutes, p[ro]ae se ferre quandam sermonis suavitatem, quae alliciat potius quam deterreat, omnibus se facilem et expositum exhibere, etc.

*Aquis desideriis propensus]* Utrumque principi observandum, ut quod aequum est, non acgre impetrari a se permittat, et ne tantam suis licentiam indulgeat, ut possint in alios plus quam aequum est usurpare.

*Eadem de illo homines secreto]* A malis principibus laudes vi et metu exprimuntur, senatus consulta honorifica, panegyrici solennes, theatricae acclamations. Sed quod non audent homines palam praedicare, alter in alterius aures mussant. Bonum principem quem laudant, amant. Laudant enim ex affectu, nec secreto execrantur, ut tyrannum. Eadem fere est sententia in Panegyrico Plinii: Nec eadem de principe praedicemus, quae prius. Neque enim eadem secreto loquitur, quae prius.

*Tollere filios cupiunt]* Ad rempublicam pertinet liberis dare operam: quippe quae hominis tantum aetatem duratura sit, nisi novam prolem parentes subinde sufficient. Unde lex Metelli, cuius meminit Gellius, quam eandem Augustus suavit. Et iura liberorum apud Romanos. Et apud Platonem [pag. 95] libro sexto de Republica punitur caelitatus. Igitur laus imperatoris est, quod sub eius imperio cives tollere filios cupiunt. Id ipsum inter laudes Traiani ponit Plinius. Foeminas, inquit, tunc foecunditatis sua maxima voluptas subiit, quum cernerent cui principi cives, cui imperatori milites perissent. Quod hic tollere filios dicit Seneca, nos etiam vernacula lingua elevare dicimus. Terentius in Heautontimorumeni:

Meministin' me esse gravidam, et mihi te maximopere  
interminatum,<sup>1)</sup>

Si puellam parerem, nolle tolli?

Curtius libro nono: Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque: sed eorum quibus spectandi infantum habitum cura mandata est. Plinius iunior: Locupletes ad tollendos liberos ingentia praeemia, et parcs poenae cohortantur: pauperibus educandis una ratio est, bonus princeps. Tollit et educari pro eodem posuit.

*Nihil praesidii eget]* Nam, ut ait Horatius,

1) *Hodie sic legitur*: Meministin' me gravidam et mihi te maxumo opere dicere.

Integer vitae, scelerisque purus,  
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,  
Nec venenatis gravida sagittis,  
Fusce, pharetra.

*Arma ornamenti causa habet]* Imperii insignia quibus<sup>1)</sup> se faciat populo venerabilem, et plenum maiestatis.

#### CAPUT XIV.

*Quod ergo officium eius est? Quod bonorum parentum, qui obiurgare liberos nonnunquam blonde, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exhaeredat? Nisi magnae et multae iniuriae patientiam evicerint, nisi plus est quod timet, quam quod damna, non accedit ad decretorum stylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem et peiore loco iam positam, revocet: simul deplorata est, ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiam principi facendum est, quem appellavimus patrem patriae, non adulatio vana adducti. Caetera enim cognomina honori data sunt. Magnos et felices et augustos diximus, et ambitiosae maiestati quidquid potuimus titulorum concessimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriae appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, [pag. 96] quae est temperatissima, liberis consulens, sua que post illos reponens. Tardie sibi pater membra sua abscondit: etiam quum abscederit, reponere cupiat, et in abscondendo gemat, cunctatus multum diuque. Prope enim est ut libenter damnet, qui cito. Prope ut ini que puniat, qui nimis. Erixonem equitem romanum, memoria nostra, quia filium suum flagellis ceciderat, populus in foro graphiis confudit. Vix illum Augusti Caesaris autoritas infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.*

Post longam illam contentionem, qua tyrannum et regem inter se componebat, nunc optimum documentum dat principi, quo et modum clementiae discat, et poenarum irrogandarum temperaturam. Pendet autem haec interrogatio ab ea, quae contentionem praccessit: Num reges quoque occidere sole rent? Responderat regem quoque occidere, sed quum publica utilitas persuaderet. Sed quum id etiam non satis apertum esset, nunc exemplo prosequitur. Pater enim filium blonde primum admonet. Si verba non prosunt, comminatur. Si nihil minis proficit, tum demum addit verbera. Sic princeps, qui pater est patriae, cives suos filios reputet, hortetur primum et verbis, et edictis, antequam deveniat ad poenas. In hanc sententiam apud Xenophontem Chry-

1) *Ed. 1597 et 1611*: qui. *Amst.*: quo.

santas loquitur lib. VIII. *τῆς Παιδείας*: Ego saepenumero cogitavi bonum principem nihil differre a bono patre, etc. Plinius vili Panegyrico Traiani: Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces? Ut cum civibus tuis quasi cum liberis parens vivis.

*Numquid aliquis?* Quatuordecim causae in Iure scribuntur, quas pater in filii exhaeredationem allegare potest. Auth. Ut quum de appellatione cognoscitur. Collat. VIII. §. Aliud quoque capit. Ius etiam abdicationis, quam Fabius ultimum patriae potestatis fulmen appellat, abrogatum est per constitutionem Iustiniani, quae est tit. de patria potestate, l. abdicatio.

*Iniuriae patientiam evicerint*] Non sic prima offensa irritetur pater, ut filium exhaeretet. Multa praetermittat, ad multa conniveat donec eo emergerent vitia, ut iam tolerari non possint. Hac loquitione usus est etiam Ovidius Elegia II.:

Multa diuque tuli, vitiis patientia victa est.

Et Mamertinus in Panegyrico Iuliani: Quae omnia obstinatam et immobilem principis [pag. 97] tandem vicere patientiam.

*Nisi plus est quod timet*] Aut ad illud Platonis respicit, neminem prudentem ideo punire, quia peccatum est, sed ne in posterum peccetur: aut simpli citer dicit, patrem timere plus quam damnat, qui non credit se tutum, filio iisdem secum parietibus inclusu, qui parricidium cogitaverit, aut simile ali quod facinus.

*Non accedit ad decretorum stylum*] Per decretorum stylum asperam significat censuram, et quam pater gravissimam in filium habet. Nam et stylus quum metaphorice accipitur, id per se significat: et decretum Latinis dicitur, quod Graecis *ἀρετῶν*, hoc est stata constitutaque sententia: unde decretorum, quod illis *χριτιών*. Qua ratione Canicula sidus uis decretorum Plinio, et dies florentibus oleis decretoriis, quo Aquila oritur. De stylo Cicero in oratione pro Cluentio: Ne censorium stylum, cuius mucronem multis remediis maiores nostri retuderunt, aequa posthac atque dictatorium gladium pertimescamus. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii: Sic quum immitis tyranni stylus timeretur et gladius, transierat in vota paupertas. Et in l. si quis C. de bonis proscriptorum, seu damnatorum: Si quis intra provinciam pro qualitate delicti stylum proscriptionis incurrit, per ordinarii officii sollicitudinem etc. Deducta hinc metaphora, quod sententiae antiquitus stylo scribebantur in ceratis tabulis.

*Multa ante tentat quibus dubiam etc.*] Donec spes est levibus remediis posse revocari ad bonam frugem, nihil admovet asperum, nec desinit antequam de sanitate desperatum est.

*Ultima experitur*] Haec loquatio proprie in desperatione usurpatur. Curtius lib. V.: Madathes erat huius regionis praefectus, haud sane multorum temporum homo, quippe ultima pro fide experiri decreverat. Salustius in Catilina: Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiac quas consuli fecerat, prospere cesserunt, constituit bellum facere, et extrema omnia experiri.

*Hoc quod parenti, etiam principi*] Nunc exemplum argumento subiecto accommodat.

*Quem appellavimus patrem patriae*] Omnes fero Caesares patres patriae a senatu consulatabantur, ut paene solemne hoc fuerit imperatorum cognomen, ex quo Iulio delatum fuerat: et Tacitus promiscuum hoc cognomentum libro XI. appellat. Vide Tranquillum. Habuit hoc nomen originem a Cicerone, qui post suppressam Catilinae coniurationem pator patriae est appellatus, ut testatur Appianus libro secundo. Et alibi loquens de Caesare dictatore: Appellatus est pater patriac; quod cognomen primus Cicerone meruit. Juvenalis Satyra VIII.:

[pag. 98] Sed Roma parentem,  
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Plinius libro VII.: Salve primus omnium parens patriae appellate. Plutarchus in eius vita Catonem fuisse autorem huius cognominis tradit: quod an verum sit, in medium relinqu. subiiciam tamen ipsius Plutarchi verba, et Ciceronis locum, quo facilis possint aestimare lectores. Nonnihil, inquit, Ciceroni ac universae reipublicae Cato conduxit: qui tribunatus viribus fultus, aequa licet potestatis licentia, ampliori tamen dignitate institit. Facile enim cuncta solvit, et Ciceronis consulatum adeo pro rostris extulit, ut Ciceronem honoribus omnium maximis dignatus sit, illum patrem patriae appellans: quod cognomen primum ex Catonis oratione Ciceroni inditum, ad caeteros emanasse existimatur. Cicero ipse in oratione pro Sextio sic loquitur: Quid fuit illud, quod summus artifex flens et recenti laetitia, et moesto dolore, ac desiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuisse? Summi enim poetae ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat. Tum illa quanto cum gemitu acta sunt? O pater! Me me ille absentem ut patrem doplorandum putarat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu, quum<sup>1)</sup> patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam, eversamque? Sic egit, ut demonstrata pristina fortuna, fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. Nominatum sum appellatus, in Bruto. Hic nominatum Q. Catulum memorat, nulla mentio Catonis: et in senatu,

1) *Edd. rec.*: eum.

non in concione appellatum se praedicat. Sane qui adeo iactat histriones, non fuit practermissurus Catonem, <sup>www.alioqui.english</sup> alioqui rerum suarum laudator magnificus. Similia quaedam videre est apud Plutarchum, quae hominis autoritate magis quam historiae veritate fulciantur, ut quem scribit Ciceronem se usque adeo adulescenti Octavio subiecisse, ut eum aliquando patrem appellaverit: et continuo subiicit: Ex quo stomachans Brutus in Epistolis ad Atticum Ciceronem increpat, quod Antonii metu Caesari blandiens non libertati studere, sed domesticum sibi dominum facere videretur. At vero longe aliud sonant verba Brutii in epistola ad Atticum. Appellet, inquit, ergo patrem licet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria. Eiusdem rationis est, quod affirmit Ciceronem quum senatus sibi triumphum ex provincia redeunti decerneret, respondisse, sibi gratius fore triumphum Caesaris sequi. Apparet autem ex verbis Ciceronis, ipsum et cupide [pag. 99] appetisse, et oblatum non respuisse, sed distulisse suam spem, quo maiori apparatu triumpharet, rebus urbanis compositis et sedata seditione. Nec ante voluntatem abiecit, quam transfugit ad Pompeium: quippe de sumptibus magnopere sollicitus, et ornatus lictoribus laureatis. Nolim mihi credatur: audi ipsum Ciceronem. Primum libro VI. Epistolarum deliberat cum Attico: Videris, inquit, quid nobis de triumpho cogitandum putas: ad quem amici me vocant. Ego, nisi Bibulus, qui dum unus hospes<sup>1)</sup> in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo sua, admiraretur,<sup>2)</sup> de triumpho aequo animo essem, nunc vero *αἰσχρὸς σιωπῶν*. Libro VII.: Tu autem de nostro statu cogitabis, primum quo artificio tueamur benevolentiam Caesaris, deinde de ipso triumpho, quem video, nisi reipublicae tempora impedient, *εὐπόρωτον*. Item: Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum me, quidquid posset<sup>3)</sup> nummorum ad apparatum sperati triumphi ad me redacturum. Item: De triumpho autem nulla me cupiditas unquam tenuit ante Bibuli impudentissimas literas: quas amplissime supplicatio consequuta est: a quo si ea gesta sunt, quae scripsit, gauderem, et honori favorem. Nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri: me in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum: nostrum inquam, te coniungens. Itaque omnia experiar, et, ut spero, assequar. Perpendat nunc secum lector, num haec, et his similia, quae in eius epistolis sparsim leguntur, sint triumphum abnuen-

tis. Redeamus ad Senecam. Dicit igitur nomen patris patriae non esse impositum Caesariibus ab assentatoribus, sed ut populus ostenderet nihil plus in se licere principibus, quam parentibus in liberos.

*Magnos et felices et augustos]* Augusti cognomen quasi haereditarium ab Octavio ad posteros imperatores derivatum est. Tranquillus in eius vita: Postea C. Caesaris, deinde Augusti nomen assumpsit, alterum testamento maioris avunculi, alterum Numatii Planci sententia, quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisse, ut Augustus potius vocaretur, etc. Verbi etymon pete ex Ovidio, primo Fastorum, et Servio in IV. comment. Georgicon. Felicis nomen, quod legerim, primus sibi adscripsit L. Sylla, publicis miseriis quæsitus. Hinc illud probrose iactatum:

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam.

*Prope est ut libenter damnet, qui cito]* Si enim in iudicando criminosa est celeritas, atque ut ait Juvenalis Satyra VI.:

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est, [pag. 100] qui cito damnat, libenter damnat. Celebratur apophthegma Alexandri, dignum longe alio rege, quam se postea praestiterit: qui a matre rotatus, ut hominis innocentis mortem sibi concederet, aliam, inquit, posce mercedem. Hominis enim vita nullo beneficio pensatur.

*Erixonem]* Historia adeo non vulgo cognita est, ut alia exemplaria Trixonem habeant, alia Buxonem.<sup>1)</sup>

*Flagellis ceciderat]* Tametsi enim patria potestas magna erat apud Romanos, hoc tamen putabatur libertati contrarium, liberum adulescentem affici servilibus opprobriis. Erat autem servile, flagellis caedi: quod respexit Seneca in ludo Claudii, quum inquit: Apparuit subito C. Caesar, et petere illum in servitutem coepit: producit testes, qui illum viderent ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulanten. Adiudicatur C. Caesari. Et in Iure: quibus ex causis liberi fustibus, servi flagellis caeduntur. Ideo servi flagriones peculiariter vocabantur.

*Graphis confudit]* Graphium stylus est ferreus peraeutus, quo in pugillaribus scribitur. Ovidius in Amoribus:

Quid digitos opus est graphium lassare tenendo? Tranquillus in Caligula: Subornavit qui curiam ingredientem, hostem publicum appellantes invaderent, graphisque confossum reliquis traserent. Dicitur *ἀπὸ τοῦ γράφειν*.

*Tam patrum quam filiorum manibus]* Patrum quidem, quia sua crudelitate invisos filiis parentes

1) *Hodie legitur*: hostis. 2) *Apud Ciceronem est*: adniteretur. 3) *Editiones Ciceronis nunc habent*: possem . . . ad te redacturum.

1) *Imo multo plures hoc loco occurrunt variantes in libris manu scriptis et impressis.*

reddiderat: filiorum, quia exemplum prodiderat, quo parentes in filios crudeliter saevirent. Simile est illud Livii, quantum ad filios pertinet: Tito Manlio venienti seniores tantum isse obviam constat, iuventutem et tunc, et omni vita deinde, aversatam eum, exsecratamque.

## CAPUT XV.

*Tarium, qui filium deprehensum in parricidio, exsilio damnavit, causa cognita, nemo non suspexit, quod contentus exsilio, et exsilio delegato, Massiliae parricidam continuit, et annua illi praestitit, quanta praestare integro solebat. Haec liberalitas efficit, ut in qua civitate nunquam deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus esset, quem is pater damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo, quem compares bono patri bonum principem. Cogniturus de filio Tarius, advocavit in consilium Caesarem Augustum. [pag. 101] Venit in privatos penates, assedit, pars alieni consilii fuit. Non dixit, imo in domum meam veniat. Quod si factum esset, Caesaris futura erat cognitio, non patris. Auditca causa, excussisque omnibus, et iis quae adulescens pro se dixerat, et iis quibus argubatur, petit ut sententiam suam quisque scriberet: ne ea omnium fieret, quae Caesaris fuisset. Deinde prius quam appearirentur codicilli, iuravit se Tarii hominis locupletis haereditatem non aditum. Dicet aliquis pusillo animo: Timuit ne videretur locum spei suae aperire velle, filii damnatione, ego contra sentio. Quilibet nostrum debuissest adversus opiniones malignas satis fiduciae habere in bona conscientia. Principes multa debent etiam famae dare. Iuravit se non aditum haereditatem. Tarius quidem eodem die et alterum hacredeum perdidit, sed Caesar libertatem sententiae sua redemit: et postquam approbavit gratuitam esse severitatem suam, quod principi semper curandum est, dixit relegandum quo patri videretur. Non culleum, non serpentes, non carcerem decrevit, memor non de quo censeret, sed cui in consilio esset. Mollissimo genere poenae contentum esse debere patrem dixit in filio adolescentulo impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timide gessisset: debere illum ab urbe et a parentis oculis submoveri.*

Prius exemplum proposuit, quo malum patrem nobis describeret. Nunc exemplum proponit boni patris: utrumque ad confirmandum id quod dixerat, bonum patrem esse qui nonnunquam blande, nonnunquam minaciter obiurgaret filium, multa toleraret, ad multa conniveret, tentaret omnia antequam ultima experiretur. Attendant autem lector ad seriem argumentationis. Argumentatur Seneca ab autoritate. Facit enim ex hominum opinione quodam quasi praeiudicium. Erixonem, quia aspere ni-

mis et praecise in filium animadverterat, populus graphiis confudit. Ergo patris saevitia hominum opinione improbata est. Rursum, si Tarium omnes laudaverunt, quia filii nefarium facinus modice ac etiam intra modum [pag. 102] punivit: igitur publico decreto patris mansuetudo approbata est. Quod si bonum principem decebat ad exemplar boni patris formari, nimis mansuetudine opus est. Tarius hic de quo loquitur Seneca, is est cuius meminit Plinius Hist. natur. lib. XVIII. qui humili loco natus, ab extrema paupertate proiectus ad summum fortunae fastigium beneficentia Augusti etiam consulatum adeptus est.

*Contentus exsilio, et exsilio delegato]* In hoc fuit temperatus pater, quod exsilio contentus, mortis poemam remisit, inulto etiam magis, quod tale exsilium delegavit ac definivit, nempe Massiliam, quae urbs antiqua dignitate, eximiisque opibus atque ornamentis pollebat: ut videri potuerit non exsulare, qui in eum locum relegatus sit. Massilia urbs est Galliae in petroso loco sita, Phocaensium aedificium, de qua lege Strabonem libro IV., Iustinum libro XLIII., Pomponium Melam libro II. Nam de eius laudibus Cicero pluribus locis, et alii. In ea exsulavit Milo. Unde apparet eos qui solum exsiliis causa verterent, eam sedem quasi aptissimam deglisse, si tamen non essent loco circumscripsi.

*Et annua]* Id est, sumptus annuos, seu annuam pensionem. Sic enim annua absolute dicuntur alimenta in singulos annos. Tranquillus in Tiberio: Sed et peculio concesso a patre, praebitisque annuis fraudavit per speciem publici iuris, quod nihil de iis Augustus testamento cavisset.

*Quem compares bono principi]* Bono principi Augusto, bonum patrem Tarium: quorum in eadem causa alter bonum se patrem praestitit, alter instar boni patris bonum principem.

*Cogniturus de filio Tarius]* Benignitas Augusti, et quod de filio cognitionem patri permisit, quoniam posset ad se trahere: quod praevidebat patrem mitius acturum: extraneum quemvis iudicem summo iure posse animadvertere. Deinde, quod patri affuit in consilio, et quoniam sententiam rogaretur, meminit cui in consilio adesset. Itaque non tantum quasi in parricidam, sed quasi in filium sententiam tulit.

*Caesaris futura erat cognitio]* Id est inquisitio, examen. Livius lib. I.: Cognitiones capitalium rerum per se solus sine consiliis exercebat. Juvenalis Satyra XVI.:

Iustissima centurionum  
Cognitio est igitur de milite.

Alias cognitor est familiarissimus defensor, qui praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam, ut interpretatur Asconius in Divinationem. In qua significacione saepius accipit Cicero.

*Ut sententiam suam quisque scriberet]* Hic ritus ut plurimum in iudiciis publicis observabatur, ut iudices audita causa, sententiam suam scriberent, et in urnam coniicerent, sic ut alter alterius sententiam ignoraret, et omnes omnium. Tum praetor qui quaestioni praeceperat, ex corum sententia qui numero vincebant, [pag. 103] pronunciabat. Id tamen perpetuum non erat: quod certum est ex loco Ciceronis in oratione pro Cluentio. Quaesivit, inquit, a reo C. Iunius quaesitor ex lege illa Cornelii quae tum erat, clam, an palam de se sententiam ferri vellet. De Oppianici sententia responsum est, quod is Habiti<sup>1)</sup> familiarem esse Iunium dicebat, clam ferri velle. Itum est in consilium: omnibus sententiis praeter unam, quam suam Stalenus esse dicebat, Scamander prima actione condemnatus est. Falluntur ergo qui semper tabellaros fuisse sententias existimant.

*Ne ea omnium fieret, quae Caesaris]* Hoc est, ne si palam protulisset Augustus sententiam, omnes eius autoritatem instar praeiudicii sequerentur. Ita erant liberiores quae scribebantur sententiae. Quare Cicero de lege agraria, tabellam qua cerebantur suffragia, vocat indicem facitae libertatis; et alibi tabellae latebram.

*Iuravit se Tarii locupletis hominis]* Cur iuraverit Augustus, postea aperit Seneca, ne scilicet visideretur spolii (ut dicitur) cupiditate confidere bellum: et ideo filium ab haereditate paterna deiicere, ut ipse haeres institutus in locum succederet. Quod hic Tarium hominem locupletem appellat Seneca, homo ipse praedives, non abs re est. Siquidem Tarius, ut scribit Plinius in eo quem citavimus loco, millies sestertium liberalitate Augusti congestum agris coemundis exhaustus: quae summa facit aeris nostri vicics quinques centena millia, seu duos milliones et quingenta millia coronatorum: ut colligitur ex suppuratione Budaci. Neque enim inibi curae est quid garriat Porcius Latro Vicentinus. Quid sit adire haereditatem, quod et cernere dicitur, nulli ferme iurisconsulto non cognitum est. Significat enim haeredem profiteri, et se pro haerede gerere. Unde et metaphorice cernere haereditatem alienae laudis, Ciceroni ad Dolabellam, et libro VI. ad Atticum: cernere amorem. Non contemnendus est error Marcelli, cuius verba sunt: Cernere, cedere significat; unde et cernere haereditatem filii patribus, id est cedere dicti sunt. Imo vero filii patrum haereditatem cernunt, id est adeunt.

*Satis habere fiduciae in bona conscientia]* Non enim sapientis est se extra querere, et penderi a rumoribus, sed conscientiae suae fiducia niti, ut philosophi praedicant. Cicero ad Atticum libro XII.:

1) *Hodie legitur: Aviti.*

Mea conscientia pluris est, quam hominum sermo. Item libro XIII.: De fama nihil sane labore, etsi scripseram ad te tunc stulte. Nihil enim melius curandum est, atque hoc in omni vita sua, quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. Haec apud philosophos valeant, nobis vero longe aliud praescribit nostra religio. Nam, ut ait Augustinus de communi vita clericorum: [pag. 104] Dueae res sunt conscientia, et fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientiae negligit famam, crudelis est.

*Princeps multa debet etiam famae]* Nam ut loquitur Quintilianus in milite Mariano: Quo ad altiorum quisque honorum gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet. Et haec est conditio superiorum, ut quidquid faciunt, praecipere videantur. Quare nil mirum, si habere debeant famae rationem.

*Iuravit se non aditum]* Hoc schema rhetorium, quod alii πλόνη, alii ἀραδίπλωσιν vocant, repetitio, seu replicatio latine dici potest.

*Gratuitam esse severitatem]* Non excogitatam ad confiscandam haereditatem, etc.

*Non culcum, non serpentēs]* Significat poenam parricidarum, qui virgis sanguineis verberati, atque insuti culleo cum cane, simia, angue et gallinaceo, in profluentem deiiciebantur, aut, si mare longius dissitum esset, feris subiiciebantur. Autor Modestinus in l. poena parricidii ff. ad l. Pomp. de parricid. Id constitutum erat lege Cornelii, quam nonnulli latam a Sylla existimant. Ego contra sentio. Nam Cicero in oratione pro Roscio, Quanto inquit, maiores nostri sapientius, qui quum intellegent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut quos ipsa natura retinere in officio non potuisset, magnitudine poenae maleficio submoverentur, insui voluerunt in culleum vivos, atque ita in flumen deiici. Hic a maioribus latam legem testatur, quum tamen causam<sup>1)</sup> Sylla viante ageret, autore Plutarcho. Quisquis tamen ille fuerit Cornelius primus legislator, legem paene obsoletam in usum revocavit Pompeius Magnus, nihil ad poenam adiiciens, quemadmodum scribit Marcellus iuriscons. in l. I. ff. ad l. Pompeiam etc. in cuius verbis duo verba expungenda scitissime docuit Zassius iurisconsultus. Addere etiam hoc supplicium non primum excogitatum esse in parricidas, sed quum M. Tullius duumvir, quia librum secreta civilium sacrorum continentem Petronio Sabino transcribendum dederat, iussu Tarquinii regis culleo

1) Ed. 1597 *vitio operarum scribit causa, inde posteriores ex conjectura causas.*

insutus, et in flumen projectus esset, hoc genus supplicii ad parricidas traductum est. Siquidem deorum ac parentum violationem aque expiari aequum est, ait Valerius. In codicibus Dionysii Halicarnassei legitur M. Attilium. Ego M. Tullium reponendum censeo ex Valerio. Lege multa in hanc sententiam in oratione Ciceronis pro Roscio, quam supra citavimus. Ad hoc alludit Juvenalis de Nerone loquens parricida et matricida:

Cuius supplicio non debuit una parari  
Simia, nec serpens unus, nec culleus unus.

Et alibi:

[pag. 105] Et deducendum corio bovis in mare, cum quo Clauditur adversis innoxia simia satis.

*Mollissimo genere poenae*] Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri, inquit Terentius. Quamobrem divus Adrianus fertur eum qui in venatione filium suum necaverat, quod novercam adulteraret, in insulam deportasse, quod latronis magis iure quam patris eum interfecisset. Nam patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere. Id refert Martianus iurisconsultus.

*In filio adolescentulo*] Argumenta a circumstantiis, primum quod adolescens aetate lubrica in scelus lapsus sit, deinde quod non audax ac praeceps fuerit in facinore perpetrando.

## CAPUT XVI.

*O dignum quem in consilium patres aulcarent.*  
*O dignum quem cohaeredem innocentibus liberis scriberent.* Haec clementia principem decet, ut quocunque venerit, mansuetiora omnia ficiat. Nemo regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat, qui qualiscunque pars imperii est. *In magna imperia ex minoribus petamus exemplum.* Non est unum imperandi genus. *Imperial princeps civibus suis, pater liberis, praceptor discipulis, tribunus vel centurio militibus.* Nonne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagis liberos etiam ex levissimis causis compesceret? Uter autem praceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificat discipulos si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus haeserit: an qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da saevum, desertores faciet: quibus tamen ignoscitur. Num quidnam aequum est, gravius homini, et durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterrit domandi peritus magister. Fict enim formidolosus et contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique iam exercitatis utitur ad excitandas vel persequendas feras, nec crebro illis minatur: contundet enim animos, et quidquid est indolis, comminuetur trepidatione degeneri. Nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Adiicias his licet, tar-

Calvini opera. Vol. V.

diora agentes iumenta: quae quum ad contumelias et miseras nata sint, nimia saevitia coguntur iugum detrectare.

[pag. 106] *Quem patres in consilium*] Qui tam fidele consilium daret parentibus, et consentaneum paternae mansuetudini.

*Cohaeredem innocentibus liberis*] Qui non consecraretur haereditates ex criminis liberorum, nec deiceret e gradu legitimos haeredes ut se ingereret.

*Scriberent*] Scribere haeredem dixit iuxta differentiam in iure observatam, ut haeres scriptus opponatur haeredi nuncupato. Iulianus in l. si ita scriptum ff. de bonorum possess. secundum tabul.: Nam quemadmodum filio scripto haeredi separatim ab haeredibus patris, ita nuncupato potest videri separatim a scriptis patris haeredibus bonorum possessionem dari. Et ibidem substitutio per nuncupationem. Ulpianus in l. haeredes ff. de test.: Haeredes palam, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. Licebit ergo testanti vel haeredes nuncupare, vel scribere. Sed si nuncupat, palam debet. Idem §. quod vero: Quod vero quis obscurius in testamento vel nuncupat, vel scribit, an post solennia explicari possit, quaeritur. Ergo scriptus haeres quem testator manu sua scripserit, nuncupatus, cuius nomen dictaverit testator scriba excipiente. Quod ostendit Tranquillus in Augusto his verbis: Testamentum quod is Romae etiam de Cleopatrae liboris intor haeredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit. Erant enim liberi Cleopatrae in testamento scripti haeredes, sed ab amanuensi, Antonio nuncupante, seu dictante. Juvenalis Satyra III.:

Quis pauper scribitur haeres?

Idem Satyra V.:

Non unus tibi rivalis dictabitur haeres.

Dictabitur, id est nuncupabitur. Qua ratione Plinius libro VIII. Epist. dixit nuncupatum testamentum.

*In magna imperia ex minoribus*] Arguit a similibus. Quemadmodum, inquit, princeps suis civibus imperat, ita pater filii, praceptor discipulis, tribunus seu centurio militibus. Atqui non bonus est pater, qui aspere filium tractat, nec bonus praceptor, qui discipulum, nec bonus centurio, qui militem. Ergo nec bonus princeps accrbum et crudelē gerere se erga suos debet. Neque supervacuum est quod Seneca rursum similitudinem a patre trahit. Sunt enim variae similitudines. Prius conferbat principem cum patre, quia princeps est pater patriae, et dominari suis debet quasi liberis. Nunc componit patrem cum principe, quia pater inter filios est quasi regulus.

*Nonne pessimus pater*] Est enim pater naturae prodigium, qui affectum illum amoris non gerit erga

filios, quem natura etiam omnibus animantibus indidit, atque ut Graeci proverbio dicunt στραγγήν γυναικίν πρόσωπον λέγεται τέχνην.  
www.zgdslib.org/txt/111.com.cn

*Utrum autem praceptor?* Notum est Fabii Quintiliani consilium, ne in pueros ingenuos nimium aspera saeviatur. Quod tamen<sup>1)</sup> minime exauditur a plagosis istis carnificibus. Non enim audeo pacdagogos appellare, quum id nomen probro vertant.

*Si parum agitis in legendō oculūs?* Quod [pag. 107] tamen a puero exigi non debet. Nam Quintilianus de emendata lectione praecipiens, ad hunc modum scribit: Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta, et diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum, quod omnes praecipiunt, et providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intenti, priora dicenda sunt: et quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. Idem libro X.: Est igitur usus irrationalibilis quem Graeci ἄλογον τρέψην<sup>2)</sup> vocant, quo manus in scribendo decurrit, quo oculis totos simul in lectione versus flexusque eorum et transitus intentur, et ante sequentia vident, quam priora dixerunt. Galli lingua vernacula rusam dicunt.

*Tribunum centurionemque da saevum?* Hic ordo est disciplinae militaris, ut centuriones tribunorum imperio pareant, tribuni legatorum, legati consulum potestati obnoxii sint. Centuriones enim centum militibus praeerant, tribuni millenis, ob id a Graecis χιλαρχοι dicti, quo nomine utitur etiam Curtius libro V. Si ergo aut centuriones suis centuriis, aut tribuni suis chiliadibus ita imperio praeerant, ut minima etiam delicta severissime excipiant, desertores faciunt. Quibus tamen ignoscitur, quia culpa omnis in eos confertur, quorum saevitia causam dedit cur desererent. Sic legitur apud Livium de Appio illo viro aspero et intractabili, libro II. Haec ira, inquit, indignatioque ad vexandum saevo imperio exercitum stimulabat: nec ulla vi domari poterat, tantumque certamen animis imbiberat, segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agere: nec pudor, nec metus coerebat. Si citius vellet agi agmen, tardius sedulo incedere. Si adhortator operis adesset, omnes sua sponte motam remittere industriam, praeresenti vultus demittere, tacite prætereuentem exsecrari.

*Desertores?* Desertor est qui per prolixum tempus evagatus, ad castra reducitur: ut tradit Modestinus iuris. in l. desertorem ff. de re militari. Est tamen et alia significatio huius verbi. Sunt enim qui militiam deserunt, alii locum et stationem.

1) Sic princeps per compendium (tm). Caeterae omnes: tum.

2) Restituimus hoc vocabulum ex conjectura. Libri nostri omnes habent: πρεπήν.

Salustius in Iugurtha: Centuriones ducesque turmarum partim uti transfugerent, corrumperet, alii signo dato locum uti desererent. Qui militiam deserunt, dieuntur simpliciter deserere, sine adiecto. Quintilianus libro IX.: Qui aliquando fortiter fecerat, et alio bello petierat ut militia vacaret ex lege, quod quinquagenarius esset, adversante filio ire in aciem coactus, deseruit. In hunc sensum Turnus Aeneidos XII. vocat Aeneam desertorem Asiae, quasi patriae proditorēm, quod Servius non bene pro exsule interpretatus est.

*Numquid aequum est?* Quae praecesserunt argumenta, a similibus ducebantur. Nunc ducitur a maiori. Si enim omnia impune licent domino in animal brutum et mutum, nec tamen grave ac durum imperium exercet, a maiori sequitur hominis in hominem moderatum esse debere [pag. 108] imperium. Post descendit ad species, exempla propo-nens in equis, in catulis venaticis, in asinis etiam et bobus: quae si aspere tractentur et praefracte, ad verbera<sup>1)</sup> indurescant potius quam flectuntur.

*Atqui equum?* Vergilius Georgicon III. de equis loquens:

Namque ante domandum  
Ingentes tollent animos prensique negabunt  
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.

Statius I. Achilleidos:

Effrenae tumidum velut igne iuventae  
Si quis equum primis submittere tentet habenis,  
Ille diu campis, fluiisque, et honore superbo  
Gavisus, non colla iugo, non aspera praebe  
Ora lupis, dominique negat captivus ire  
Imperia, atque alios miratur discere cursus.

*Domandi peritus magister?* Id est mansuetarius. Observavit proprietatem verbi, quum de equis loqueretur, quos domari proprie dicimus, autore Servio. Cicero Offic. I.: Ut equos propter crebras contentiones praeliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, ut iis facilius uti possint, etc.

*Contundet animos?* Hebetabit. Sumpta, ut ait Donatus, a fabris translatio, qui saepe repetendo tundunt aliiquid malleo et hebetant. Plinius in Panegyrico: Amas constantiam civium, rectosque ac vividos animos: non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foves et attollis. Latinus Pacatus in Panegyrico: Illa, illa, tyranni consilia caecavit. Illa et animum eius obtudit, et gladium. Quintilianus libro X. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est deteratur fulgor, et durescat articulus, et ipse ingenii muero quasi quotidiana pugna retundatur. Alter accepit Ovidius contundere animos, pro eo quod est ferocitatem niuam mansuefacere et emollire, libro I. de Arte:

Phillyrides Chiron citharae praefecit Achillem,  
Atque animos molli contudit arte feros.

1) Edd. 1611 ss.: verba.

*Tardiora agentes iumenta]* Nempe asinos et boves: quamvis hos sub iumentorum nomine contineri non putaverit *Ulpianus iuris consultus*. Sed si etymologiam respicias, nihil prohibet quin iumenta recte dici possint, sive a iugando, ut voluit Varro, seu a iuvando, ut alii grammatici docent, nomen deducunt sit.

*Detectare]* In aliis exemplaribus legitur detectare. Utraque lectio recipi potest. Nam quamvis detectare frequentius sit in ista significazione, hoc tamen etiam reperitur. *Vergilius Georg.* III.:

Aut iuga detractans interdum quae optima cornu. *Curtius libro IX.:* Nihil quod imperaret detractans, biduum apud eum substituit.

[pag. 109]

## CAPUT XVII.

*Nullum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quam homo, nulli magis parcendum.* Quid enim stultius, quam in iumentis quidem et canibus erubescere, iram exercere, pessima autem conditione hominem esse? *Morbis medemur, nec irascimur.* At qui et hic morbus est animi, mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum aegro. *Mali medici est desperare ne curet.* Idem in his quorum animus affectus est, facere debet cui tradita salus omnium est: non cito spem proiicere, nec mortifera signa prouinciare. *Luctetur cum vitis, resistat, aliis morbum suum exprobret, quosdam morbi curatione decipiat, citius meliusque sanaturus remediis fallentibus.* Agat princeps curam non tantum salutis, sed etiam honestae cicatricis. Nulli regi gloria est ex saeva animadversione. Quis enim dubitat posse? At contra maxima, si vim suam continent, si multos irae alienae eripit, neminem suae impendit.

*Nullum animal]* Clausula, qua apte superiora clauderentur, si mox sequerentur ea quae de servis paulo post subiiciet. Quum enim in comparatione animalium diversi generis illud conveniret, nulli magis parcendum quam homini, erat et illud addendum, etiam inter homines nulli magis quam libero. Nunc quaedam admiscet minime loco posita: quae si in alium locum distulisset, optime quadrarent. Haec ergo accipiamus quasi dicta sint per digressionem.

*Morbis medemur]* Quasi diceret, quum princeps alieui poenam infligit, non aliam causam praetendit nisi quod sic corrigitur hominum pravitas, qui alter cohiberi non possunt: quod curatur ulcus publicum, quod membra morbosa abscinduntur, ne malum in totum corpus serpat. Atqui et eam rationem sequuntur medici. Imo verius princeps quidam est animi medicus: quum morbus animi sit vitium. Imitentur ergo principes bonos medicos, qui non intem-

peranter aegros affligunt, qui faciles curationes pri-  
mum adinvent, et fallentia remedia, nec desperant  
quamdiu aliquid tentare possunt. *Morbis medentur,*  
non irascuntur.

*Quorum animus affectus est]* Id est male habi-  
tus et male dispositus, ut vulgo loquuntur. Sic enim  
affectus fere accipitur [pag. 110] in malam partem,  
quum est sine adiecto. *Livius libro IX.:* In cor-  
pore tamen affecto vigebat vis animi consilique.

*Nec mortifera signa]* Alludit ad praesagia me-  
dicorum, quibus certam mortem praenunciari scri-  
bunt.

## CAPUT XVIII.

*Servis imperare moderate, laus est: et in manci-  
pio cogitandum est, non quantum illud impune pati  
possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique na-  
tura, quae parcere etiam captiuis et pretio paratis iu-  
bet. Quanto iustius his iubet, tanto iustius hominibus  
liberis, ingenuis, honestis, non ut mancipiis abuti, sed  
his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita  
servitus, sed tutela. Servis ad statuam licet confugere,  
quum in servum omnia licent. Est aliquid quod ho-  
mini in hominem licere, commune ius animantium ve-  
tet. Quis non Vedium Pollionem peius oderat, quam  
servi sui, quod muraenes sanguine humano saginabat,  
et eos qui se aliquid offenderant, in vivarium, quid  
aliud quam serpentibus, obiuci iubebat? O hominem  
mille mortibus dignum, sive devorandos servos obiicie-  
bat muraenis, quas esurus erat: sive in hoc tantum  
illus alebat, ut sic aleret. Quemadmodum domini cru-  
deles tota civitate commonstrantur invisiisque et detesta-  
biles sunt, ita regum et iniuria latius patet, et infamia  
atque odium saeculis traditur. Quanto autem non  
nasci melius fuit, quam numerari inter publico malo-  
natos?*

A maiori ad minus: Si non omnia licent domino in servum, ergo nec principi in subditum. Sic enim debet dominus servo imperare, ut interim agnoscat hominem. Sic princeps dominari subdito, ut hominem agnoscat et liberum. A minori: Si domini crueles, quorum crudelitas privatis parietibus contine-  
tur, tota civitate commonstrantur: regum saevitia, quae in populos exercetur, in vulgus infamis est, et ad posteritatis quoque memoriam dimanat.

*Servis imperare moderate]* Est etiam erga infi-  
mum hominum genus servanda iustitia, inquit Cicero.  
Hi sunt servi, quibus uti bene quidam praecipiunt  
ut mercenariis, ad exigendas operas, et iusta prac-  
stanta. Plato quoque in VI. de Republica: Est, in-  
quit, recta servorum educatio, ut nulla illis contume-  
lia inferatur, iniuriaque iis multo minus, si fieri pos-  
sit, quam aequalibus inferenda. Modus tamen ad-

hibendus est. Nam, ut statim idem subdit, castigandi caedendique [pag. 111] semper iure sunt servi: neque ~~itali~~ monendimut liberi, ne moliores fiant; alloquentio omnis ad servos, quodammodo imperium sit, etc.

*Aequi bonique natura*] Satis ostendit Budaeus in suis annotationibus, quid esset aequum et bonum, quod iuri summo seu rigori iuris opponitur. Nam quum ius omnia recta et inflexibilia exigat, aequitas de iure aliquid remittit. Haec Graecis *πιλέκτια*, illud τὸ κατὰ τὸν νόμον δίκαιον dicitur. Sensus est igitur, dominos non respicere quantum suo iure in servos possint, sed quadam aequitatis norma temperare imperium.

*Quae parcere etiam captivis*] Eadem etiam aequitas bello devictos et captivos conservari iubet. Nam si iure summo agatur, praesertim in medio belli tumultu, non est nec misericordiae nec mansuetudini locus: atque ut loquitur Pyrrhus apud Senecam in Troade:

Lex nulla capto parcit, aut poenam impedit.

*Aequius respondet Agamemnon*:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Cicero Offic. I.: Parta autem victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt. Horatius I. Epistolarum:

Vendere quum possis captivum, occidere noli:  
Serviet utiliter, seu pascat durus, aretque.

Hinc Vergilius Aeneidos VI.:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.  
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,  
Parcere subiectis et debellare superbos.

Et Alexander libro IV. Curtii: Et vincere, et consolare victis scio.

*Liberis, ingenuis, honestis*] Qui serviles contumelias, et sordida obsequia pati non possunt. Unde Hermolaus ad Alexandrum libro VI. Curtii: Occidendi te consilium inivimus, quia non ut ingenuis imperare coepisti, sed quasi in mancipia dominaris. Liberis dixit, et ingenuis, quia haec inter se diffrent. Liberi enim aliquando fiunt, ingenui semper nascuntur. Vide Iurisconsultos.

*Servis ad statuam*] Servi enim, si premerentur intolerabili dominorum saevitia, ad Caesarum statuas confugiebant: et si quidem iusta causa implorabant opem, eximebantur prioris domini potestati. §. sed et major. de iis qui sunt sui vel alieni iuris. lib. I. Instit. Antoninus consultus a quibusdam praesidibus provinciarum, de iis servis qui ad aedem sacram, vel ad statuas principum configuiunt, praecepit ut si videatur intolerabilis saevitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere. In eandem sententiam est constitutio Valer. Theod. et Arcad. aaa. lib. I. C. Tranquillus in Tiberio: Pau latim hoc genus calumniae eo processit, ut haec quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum ser-

vum cecidisse, vestem mutasse etc. Hoc ius asyliae postea transiit ad basilicas Apostolorum et Martyrum, ut legitur in multis Iuris locis. Vide [pag. 112] Augustinum libro I. de Civit. Dei.

*Quum in servum omnia liceant*] Utpote in quem vitae necisque potestas domino permissa est.

*Est aliquid quod homini in hominem licere*] Natura enim indidit animalibus societatem in suo cuique genere, ut homo hominem non violet, nec canis canem, nec equus equum etc. Qui sensus ut elici posset, mutavi veterem lectionem.<sup>1)</sup>

*Quis non Vedium Pollionem*] Locus a contrariis. Si enim passim odio habitus est Vedium Pollio, quod servos muraenis devorando in vivarium coniiciebat, est igitur aliquid quod commune ius animantium homini non permittit in hominem. Quod autem legendum sit Vedium Pollio, constat ex autoritate Plinii, cuius verba sunt libro IX. c. 23: Invenit in hoc animali documenta saevitiae Vedium Pollio eques romanus ex amicis divi Augusti, vivariis earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat. Ob eam causam libro I. Taciti, inter probra Augusti ab obtrectatoribus recensetur Vedii Pollionis luxus, quod eius amicus esset. Hunc etiam Vedium Tacitus libro XII. numerat inter praevalida equitum romanorum nomina, quorum potentia Augusto imperante pollebat. Miror quid in mentem venerit Erasmo, ut in secunda editione Atedum pro Vedio reponeret libro III. de Ira, ubi eiusdem historiae Seneca meminit, quum veram lectionem asseruerit Coelius Rhodiginus in lectionibus antiquis, verba ipsius Senecae licet suppresso autore referens. Senecae verba sunt: Quum Augustus coenaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus crystallinum ex servis. Ad mortem rapi eum Vedium iussit, nec vulgari quidem peritum morte. Muraenis obici iubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc putaret luxuriae causa facere? saevitia erat. Evasit e manibus puer, et confugit ad Caesaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Caesar, et illum quidem dimitti, et crystallina omnia coram se frangi iussit, compleque piscinam.

*Quod muraenas*] Muraena quae Graccis *μύραινα*, ut autor est Varro, pisces in primis deliciis quondam habitus, et qui nunc quoque in magno pretio suo tempore habetur, quantum ex descriptione Plinii et aliorum agnoscere possum. Is est quem lampretam vulgo dicunt, non multum assimilis anguil-

1) *Edd. Senecae habent*: est aliquid quod in hominem licere commune ius animantium vetet.

iae. Quanti aestimatae fuerint muraenae Romanis, vel illud argumento est, quod Antonia Drusi, muraenae quam diligebat, in aures addidit, et Crassus vir censorius amissam, quasi filiam, atratus flevit; quod Muraenae cognomen assumpserint a muraenis, quibus effuse delectabantur. Insignis est error Petrotti, qui a maculis corporis appellatos Muraenas autem, refragantibus Varrone, Macrobius, Columella. Hallucinatur etiam quum scribit Chirrum earum [pag. 113] vivaria excogitasse. Atqui Plinius, Varro, Columella, Macrobius, C. Hirrium tradunt: a quo dictator Caesar sex millia ad pondus accepit, quum triumphales coenas populo daret. Lege plura apud Plinium libro IX. c. 55., Macrobius libro III. Saturn., Varronem libro III. de Re rustica, Columellam libro VIII.

*In vivarium]* Vivarium hic usurpatum pro piscina, contra quam docuerit Gellius libro II. qui vult accipi pro loco in quo ferae vivaे pascantur, quod alias leporarium, alias roborarium dicitur. In hac tamen significatione non semel in autoribus legitur. Iuvenalis Satyra IV.:

Non dubitatur fugitivum dicere pisces,  
Depastumque diu vivaria Caesaris.

Seneca lib. XIV. Epist.: Ego vero philosophiam iudico non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium, et urbes urbium prementium, quam vivaria piscium in hoc clausa, ut tempestatum pericula non adiret gula.

*Quas esurus erat]* Id est luxuriae causa faciebat.

*In hoc alebat, ut sic aleret]* Ad exercendam crudelitatem.

*Quam numerari inter publica mala]* Alii codices habent, inter publico malo natos, nihilo peiore sensu. Idem est enim, natos numerari inter publica mala, et numerari inter natos malo publico. Tranquillus in Nerone: Domitii patris vox inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex se et Agrippina, nisi detestabile, et malo publico nasci potuisse. Ovidius:

O mihi perpetuum nata puella malum.

### CAPUT XIX.

*Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quam clementia, quocunque modo is, et quocunque iure praepositus caeteris erit.* Eo scilicet formosius id esse magnificentiusque fatebimur, quo in maiori praestabilitur potestate: quam non oportet noxiā esse, si ad naturae legem componitur. Natura enim commenta est regem, quod et ex aliis animalibus licet cognoscere, et ex apibus, quarum regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco. Praeterea onere vacat, exactor alienorum operum: et amissō rege totum dilabitur examen. Nec unquam plus uno pa-

tiuntur, meliorcmque pugna quaerunt. Praeterea insignis regi forma est, dissimilisque caeteris, tum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maxime distinguitur. Iracundissimae, ac pro corporis captu pugnacissimae [pag. 114] sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec saevum esse, nec ultiōm magno constatarum petere, telumque detraxit, et iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Est enim illi mos exserere se in parvis, et ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, quum tanto hominum moderatio esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex esset, et ira cum telo suo frangetur, nec sarpis liceret nocere quam semel, nec alienis viribus exercere odia. Facile enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, et si mortis periculo vim suam effunderet. Sed ne nunc quidem illi cursus tutus est. Tantum enim necesse est timeat, quantum timeri vult, et manus omnium observet, et eo quoque tempore quo non captatur, peti se iudicet, nullumque momentū immune habeat. Hanc aliquis aegram vitam sustinet, quum liceat innoxium aliis, ob hoc securum, salutarem potentiam eius laetis omnibus tractare. Errat enim si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rege tutum est. Sed securitas securitate mutua pacisceda est. Non opus est instruere in altum editus arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera montium abscondere, multiplicibus se muris turribusque sepire. Salrum regem in aperto clementia praestabit. Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis, et vota non sub custode nuncupantibus? Si paulum valitudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? Nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute praesidis sui commutatum velit? Omne illi quod contingit, sibi quoque evenire deputet. In hoc assiduis bonitatis argumentis probavit non rempublicam suam esse, sed se reipublicae. Quis huic audeat struere aliquod periculum? Quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque avertere velit? sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, [pag. 115] dignitas, florent: sub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat. Nec alio animo rectorem suum intuentur, quam si dii immortales potestatem visendi sui faciant: intueamur venerantes coentesque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit beneficis, ac largus, et in melius potens? Hoc affectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut optimus simul habeatur.

Postquam enumeravit per species eos qui aliis praesunt, ostenditque debere se praestare indulgentes erga eos quibus praefecti sunt, nunc generali sententia colligit eorum omnium praecipuam dotem esse clementiam, sive sit pater, qui filio imperet, seu praceptor discipulo, tribunus militi, aut domi-

nus servo. Praecipue vero hoc ad regem spectare, quod natura illi exemplar in apibus proposuit, ad quod se componat.

*Si ad naturae legem componitur]* Ex disciplina Stoicorum, qui naturam tanquam optimam ducem sequi iubent.

*Ex aliis animalibus]* Ut in gruibus, quae unam semper sequuntur ordine literario.

*Quarum regi amplissimum cubile]* Mirum videri possit, cur Seneca poeticam hanc descriptionem ita per partes exsequatur, quum nihil paene ad rem faciat. Verum id data opera fecit, ut quandam regis maiestateim repraesentaret, ne vidoretur inepta comparatio. Quod dicit esse cubile medio ac tutissimo loco, id significat Vergilius eo carmine libro quarto Georgicon:

Praeterea regem non sic Aegyptus, et ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes Observat.

Et Plinius libro XI. cap. 17: Mira plebei circa eum obedientia. Quum procedit, una est examen: circa eum congregatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Quum processere, se quaeque proximam illi esse cupit, et in officio conspici gaudet.

*Onere vacat exactor]* Vergilius:

Ille operum custos, illum admirantur, et omnes Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes: Et saepe attollunt humeris, et corpora bello Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Varro lib. III. de Re rustica: Regem suum sequuntur quoconque it, et fessum sublevant, et si nequit volare, subvolant, etc.

*Et amissore rege totum dilabitur]* Vergilius:

Rege incolimi mens omnibus una est:  
Amisso rupere fidem.

Plinius: Duce prehenso totum tenetur agmen, migrantque ad alios. Esse [pag. 116] utique sine rego non possunt.

*Nec unquam plus uno]* In apibus princeps unus est, inquit Hieronymus ad Rusticum. Quod si proprius contemplemur, hoc animal documento est, infidam esse regni societatem, nec regnum duos capere: siquidem duo reges ita factionibus multitudinem distrahant, ut ad totius sobolis internectionem depugnare paratae sint, nisi praelium dirimatur altero ex regibus interempto.

*Praeterea insignis regi forma est]* Columella libro IX.: Sunt autem ii reges maiores paulo, et oblongi magis quam caeterae apes, rectioribus cruribus, sed minus amplis pinnis, pulchri coloris, et nitidi, levigati, etc. Vergilius:

Hic melior insignis et ore,  
Et rutilus clarus squammis etc.

*Iracundissima, et pro corporis captu]* Vergilius:

Illis ira modum supra est, laesaque venenum  
Morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt  
Affixa in venis, animasque in vulnere ponunt.

Huc allusit Curtius in Alexandro. Temeritas est, inquit, quam adhuc pro virtute timuistis: quae ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia, amisso aculeo torpet. Et Cicero pro Flacco: Mortuus est aculeo iam dimisso, ac dicto testimonio. Illud vero inter scriptores non convenit, statimque infixo aculeo emoriuntur, an tantum degenerent in fucos. Plinius libro XVIII.: Aculeum apibus natura dedit ventri consertum; ad unum ictum hoc infixo, quidam eas statim emori putant, aliqui, non nisi intantum adacto, ut intestinum saepe assequatur: sed fucos postea esse, nec mella facere. Vides magna illa ingenia, quum se tantopere in rebus minutulis torsent, ne de apum quidem spiculis consentire. At illud nostratis rusticis vulgare est, spiculum infixum non afferre mortem apibus, sed ad mel faciendum inutiles reddere.

*Rex ipse sine aculeo est]* Neque hoc citra controversiam est, an rex apum careat aculeo. Plinius: Non constat inter autores, rex nullum solus non habeat aculeum, maiestate tantum armatus, an dererit eum quidem natura, sed usum illi tantum negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Aristotelis et Columellae eadem sententia est, nisi quod verbis paulum discrepant. Aristoteles enim in libro de animalibus affirmat habere, sed exarmatum, nec pugnae idoneum. Columella non spiculum, sed pleniorem quasi capillum vocat. Ut cuncte res habeat, hoc est quod vult Seneca, non esse datum regi a natura aculeum ad nocendum efficacem, ne saevus esset, aut ultius appetens: quo exemplum regibus proponeret, ne essent aculeati, hoc est in iracundiam et vindictam proclives.

*Pudeat a parvis animalibus]* Quintilianus in Apibus pauperis: [pag. 117] Dicam animal quodammodo parvum hominis exemplar?

*Utinam eadem homini]* Id est, homines quum nocere alteri volunt, animam in vulnere ponerent, et damnum alienum simul suo malo compensarent. Non ita essent ad nocendum protervi, si cogitarent se vitae sua dispendio iram effundere.

*Sed ne nunc quidem illi cursus]* Nunc per rhetoricam correctionem subiicit, non magis tutum hominibus quam apibus, vim suam saeviendo exercere. Idque probat sententia illa vulgo usurpata. Necesse est multis timeat, quem multi timent. Itaque oportet ut qui assiduum terrorem incutit, singulis temporis articulis sit de vita sollicitus, et nova pericula in horas sibi impendere cogitet. Cyprianus ad Donatum de tyranno: Tam ille timere cogitur, quam timetur. Exigit poenas pariter de potentiore sublimitas, sit licet satellitum manu septus, et clausum ac protectum latus numero stipatore tueatur: quam securos non sinit esse subiectos, tam necesse est ut non sit ipse securus.

*Hanc aliquis aegram vitam sustinet]* Exprobavit

tyrannis suam miseriam, quum possint sibi facilitatione conciliare hominum animos, si volentibus, non invitatis impenerat.

*Errat enim si quis existimat]* Pendet ab altera sententia: Necesse est multos timeat, quem multiment. Timet enim omnes, qui omnibus est causa timoris. Et illi est ab omnibus periculum, qui omnium ipse periculum est. Idem est quod dicit Curtius libro X.: Nullum ei satis fidum esse, quem metuat.

*Securitas securitate mutua]* Hac lege poterit sibi princeps ab omnibus securitatem polliceri, si omnes securos reddat. Plinius in Panegyrico: Habes amicos, quia amicus ipse es. Neque enim ut alia subjectis, ita amor imperatur. Neque est ullus affectus tam erectus, et liber, et dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat.

*Non opus est instruere]* Quod tyranni faciunt, qui quum inter cives suos versantur, quasi ab hostibus obsideantur, vallo et castris se muniunt. Plutarchus in vita Arati eius verba refert ad Philipum, in hunc modum: Latrones saxa incolunt, et rupes, et praecipiis se tutantur: regi autem nihil fide ac benevolentia firmius aut munitius esse potest. Et Plinius de Domitiano loquens: Ille tamen quibus sibi parietibus et muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum, et insidias, et ultorem scelerum deum inclusit.

*Arces]* Non negligenda est verbi proprietas. Arx enim saepe dicitur sedes tyranni, quemadmodum adnotavit Paedianus in Divinationem.

*Salvum regem in aperto]* Hoc significat Mimus Publianus:

Bona comparat praesidia misericordia.

*Inexpugnabile munimentum, amor civium]* Pulchra acclamatio, quae omnia complectitur. In hanc sententiam Plinius in Panegyrico: Quanto nunc tuitor, quanto securior eadem domus, [pag. 118] postquam non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solididine et claustris defenditur. Ecquid ergo non discimus experimento, fidissimam esse custodiam principis, ipsius innocentiam? Salustius in Iugurtha: Non exercitus, neque thesauri praesidia regni sunt, sed amici, quos neque armis, neque auro parare queas: officio et fide parantur. Haec arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, non egere munimento. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit. Armis enim arma irritantur. Plutarchus in vita Arati: Vera ac stabilis civium benevolentia, optima principis custodia est. Antigonus etiam, Demetrii pater, dicebat benevolentiam sibi semper viam optimum regni fundamentum, verissimumque praesidium.

*Quid pulchrius quam vivere optantibus cunctis]* Hoc me hercule unum satis esse debeat principi, quo se omnibus amabilem reddat: quod ita et vitae eius

omnes uno consensu favent, et mors non caret publicis lacrymis.

*Et vota nuncupantibus]* Pro eius salute et prosperitate. Solebant enim statim diebus solennia vota pro romanis imperatoribus nuncupare magistratus et sacerdotes, quae in certam verborum formulam concipiebantur. Interdum etiam quum res postulabat, sive imperator ad bellum proficeretur, sive eius vita gravi morbo periclitaretur, quemadmodum ante Caesarum monarchiam consules magistratum inturi, aut ad bellum exeentes, vota pro republica nuncupabant. De votis solennibus, quae calendis Ianuariis nuncupabantur, Tranquillus in Augusto: Quo animadverso vota quae in proximum lustrum suscipios est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit. Idem in Nerone: Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix repertae Capitolii claves. De extraordinariis Livius libro X.: Quem poenitere votorum, quae pro republica nuncupavoirint tot consules plebeii, tot dictatores, aut ad exercitus euntes, aut inter ipsa bella? Tacitus libro XII.: Vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant. Nuncupare vota est promittere, quod nos lingua vernacula dicimus facere votum. Cicero Philippica III.: Ea vota quae nunquam solveret, nuncupavit. Latinus Pacatus: Ego vota verborum, quae ego nuncupaveram, soluturus, id oratione tempus afficiam, quo romana lux coepit. Iam et illud observandum, ut hunc locum intelligamus, postquam consules et sacerdotes votorum nuncupationem certa verborum formula conceperant, populus eadem vota nuncupabat: quod voluit Ovidius hoc carmine Tristium II.:

Optavi peteres coelestia sidera tarde

Parsque fui turbae parva precantis idem.

Et pia thura dedi pro te, cumque omnibus unus  
Ipse quoque adiui publica vota meis.

*Non sub custode]* Ergo libera, et benevolo animo concepta. Hinc [pag. 119] coniicio Nerones et Domitianos, et eiusdem notae imperatores, solitos apponere custodes civibus, ne vota in exsecrationem verterent. Huiusmodi vota servitutis magis et obsequii causa nuncupabantur, quam amoris et benevolentiae. At qui ex animo bene volunt, et bene precantur suo principi, non indigent custode. Custos pro observatore ponitur, quemadmodum apud Senebam libro II. de Ira: Propinavit illi Caesar hemina vini, et posuit illi custodem, unguentum et coronas misit, et observare iussit, an sumeret. Et Suetonius in Tiberio: Non cessavit flagitare aliquem cuiuslibet ordinis custodem factis atque dictis suis. Vulgus nostrum speculatorum dicit. Custodem antiqui vocabant subscriptorem causae, seu causidicum, qui adiuvabat oratorem submissori voce, illum admonens, ne laberetur. Cicero in Divinatione: Custodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam

multis custodibus opus erit, ubi te semel ad meas capsas admisero? qui non solum ne quid enuncies, sed etiam ~~et in~~ ~~quid auferas~~ custodiendus sis? Erant et custodes, qui iudicibus et quaestori apponebantur, quem sententiae tabellares in urnam coniciebantur, quantum possum colligere ex loco Paediani. Singuli, inquit, iudices sententiam de tabula pronunciabant in levioribus causis, et ob id ipsum neque nota, neque custode opus fuit. Possumus et custodes appellare autore Budaeo, quos Graeci ἀντίγραφοι vocant, id est, antigrapharios, seu contrarotulatores. Quae omnia significata in idem recidunt.

*Maximum ita huberis]* His etiam cognominibus adulabantur suis Caesaribus Romani, in exemplum sui Iovis, cui antiquitus indiderant haec cognomina. Cicero libro II. de Natura deorum, Iovem a maioribus optimum maximum dictum tradit, quia maius est et gratius prodesse omnibus, quam opes maximas habere. Idem in oratione pro Domo sua: Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia populus romanus optimum, propter vim maximum nominavit. Plinius in Panegyrico: Iam quid tam civilo, tam senatorium quam illud additum a nobis optimi cognomen? iustisne de causis senatus populusque romanus optimi tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem, et in medio positum, novum tamen. Scias neminem ante meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset. An satius fuit felicem vocare? quod non moribus, sed fortunae datum est? Satius magnum, cui plus invidiae, quam pulchritudinis inest? Ille parens hominum deorumque, optimi prius, deinde maximi nomine colitur. Quo praeclarior laus tua, quem non minus constat optimum esse, quam maximum. Suetonius in Caligula: Compluribus cognominibus assumptis. Nam et pius, et castrorum filius, et pater exercituum, et optimus maximus Caesar vocabatur. Vide ut inter se dissident Tranquillus et Plinius quorum alter primo Traiano attributum optimi cognomen affirmit, alter etiam Caligulae delatum tradit, qui multo ante Traianum imperavit.

[pag. 120]

## CAPUT XX.

*Duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium.* Prius de ipsa parte disseram, quae ipsum contingit. *Difficilis est enim moderari ubi dolori debetur ultio, quam ubi exemplo.* Supervacuum est hoc loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat, ut innocentiae faveat, ut appareat non minus rem agri rei periclitantis, quam iudicis. *Hoc autem ad iustitiam, non ad clementiam pertinet.* Nunc illum hor tamur, ut manifeste laesus animum in potestate habeat, et poenam, si tuo poterit, donet: sin minus, temperet, longeque sit in suis, quam in alienis exorabilior iniurias. *Nam quemadmodum non est magni animi qui*

*de alieno liberalis est, sed ille qui, quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum qui quum suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati, nec quidquam esse, gloriostius principe impune laeso.*

Partitio haec multam addit perspicuitatem orationi, et maiorem adderet, si totius operis summam complectereret. Poterant enim sub hacc membra convenire quae toto opere disputata sunt. Quanquam non improbanda est Senecae dispositio: qui primum de re in genere disseruit, nunc in formam partitionis, quae sparsim dicta sunt, digerit et colligit. Nunc compendio explicemus partitionem. Sic dilemmate colligit: his duabus causis princeps punit, aut ut iniuriam suam ulciscatur, aut alienam. Quantum ad primum membrum attinet, hoc illi praestare potest vindicta: aut solatum illi afferat acceptae iniuria, aut in reliquum securitatem. Neutrū in principem cadere debet. Non igitur licite punit, ut se vindicet. Minor probatur his rationibus, quod principis fortuna maior est, quam ut tali solatio egeat, vis manifestior, quam ut *ipso* opinionem sibi virium quaerat, et similibus. De altero membro: vindicantur aliorum offendae, aut ut qui intulit iniuriam poena emendetur, aut ut alii exemplo deterreantur, aut sublati malis securiores boni vivant. Haec tria melius praestantur leviori poena, quam graviori, [pag. 121] igitur est summo iure decadendum. Deinde singula per partes exsequitur.

*Difficilis est moderari]* Quia tunc princeps non se principem reputat, sed quasi res sit cum hoste capitali, quidquid potest excogitare dolor, machinatur.

*Supervacuum est hoc loco]* Παράληψις, seu prae terito, ubi quasi praetermittentes quaedam, nihil minus dicimus, ut hic se reticere fingit officia iustitiae, quod ad rem praesentem non faciant: sed tamen interim iudicem admonet, ut eorum rationem habeat.

*Ne facile credat]* Quod fere ita comparatum est, ut aures quae sunt delatoribus patulae, clausae sint veritati. Cur autem princeps accusatori credat, cuius non conscientia, quemadmodum ait Celsus, sed victoria est praemium? Praclare ergo Julianus, qui Cephido accusatori dicenti, Non poterit nocens quis esse usquam, si negare sufficerit, respondit: Et quis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? autor Ammianus Marcellinus lib. XVIII. Et Mimus Publius: Difficile oportet aurem habere ad crimina.

*Ut verum excutiat]* Nihil conjecturis aut suspicitionibus tribuat, non litigantium verbis fidem arroget, sed manifestis probationibus veritatem eliciat. Hanc sententiam eleganti carmine complexus est Phocylides poeta graecus:

*Μηδὲ δύνεται δικασθεῖν ποὺς ἀμφοῖν μῆνιστον ἀκούσης.*

*Innocentiae faveat]* Semper innocentem habeat, quem manifeste nocentem non deprehenderit, promp-

tior ad absolvendum, quam ad damnandum. Quod etiam legibus constitutum est: quod sanctius credatur impunitum ~~relinquofaciens~~ nocentis, quam innocentem damnari.

*Ut manifeste laesus animum in potestate habeat]* Haec clementiae sunt, ut princeps quas offensas potest iuste vindicare, ultiro condonet, et dolori suo imperet, ne ultionem concupiscat. Dicimus animum in potestate habere, quin nullo affectu rapimur, et passionibus animi non sumus obnoxii, propterea quod huiusmodi perturbationes arbitrium nobis et voluntatis libertatem admunt. Cato in oratione pro Rhodiensibus: Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.

*Quemadmodum non est magni animi]* Aptissima comparatio. Quemadmodum, inquit, haec præpostera liberalitas, quae auferit aliis, quod aliis largiatur, non est magno animo digna: ita haec veniae facilitas quae alienas offensas condonat, non est digna clementiae titulo. Quum autem qui alieno dispendio benefici videri volunt, in eadem sint iniustitia, ac si in rem suam, alienam convertant, nihil faciunt laude dignum. Vide Ciceronem Offic. I.

*De alieno liberalis]* Hunc locum citat Erasmus in Chiliadibus inter proverbiales sententias: cui simile est carmen Homeri [pag. 122] Odyss. q:

Ἐπει οἵτις ἐπίσχεται οὐδὲ ἔλεγτος  
Ἄλλοριν ταχίστηται.

Nam res largiri alienas nulla res vetat, neque vero viget. Eadem verba repetit Seneca libro II. Epist.: Non est quod mireris animum meum, adhuc de alieno liberalis sum. Pro eodem Apuleius libro VII. Metamorph. dixit ludere de alieno corio. Contra Cicero lib. III. Epist.: Quum et natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior.

*In alieno dolore facilem]* Id est indulgentem et exorabilem, et ad ignoscendum paratum, ut Servius interpretatur II. Bucol. Vergilii:

Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.

**Idem IV. Georgicon:**

Tende petens pacem, et faciles venerare Napaeas.

Tranquillus in Tiberio: Is forte tunc M. Lolio offensor, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Donatus in Adelphos: Facilis, cuius ira cito solvit; clemens, qui non cito irascitur.

## CAPUT XXI.

*Ultio duas res praestare solet: aut solarium affert ei qui accepit iniuriam, aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quam ut tali solatio egerit: manifestiorque vis, quam ut alieno malo opinionem sibi virium quaerat. Hoc dico, quum*

*Calvini opera. Vol. V.*

*ab inferioribus petitus violatusque est. Nam si, quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est. Regem et servus occidit, et serpens, et sagitta. Servavit quidem nemo, nisi maior eo quem servavit. Uti itaque animose debet tanto munere deorum, dandi auferendique vitam potens, in his præsertim quos scit aliquando suo fastigio obstitisse. Hoc arbitrium adeptus, ultiōne implevit, perfecitque quantum verae poenae satis erat. Perdidit enim vitam qui debet, et quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienum de capite suo regiamque sententiam exspectavit, in servitoris sui gloriam vivet, plusque nomini eius conferet in columis, quam si ex oculis ablatus esset. Assiduum enim spectaculum aliena virtutis est: in triumpho cito transisset. Si vero regnum quoque suum tuto relinquapud eum potuit, reponique eo unde deciderat, ingenti incremento surgit laus eius, qui contentus fuit, ex rege victo nihil praeter gloriam sumere. Hoc est etiam ex Victoria sua triumphare, testarique nihil se quod dignum esset victoria apud victos invenisse. Cum civibus, et ignotis, atque humilibus eo moderatius agendum est, quo minoris est afflictisse [pag. 123] eos. Quibusdam libenter parcas, a quibusdam te vindicare fastidias, et non aliter quam ab animalibus parvis, et obterentem inquinantibus, reducenda manus est. At in his qui in ore civitatis servati punitique erunt, occasione notae clementiae utendum est.*

Partitio haec, ut diximus, ad primum membrum primæ ac præcipuae partitionis referenda est, ubi rex vult iniurias suas vindicare. Vulgo subdivisionem vocant. Argumentum est quod rhetores vocant ex remotione, in quo tolluntur partes, ut totum quoque tollatur; ut hic: appetitur ultio aut ad solatium, aut ad securitatem; neutrum principi convenit, ergo nec vindicta.

*Solatium affert illi]* Eadem partitione usus est Cicero in oratione pro Cluentio: Homines inimicos suos morte affici volunt, vel quod metuunt, vel quod oderunt. Priorem partem attigit Callistr. l. capitulum §. famosos ff. de poenis. Ut solatio, inquit, sit cognatis et affinibus interemptorum, eodem loco poena redditia, quo latrones homicidia fecerunt. Et Ovidius. Eleg. I.:

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem:  
Unguibus in vultus protinus ire licet.

*Aut in reliquum securitatem]* Ad hanc partem eleganter allusit Statius, quum metum odii parentem appellavit.

*Principis maior est]* Refellit, quod minime regium sit hoc solatii genus, quod humiles appetunt, ne adversarii sibi impune insultent: regis vero maiestas extra controversiam posita sit.

*Opinionem]* Existimationem, passive, id est ut fidem suarum virium populo faciat. Cicero in Topicis: In homine virtutis opinio valet plurimum.

Idem Caecinnae: Tibi hanc ipsam opinionem ingenii apud ipsum plurimum profuturam. Idem in Salustium: Velix mihi respondeat, numquid hi quos protulit Scipiones et Metelli ante fuerunt aut opiniois, aut gloriae, quam eos res gestae suae, et vita innocentissime acta commendavit.

*Hoc dico, quum ab inferioribus]* Rursus hoc membrum dividitur. Aut vult princeps iniuriam vindicare, quam intulit inferior. Atqui tali solatio minime eget, ut dictum est. Aut vult offensam ulcisci, qua a pari laesus est: ut si cum extraneo principe bellum gesserit, qui postea bello subiugatus, venerit in suam potestatem: et hic satis vindicatus est fortunae ac victoriae suae beneficio: quia qui par erat quum laederet, nunc illi subiectus est. Subdit et alia in eandem rationem argumenta.

*Regem et servus]* Eadem est sententia, quam supra exequutus est. Quum regis potentia sit sita in perdendo et servando, perdere, quod sibi cum multis commune est, non magni aestimet; servare, quod vere regium opus est et gloriosum, sibi asserat. Exerceat ergo vim suam servando potius quam perdendo.

*Perdidit enim vitam qui debet]* Tangit locum illum communem, melius esse libero homini nullies mori, quam obtainere vitam precariam; ut alterius arbitrio vivat, cui parcitum est.

[pag. 124] *In triumpho cito transisset]* Alludit ad antiquum morem Romanorum triumphantibus solennem. Praecedebant enim currum victoris captivi hostes, et quum per viam publicam in pompa ducti essent, poenas pensuri in carcerem coniiciebantur. Cicero *Verrina VII.*: Quum de foro in Capitolium flectere currum incipiunt, captivos duci iubent in carcerem: idemque dies et victoribus imperii, et victis vitae finis fuit. Dicit igitur Seneca maiorem laudem relaturum qui victis hostibus vitam indulget, quam si occidat: quod quamdui vivent, testes erunt tuae clementiae. Pompa triumphi praeterit, et statim evanescit ex oculis hominum: nempe quae ad horam spectetur.

*Hoc est etiam ex victoria]* Modus loquendi venustissimus, victoriam ipsam vincere, seu de victoria triumphare. Sunt enim plerique qui vincere sciunt, sed parta victoria uti non possunt. Abutuntur itaque suo bono, dum intemperanter exsultant, et se supra modum efferunt, atque ut in summa dicam, vincuntur ipsis a sua victoria. Qui se modeste gerunt, ii vere sunt victoria sua maiores.

## CAPUT XXII.

*Transeamus ad alienas iniurias, in quibus vindicandis haec tria lex sequita est, quae princeps quo-*

*que sequi debet: aut ut eum quem punit, emendet; aut ut poena eius caeteros meliores reddat; aut sublati malis, securiores caeteri vivant. Ipsos facilius emendabis minore poena. Diligentius enim vivit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditae parcit. Impunitatis genus est, iam non habere poenae locum. Civitatis autem mores magis corrigit parcitas animadversionum. Facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium: et minus gravis nota est quam turba damnatorum levat: et severitas quod maximum remedium habet, assiduitate amittit autoritatem. Constituit bonos mores civitati princeps, et vicia eius compescit, si patiens eorum est, non tanquam probet, sed tanquam invitus cum magno tormento ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facilit ipsa clementia regentis. Gravior multo poena videtur, quae a miti viro constituitur. Praeterea videbis ea saepe committi, quae saepe vindicantur.*

[pag. 125] Hoc alterum membrum primariae partitionis, quod ipsum in tres partes distribuitur, ut in his etiam particulatim severitatem tollat, et insinuet clementiam. Dicit igitur tria esse legibus observata in vindicandis alienis iniuriis: quae principi esse proposita debent, qui lex animata est, et quem hic ne tantillum quidem oportet dare affectibus, sed omnia ex legis praescripto agere. Quae autem illa sint, et cuiusmodi, breviter explicemus.

*Ut eum quem punit, emendet]* Illud enim vulgatum est, illecebram peccandi esse impunitatem, atque, ut ait apud Salustium Memmius, Multo praestat in republica beneficii, quam maleficii immemorem fore. Bonus tantummodo segnior fit ubi negligas, malus improbior. Corrigendi sunt itaque poena, qui alia ratione in viam reduci nequeunt, ne fiant effrenatores licentia et corruptiores. Ideo Solon dicebat rempublicam duobus coutineri, praemio et poena. In quam sententiam Plinius, Praemia, inquit, bonorum et malorum, bonos et malos faciunt. Hoc genus poenae Graecis *νοντεστα*, *και κόλασις*, *και παρατερος* dicitur, quasi latine monitionem dicas, et animadversionem. Sic scribit Gellius libro VI. quum de his tribus puniendi causis loquitur eodem sensu quo Seneca: nisi quod in tertia discrepat. Vocat enim *τυμογιαν* inductam ad tuendam eius dignitatem autoritatemque, in quem peccatum est, ne praetermissa contemptum eius pariat. Quod tamen si proprius animadvertisamus, ad eundem finem accedit. Plato duas omnino causas refert, tertiae non meminit: quam tamen non debuit negligere. Scribit enim in Gorgia esse conveniens, ut qui plectitur, ab eo a quo punitur, melior fiat, aut ut exemplo caeteris sit, qui videntes male affectum, prae metu continentur. Et alibi: Supplicia et iis qui perferunt, et spectatoribus utilia esse oportet.

*Aut eius poena caeteros]* Haec species punitionis Graecis *παράδειγμα*, Latinis exemplum nomina-

tur, quum poena unius metus est multorum, ut loquuntur Gratian. et Valen. aa. in l. I. C. ad l. Iul. repe. quam ob causam et poenam interdum plus solito exacerbantur, ait Claud. l. aut facta ff. de poenis. Plutarchus de sera numinis vindicta: Sclesterolium supplicia ideo manifeste cunctis ostenduntur, quoniam vindictae cum ratione inflictæ officium est, alios per aliorum animadversiones compescere et prohibere. Cicero ad Brutum: Neque tam ulciscendi causa, quam ut et in praesens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem, et in posterum documentum statuerem, ne quis talem amenantiam vellet imitari. Cicero Offic. I.: Ac nescio an satis sit eum qui deliquit, facti sui poenitere, ut caeteri sint ad peccandum tardiores.

*Aut sublati malis securiores]* Haec pars prætermissa a Platone, ad quam tamen respexit Ulp. iuris. tit. de offic. præsid. Congruit, inquit, bono et gravi præsidi curare ut pacata et quieta provincia sit quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat [pag. 126] ut malis hominibus provincia caret, eosque conquirat.

*Ipsos facilius emendabis]* Quantum ad castigationem eius in quem animadvertisit, ostendit plus profici mansuetudine et clementia, quam extrema severitate.

*Impunitatis genus est]* Istud innuit Q. Curtius libro V.: Nec mirari hominem mercede conductum omnia habere venalia, sine pignore, sine lare, terrarum orbis exsulem, ancipitem hostem, ad nutum licentium circumferri.

*Civitatis autem mores]* Quantum ad exemplum. *Facit enim consuetudinem]* Sententia est quac potest in utramque partem usurpari. Quomodo enim multitudo peccantium consuetudinem peccandi facit, nisi quod, ut ait Cicero Epist. IV.: Quod exemplo fit, id etiam fieri iure putant? Quod si in aliquem prius animadversum foret, minime exemplorum usu culpam tuerentur, inquit Demosthenes. In eundem sensum Cyprianus in epistola ad Donatum: Nullus de legibus metus est, de quaestore, de iudice, pavor nullus. Quod potest redimi, non timeatur. Esse iam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, et coepit esse licitum, quod publicum est. Lucanus libro V.:

Quidquid multis peccatur, inultum est.

**Et Juvenalis Satyra II.:**

Faciunt hi plura: sed illos  
Defendit numerus.

Trahit autem argumentum in aliam partem Seneca, quod tum demum appareat quantus sit delinquentium numerus, quum tam multi delinquentes puniuntur.

*Constituit bonos mores]* Quippe infidelis recti magister est metus, inquit Plinius in Panegyrico, quod

ex Cicerone accepit. Ille enim in Antonium sic: Quippe te bonum faciebat timor, non diuturni magister officii. Simile est illud Latini Pacati in Panegyrico: Quiescentibus legum minis subiit quemque privatim sui poenitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines imperata correctio, blandissime monetur exemplum.

### CAPUT XXIII.

*Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus saeculis insutos accepimus.* Multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altissimi viri, et rerum naturae peritissimi; maluerunt velut incredibile scelus, et ultra audaciam positum praeterire, quam, dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidae cum lege cooperant, et illis facinus poena monstravit. Pessimo loco pietas fuit, postquam saepius cullos vidimus, quam crucis. In qua civitate raro homines puniuntur, in ea consensus fit innocentiae, et indulgetur velut publico lono. Putet se innocentem esse civitas, erit. Magis irascitur a communi [pag. 127] frugalitate descendentibus, si paucos eos esse viderit. Periculosest, mihi crede, ostendere civitati quanto plures mali sint.

Probat ab exemplo quod dixerat, poenarum immodica frequentia non tam corrigi saepe civitatis mores, quam in deteriorius prolabi.

*Pater tuus]* Claudio Caesar pater adoptivus, a quo Nero instigante Agrippina adoptatus fuerat undecimo aetatis suae anno. Autores Tranquillus et Tacitus. Tranquillus in eius vita: Tormenta quaestionum poenasque parricidarum repraesentabat exigebat coram.

*Nefas ultimum]* Id est, deterrimum et scelerissimum. Curtius libro V.: Onustique praeda per scelus ultimum parta, fugam intendunt. Idem libro VI.: Subest silentio facinus, et avida spes regni præcipitem animum ad ultimum nefas impulit. Ammianus Marcellinus: Nec visum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum saepe exclamans. Sic Fabius vocat nefas ultimum, præpostoram venerem.

*Summa enim prudentia altissimi viri]* Solonem intelligit, qui quum leges Atheniensibus tulisset, interrogatus cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, inquit Cicero, qui de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere; quam admonere videretur. Cuius imitatione Romulus, auctore Plutarcho, quum et ipse leges conderet, nullam parricidii poenam definire voluit, sed omne homicidium vocavit parricidium: quod hoc impium ac ne-

9\*

farium, illud autem impossibile duceret. Ac multa saecula visus est recte huiusmodi facinus desperasse. *Nemo enim sexcentis post annis* tale scelus perpetravit. Sed post Annibal's bellum L. Hostius fertur primus patrem occidisse. Haec Plutarchus in vita Romuli. Cui adversatur Livius, quemadmodum indicat L. Flori Epitome, in lib. LXVIII. ubi scribitur P. Malleolum primum omnium insutum culleo matre interempta, in mare praecipitatum esse, C. Mario, nisi fallor, quintum consule.

#### CAPUT XXIV.

*Indicta est aliquando a senatu sententia, ut servos a liberis cultus distingueret. Deinde apparuit quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos coepissent. Idem scito metuendum esse, si nulli ignoscitur. Cito apparebit, pars civitatis deterior quanto praegravet. Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti melius paretur. Natura contumax est humanus animus, et in contrarium atque arduum nitens: sequiturque facilis quam ducatur. Et ut generosi atque nobiles equi melius facili freno reguntur, [pag. 128] ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, et dignam putat civitas, quam servet sibi. Plus itaque hac via proficitur. Crudelitas minime humum malum est, indignumque tam miti animo. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus, et abiecto homine, in sylvestre animal transire.*

Et hic exemplo probat, quam non semper bonis securitatem comparent malorum poenae.

*Indicta est]* Quemadmodum senatores ab equitibus discernebat latus clavus, et calceus lunatus, et rursum equites a plebe differebant annulo aureo. Sed quo tempore, aut quibus consulibus factum sit hoc senatusconsultum, nusquam me legere memini, nec temere reperiri posse affirmare ausim. Indicere pro denunciare verbum iuris est, ut observavit Servius in V. Aeneidos Vergilii:

Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis.

Propertius libro IV.:

Indixit leges, respondi ego, legibus utar.

Quamvis alibi Servius bellicum esse vocabulum trahat, in illud carmen Vergilii Aeneidos VII.:

Ergo iter ad regem, polluta pace, latinum  
Indicit primis iuvenum.

*Apparuit quantum periculum]* Ad id respexit quod proverbio fertur, tot domi hostes esse, quot servos.

*Si servi nostri nos numerare]* Nemo mirabitur hoc dixisse Senecam, qui animadverterit ad verba Plinii lib. XXXIII.: At nunc cibi quoque, inquit, et potus vindicantur annulo a rapina. Hoc profere mancipiorum legiones, et in domo turba externa acta. Servorum quoque causa nomenclator

adhibendus. Sed aliter apud antiquos. Singuli marciptores, luciportores, dominorum gentiles, in promiscuo victimum habebant. Iuvenalis Satyra III.:

Protinus ad censem, de moribus ultima fiet  
Quaestio, quot pascit servos, quot possidet agri  
lugera.

Item:

Magno hospitium mirabile, magno  
Servorum ventres constant.

Et VII.:

Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi  
Octo, decem comites post te, an sit sella, togati  
Ante pedes.

Tacitus libro IV.: Iam trepidi ob multititudinem familiarum, quae gliscebat immensum, plebe ingenua. Et eiusdem libro III. in literis Tiberii ad senatum: Quid enim primum prohibere, et primum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? Et ne hic longius immoremur, unius hominis familia nos docebit, quam fuerit periculosum civibus a servis suis numerari. Scribit enim Plinius libro XXXI. in hunc modum: Claudio [pag. 129] Isidorus testamento dixit: quamvis multa civili bello amisisset, relinquere tamen servorum quatuor millia, iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia. Hinc collige quantos servorum greges possederint illi gurgites, Crassi, Pompeii, Luculli, quum iste nec celeberrimus nomine divitiarum, et bellorum cladibus exhaustus, quatuor millia servorum reliquerit. Haec eo libentius commemoravi, quod passim occurrant in autoribus serviles tumultus, qui ne ipsi quidem Capitolio interdum pepercérunt.

*Remissius imperanti]*

Qui vult amari, languida regnet manu,  
inquit Seneca in Thebaide.

*In contrarium atque arduum]*

Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata, ait Ovidius. Et Augustinus in libro de spiritu et litera: Ea quae concupiscimus, nescio quomodo ardentes expetuntur, si vetantur.

*Abiecto homine, in sylvestre]* Hac loquutione sollemus uti, quum volumus designare facinus homine indignum, et in quo se hominem non gesserit qui perpetravit. Quid enim interest, inquit Cicero, utrum ex homine convertat se quis in beluam, an in figura hominis immanitatem gerat beluae? Quintilianus in Pasto cadavere: Si quis adeo hominem exuit, ut ibi poenam quaerat ubi sensus doloris non est, nempe cadavera feris obiiciet.

#### CAPUT XXV.

*Quid enim interest, oro te Alexander, leoni Lysimachum obiicias, an ipse laceres dentibus tuis?* Tuum illud os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi po-

*tius unguis esse? tibi rictum illum edendorum hominum capacem?* Non exigimus a te, ut manus ista, *exitium familiarium certissimum*, ulli salutaris sit: ut iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem caedemque satietur. *Clementia vocatur*, si ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur. Hoc est quare vel abominanda sit saevitia, quod excedit fines, primum solitos, deinde humanos. Nova supplicia conquirit, ingenium advocat, instrumenta excogitat; per quae varietur atque extendatur dolor, et delectetur malis hominum. Tunc ille diri animi moribus ad insaniam pervenit ultimam, quum [pag. 130] crudelitas versa est in voluptatem, et iam occidere hominem iuvat. Nam talem virum a tergo sequitur evercio. Odio, veneno, gladiis, tam multis periculis petitur, quam multorum ipse periculum est: privatisque nonnunquam consiliis, alias vero consternatione publica circumvenitur. Leuis enim et privata pernicies non totas urbes movet. Quod late furere coepit, et omnes appetit, undique configitur. Serpentes parvulae fallunt, nec publice consequuntur. Ubi aliqua solitam mensuram transiit, et in monstrum excrevit, ubi fontes potu infecit, et si afflavit, deurit, obteritque, quamcumque incessit, ballistis petitur. Possunt verba dare, et evadere pusilla mala; ingentibus obviam itur. Sic unus aeger nec domum quidem perturbat. At ubi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conflagatio civitatis ac fuga est, et diis ipsis manus intenduntur. Sub uno aliquo tecto flamma apparuit, familia vici-nique aquam ingerunt. At incendium vastum, et multas iam domos depastum, parte urbis obruitur.

*Quid enim interest?* Ad illud referendum, quod in superiori capite dixerat, abiecto homine in sylvestre animal transire, qui sanguine gauderet et vulneribus: nunc per apostrophen seu aversionem ad Alexandrum, Quid interest, inquit, tuam ipse crudelitatem exsequaris, an dentibus leonis saevias? etc. Haec figura μετάβασις dicitur Rutilio Lupo.

*Lysimachum*] Hic inter scriptores non convenit, quod multi affirmant Lysimachum leoni obiectum ab Alexandro: unus Q. Curtius eam opinionem refellit. Nam et ipse Seneca alibi, et Valerius libro IX. cap. de ira et odio, et Iustinus libro XV. consentiunt obiectum fuisse, sed quum ad conspectum eius concitus leo impetum fecisset, manum manipulo involutam in os eius immersisse, arreptaque lingua feram exanimasse. Curtii autem verba sunt libro VIII.: Inter quas quum leo magnitudinis rarae ipsum regem invasurus incurreret, forte Lysimachus, qui postea regnavit, proximus Alexandro, venabulum oblicere ferae cooperat. Quo rex repulso, et abire iusso, adiecit, tam a semet quam a Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam quum venaretur in Syria, [pag. 131] occiderat eximiae magnitudinis feram solus: sed laevo humero usque ad ossa laceratus, ad ultimum periculi per-

venerat. Id ipsum exprobrans illi rex, fortius quam loquutus est fecit. Nam feram non exceptit modo, sed etiam uno vulnere occidit. Fabulam quae obiectum a rege Lysimachum temere vulgavit, ex eo casu ortam crediderim. Apud Plutarchum nulla mentio. At vero hoc philosophis et oratoribus, quibus non est propositum perpetuam historiam texere, permittitur res dubiae fidei prout locus postulat, in usum suum accommodare. Quod tamen non semper observat Seneca. Libro enim II. de Ira, rem a nullo, quod sciam, memoriae proditam, de Alessandro confinxit, admonitum matris epistola ut a veneno Philippi medici caveret, acceptam ab eo potionem nihilo minus interritum bibisse: quum hanc epistolam non matris, sed Parmenionis fuisse testentur Plutarchus et Arrianus inter Graecos, ex Latinis Curtius et Iustinus.

*Non exigimus a te]* Per modum concessionis gradatim procedit, donec ad id quod est maximum perveniat, quo maiorem faciat invidiam. Estque amplificatio per ratioinationem, ut docet Fabius libro VIII.: Non petimus ut alicui prosis, familiari bus tuis exitium afferre solitus, nedum extraneis. Non exigimus ne noceas, qui in omnium gentium clades natus es: verum ut modum aliquem adhibeas saevitiae, et usitato more crudelis sis. Tale est illud Veneris apud Vergilium lib. X. Aeneidos, quantum ad concessionem:

Nil super imperio moveor: speravimus ista  
Dum fortuna fuit: vincant quos vincere mavis.  
Si nulla est regio Teucris, quam det tua coniux  
Dura, per eversae genitor fumantia Troiae  
Excidis obtestor, liceat dimittere ab armis  
Incolunem Ascanium liceat superesse nepotem.  
Aeneas sane ignotis iactetur in undis,  
Et quacunque viam dederit fortuna, sequatur:  
Hunc tegere, et dirae valeam subducere pugnae.

Nam Iupiter et imperium et victoriam et salutem Aeneae promiserat.

*Exitium familiarium*] Nempe quae Clytum inter epulas transfoderit, ex Macedone et libero pigre in persicam servitutem transeuntem. Nam Parmenionem, et eius filium Philotam, purpuratorum praecipios et duces primarios exercitus non sua manu interfecit Alexander, sed occidendos suis tortoribus dedit. Trogus libro IX. de eo et Philippo patre: Iram pater dissimulare, plerumque et vincere. Hic ut exarsisset, nec dilatio ultioris, nec modus erat. Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exorcere; amari pater, [pag. 132] hic male metui.

*Clementia vocatur*] Scite hunc locum reposuit Erasmus, ut cum Vergiliano carmine conveniat:

Si pereo, manibus hominum periisse iuvabit.

*Instrumenta excogitat per quae varietur*] Non enim tyrannis satis est mortem infligere, sed novas artes excogitant, quibus diu misere langueant, quos tandem volunt perire: quo scilicet se mori sentiant, ut

solebat iactare Caligula. Lycus apud Senecam in Hercule furente:

*Qui morte cunctos luere supplicium iubet,  
Nescit tyrannus esse: diversa irroga,  
Miserum veta perire, felicem iube.*

Apud eundem Atreus<sup>1)</sup> in Agamemnon:

Rudis est tyrannus morte qui poenam exigit.

Hinc taurus Phalaridis, et Neronis ludibria in Christianos, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent.

*Quum crudelitas versa in voluptatem]* Quanquam enim philosophi non putant quenquam a naturali lege ita desciscere, ut animi causa malus sit, nescio tamen quomodo id usu venit, ut gratuito sint quidam mali tanta peccandi libidine insanientes, ut hoc ipsum peccare delectet, etiam si causa non sit.

*Serpentes parvulae fallunt]* Ludit suo more aliquot similibus, quae omnia in eam sententiam tendunt, quo latius grassatur tyranni saevitia, eo illi a pluribus metuendum esse.

*Ubi aliqua mensuram]* Qualis illa quae Romam missa est a Regulo, portentosae magnitudinis, et fidem excessurae, nisi tot scriptores uno ore constanter affirmarent.

*Ballistis]* Ballistarum variae formae erant antiquis, quemadmodum appareat ex libro VI. tertiae decadis Livii ubi ballistae maiores et minores, sicut scorpiones maiores et minores, et item catapultae. Haec autem tria sic inter se differunt, quod ballista evibrantur lapides, quamvis interdum etiam spicula, ut docet Vegetius libro IV. Catapultae, quantum possum intelligere ex Vitruvio, Vegetio et Marcellico machinae fuerunt multi artificii, quibus sagittae eiaculauntur, quae tamen abierunt in desuetudinem. Scorpiones latino nomine, neque forte improprio, appellare liceat aetatis nostrae arcuballistas. Dicitur ballista a verbo graeco βάλλω, quod est iacio.

*Possunt verba dare]* Quae scilicet prius nocent, quam praeverideri praecaverive possint. Verba dare, decipere est etiam sine verbis, ut docet Gellius libro XVII. Ex eo tractum, quod qui multa et magnifica pollicentur, nihil fere praestant. Cicero Philipp. XIII: Scilicet verba dedimus, decepimus, ubi explicat quid sit verba dare. Quadrigarius: Ea Lucani ubi resciverunt per fallacias sibi verba data esse. Seneca lib. VI. Epist.: Ne verba nobis dentur, et esse in illis aliquid magni ac secreti iudicemus.

[pag. 139]

## CAPUT XXVI.

*Crudelitatem privatorum quoque serviles manus sub certo crucis periculo ultae sunt: tyrannorum, gen-*

1) Ed. Amst.: Aegisthus, quod unice rectum. Atreum scriptor autor memoriae lapsu deceptus.

*tes populique, et quorum erat malum, et ii quibus imminebat, excindere aggressi sunt. Aliquando sua praesidia in ipsos consurrexerunt, perfidiamque, et impietatem, et feritatem, et quidquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum docuit? Non diu appetet nequitia, nec quantum videtur peccat. Sed puta tutam esse crudelitatem, quale eius regnum est? Non aliud quam capitarum urlium forma, et terribiles facies publici metus. Omnia moesta, trepida, et confusa. Voluptates ipsae timentur, non convivia secura inueniunt, in quibus lingua sollicite etiam ebriis custodienda est. Non spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quaeritur. Apparentur licet, inquit, magna impensa, et regiis opibus, et artificum exquisitis nominibus: quem tamen e ludo in carcere ire iuvet? Quoi istud. dii boni, malum est? occidere, saevire, delectari sono catenarum, et civium capita decidere? quounque ventum est, multum sanguinis fundere? aspectu suo terrere ac fugare? Quae alia vita esset, si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxiissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia, et a nobis immanitatis criminis damnata, abstinent suis, et tuta est inter feras similitudo morum. Apud homines tamen nec a necessariis quidem rabies temperat sibi: sed externa suaque in aequo habet, quo possit exercitior a singulorum deinde caedibus, in exitia gentium serpere: et iniicere tectis ignem, atrumque vetustis urbibus inducere, potentiam putat: et unum occidi aut alterum, parum imperatorum credit. Nisi eodem tempore grex miserorum subiectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis salutem dare, et ad vitam ab [pag. 134] ipsa morte revocare, et mereri clementia civicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchritus que est, quam illa corona ob cives servatos. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Haec divina potentia est, gregatim ac publice servare: multos autem occidere, et indiscreti, incenulii ac ruinae potentia est.*

Hoc totō capite partim colligit quam sit periculoso exercere crudelitatem et saevitiam, cuius tot existant vindices, partim etiam si maxime tutum sit, ostendit ita foedam et horribilem per se crudelitatis faciem, ut hac sola ratione execrabilis esse possit. Demum explicat quam longe abesse debeat a principe immanis hic affectus: ruinae et incendiū potentiam esse, perdere: principis maiestatem constare salutem gregatim ac publice dando.

*Crudelitatem privatorum]* Argumentum a minori. Si enim servi, qui ita proiesto sunt animo, ut nihil egregium audeant, ulti sunt privatorum crudelitatem, qui non tam longe lateque saeviunt quam principes, idque sub certo mortis periculo: cur non magis liberi, qui ad animosa facinora nati sunt, uelis-

cantur tyrannorum saevitiam, quae tot populos et tot terras premit, quem id magna spe impunitatis facere possint? *Mem. apud Salustium*: Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt: vos, Quirites, in imperio nati, servitutem toleratis?

*Sed puta tutam esse]* Concessio seu permissione rhetorica.

*Voluptates ipsae timentur]* Haec omnia tametsi in tyrannos convenient, ut in eos qui tyrannide premuntur, locus tamen postulat ut de iis intelligamus dici, qui sub tyranno vivunt: quod ex sequentibus facile perspicitur.

*Non convivia secura ineunt, in quibus lingua]* Nam, ut ait Horat. in Arte:

Reges dicuntur multis urgere culillis,  
Et torquere mero, quem perspexisse laborant  
An sit amicitia dignus.

Notum est et illud Plinii: Alii mortifera loquuntur, redditurasque per iugulum voces non continent.

*Non spectacula ex quibus]* Bene dixit materiam criminis ac periculi peti ex spectaculis. Vix enim abstinebant histriones, quin locos insignes ex tragediis aut attellanis torquerent in malos principes, si in mores eorum cadere viderentur. Quae si ex ciperentur consensu et applausu populi, et actores et spectatores rapiebantur ad poenam. Pauca quae-dam exempli [pag. 135] causa subiiciemus. Tiberio imperante, quum in attellaneo exodio hircus vetulus capreis naturam liguriret, visus est designari liguritor Tiberius. Et spectante imperatore Maximino, qui se ob vastitatem et robur corporis immortalem credebat, pronunciati sunt versus:<sup>1)</sup>

Et qui ab uno non potest occidi, a multis occiditur.  
Elephas grandis est, et occiditur.

Leo fortis est, et occiditur.

Tigris fortis est, et occiditur.

Cave multos, si singulos non times.

Hinc factum est ut principes mala conscientia perculti, quaedam ad se pertinentia, quasi de se dicta essent, prava suspicione vindicarent.

*Apparentur, inquit, licet]* Haec in persona cuiuslibet civis, qui satius ducat omnino abstinere a spectaculis, quam tanti redimere brevem laetitiam, ut de ludo in carcerem trahatur.

*Quae alia vita esset]* Exaggeratio a comparatione.

*Illa rationis expertia]* Alia exaggeratio per contentionem. Haec enim inter se componuntur, animalia rationis expertia, homo rationis particeps. Illa immanitatis crimine damnata, homo ipse qui damnat: illa abstinere sui generis animalibus, hominem non solum hominibus non parcere, sed ne consanguineis quidem. In eandem sententiam Plinius li-

bro VII.: Denique caetera animalia in suo genere probe degunt: congregari videmus, et stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem beluae ac pisces, nisi in diversa genera saeviunt. At hercule homini ex homine plurima sunt mala. Quintilianus in Pasto cadavere: Hoc non omnes ferae faciunt: et quamvis sensu careant muta animalia, pleraque tamen innocentibus cibis pascuntur (uti quoque consuerunt inter homines): etiam si qua alienis membris imprimunt dentem, mutuo tamen laniatu abstinent: nec est ulla supra terras adeo rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Iuvenalis Satyra XV.:

Sed iam serpentum maior concordia, parcit  
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni  
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam  
Exspiravit aper maioris dentibus apri?  
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem;  
Perpetuum saevis inter se convenit ursis.

Horatius in Epodis:

Non hic lupis mos, nec fuit rapacibus  
Unquam nisi in dispar feris.

Augustinus, quoque libro XII. de Civitate: Neque enim unquam inter se leones, aut inter se dracones, qualia inter se homines, bella gesserunt.

*Abstinent suis]* Varia est huius verbi syntaxis in hac significatione. Livius libro I.: Duobus Aenea Antenoreque omne ius belli Achivos abstinuisse. Horatius Carminum III.:

Abstineto,

Dixit, irarum calidaeque [pag. 136] rixae.

Livius libro XXI.: Et Annibali denunciarent, ut a Saguntinis populi romani sociis abstineret. In quibus singulis exemplis syntaxis variat. Qua autem forma hic Seneca dixit abstinere suis, Livius dixit temperare: Templis, inquit, tantum deum (ita enim ab rege edictum fuerat) temperatum est.

*Immanitatis crimine damnata]* Plena est loquatio, sicut apud Ovidium Fastorum VI.:

Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.

Et Cicero Verrina VII.: Nomine sceleris coniurationisque damnati, ad palum alligati, ad supplicium traditi. Quum enim dicimus iudico, damno, arguo, accuso te caedis, subauditur crimine vel causa, vel aliquid simile. Quod ad imitationem Graecorum dici autor est Servius comment. XI. Aeneidos: Illi enim quum dicunt κατηγορῶ σε φόνον, subauditum ἔνεξα. Quod vero dixit Cicero Philipp. II., minus usitatum est. Liciunum, inquit, Lenticulam de alea condemnatum collusorem suum restituit. Quasi dicas condemnari de crimine.

*In aequo habet]* Aequo existimat, nihil se humanius gerens erga necessarios, quam extraneos. Habere enim, aestimare interdum significat. Salustius in Catilina: Neque cuiquam mortalium iniuriae

1) Graeci scilicet, quorum hanc latinam sententiam refert Julius Capitoinus in Maximino.

suae parvae videntur; multi eas gravius aequo habuere.

*Aratrum vetustis urbibus inducere]* Periphrastice designat urbium subversionem, quibus condendis et evertendis consuetudo fuit adhibere aratum. Vergilius Aeneidos V.:

Interea Aeneas urbem designat arato.

Horatius Carminum I.:

Irae Thyesten exitio gravi  
Stravere, et altis urbibus ultimae  
Stetere causae, cur perirent  
Funditus, imprimeretque muris  
Hostile aratum exercitus insoleus.

*In ordinem coactam]* Id est in privatum modum, et quasi unius e populo, tracta, ut quidam volunt, metaphora a disciplina militari, qua milites gregarii in suum quisque locum et ordinem coguntur. Priscianus libro XVIII.: In ordinem coactus, inquit, inter viles et abiectos numeratus. Livius libro VI.: Aut huic rogationi qua se in ordinem cogi videbat, obsistere potuit: aut ne illas quidem, propter quas et haec lata erat, impedire.

*Mereri clementia civicam]* Quo facilius huius loci sensum assequatur lector, sic paucis accipiat, civicam coronam donari antiquitus solitam ei qui civem in paelio servasset, quasi testem vitae salutisque receptae. Ideo e fronde querna componebatur, quod cibus vetustissimus querceus fuerit, inquit Gellius. Addit Plutarchus alias rationes tum in Problematis, tum in vita M. Coriolani: seu quia Iovi sacrata est quercus, seu quod facilem [pag. 137] militi cibum tum passim, tum promptius exhibet: seu quia inter omnes sylvestres arbores fertilissima, ex qua cibus glandes, potus mulsum, obsonium ferae atque, ali-

tes glandibus pastae. Fiebat et ex ilice, quod genus superiori proximum est. Ius autem civicae non temere permittebatur, nisi is qui servatus erat, agnosceret suum servatorem. Qui tamen si non ingenuo fatebatur, legibus cogebatur ad hanc confessionem, ut testatur Cicero in oratione pro Plancio. Lucanus libro I.:

Servati civis referentem praemia querum.

Ad hanc similitudinem Caesaribus etiam deferebatur nomine civitatis, quasi generis humani servatoribus, eratque in postibus palatii suspensa quasi insigne clementiae. Quod hic obiter designare voluit Seneca. Valerius libro II.: Caeterum ad quercum prona manus porrigitur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes augustae domus semiperrena gloria triumphant. Ovidius Tristium III.:

En domus haec, dixi, Iovis est: quod ut esse putarem,  
Augurium menti quernā corona dabat.

Paulo post:

Causaque suppositae scripto testante coronae  
Servatos cives indicat huius ope.

Quod autem hic Seneca civicam dixit sine adiecto, loquutio est autoribus familiaris, cuius multa exempla apud Plinium et Suetonium. Vergilius praeter aliorum morem civilem dixit Aeneidos VI.:

At qui umbrata gerunt civili tempora queru.

*Non hostilia arma detracta]* Quasi diceret nullum triumphum aequiparandum huius coronae decori: quemadmodum Scipio dictabat se malle unum servare civem, quam mille hostes occidere.

*Haec divina potentia]* Hoc schema rhetoribus *παραδοστολή* vocatur, duas res aut plures quae vindentur unam vim habere, disiungens.

FINIS LIBRI PRIMI.

[pag. 138]

## L. ANNAEI SENECAE D E C L E M E N T I A AD NERONEM CAESAREM

LIBER SECUNDUS.

### CAPUT I.

*Ut de clementia scriberem, Nero Caesar, una me vox tua maxime compulit: quam ego non sine admiratione et quum diceretur audisse memini, et deinde aliis narrasse. Vocem generosam, magni animi, mag-*

*nae lenitatis, quae non composita, nec alienis auribus data subito crepuit, et bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. Animadversurus in latrones duos Burrus praefectus tuus, vir egregius, et tibi principi notus, exigebat a te, scriberes in quos, et ex qua causa animadversti velles. Hoc saepe dilatum ut*

*aliquando fieret instabat. Invitus invito quum chartam protulisset, traduceretque, exclamasti, Velle nescirem literas. O dignam vocem quam audirent omnes gentes quae romanum imperium colunt, quaeque iuxta iacent dubia libertatis, quaeque se contra viribus aut animis attollunt. O vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba principes regesque iuramentum faciant. O vocem publica generis humani innocentia dignam, cui redderetur antiquum illud saeculum. Nunc profecto consentire decebat ad aequum bonumque expulsa alieni cupiditate, ex qua omne animi malum oritur: pietatem, integritatem cum fide ac modestia surgere, et vitia diuturno abusa regno, tandem felici ac puro saeculo dare locum.*

Prooemium est non longe discrepans a prooemio libri superioris, non quo adhortetur Neronem ut clementiam discat, sed ut sui similis esse pergit. Idque laudantis specie magis quam praecipientis: qua ratione demulcendi sunt principes, quorum aures veritati delicatae, acriorem disciplinam non ferunt. Est autem hic liber, quod Erasco quoque visum [pag. 139] est, partim concisus, partim mutilus: ut non facile quis credat sic compositum a Seneca, ut nunc in manibus habetur. Neque tamen pessime nobiscum actum est, quod saltem ad nos qualiscunque pervenit. Videtur autem longe aliud fuisse propositum Senecae in hoc libro quam in priori. Nam quum illum accommodaret ad sensum popularem, hunc Stoicorum paradoxis et scholasticis argutiis totum aspersit.

*Una me vox tua]* Huius rei autor est Tranquillus, hoc tantum a Seneca differens, quod admonitum sribit, ut de supplicio cuiusdam capite damnati ex more subscriberet.

*Quae non composita]* Id est ad ostentationem aut simulationem artificio conficta: quod orationes arte compositae, fere captiosae sint et ad fallendum praeparatae, sicut contra veritatis simplex oratio dicitur. Salustius in Iugurtha: Non sunt composita verba mea, parum id facio.

*Alienis auribus data subito]* Id est in gratiam audiendum prolata, sic ut nil aliud quam aures deliniret. C. Trebonius Epist. Ciceronis libro XII.: Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. Quasi diceret vocem hanc Neronis ex alto animo profectam, et intimo affectu.

*Burrus praefectus tuus]* Hic est Afranius Burrus, cuius Tacitus et Tranquillus meminerunt, imperatoria iuventae cum Seneca moderator primo illo quinquennio, quo adeo egregium principem Nero praestitit. Cui postea Nero remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit, quo scilicet facilius sine tali teste et arbitrio insaniret. Vir prorsus et militaribus factis, et iustitia insignis.

*Praefectus tuus]* Praefectum praetorio intelligit: quae dignitas Romae sub Caesaribus erat primaria: quod ipsum comprobant iurisconsulti Aurelius et

*Calvini opera. Vol. V.*

Pomponius: quorum ille instar magistri equitum praefectum praetorio esse scribit, hic officium eius tale fere esse tradit, quale tribuni Celerum apud reges, apud dictatores magistri equitum. Erat autem magister equitum secundae potestatis, si dictator ad esset: illo absente, primae: ut docet Plutarchus in Antonio. Haec sententia Andreae Alciato Mediolanensi non placet, quia refragatur constitutione quae est sub tit. de praefect. praetorio sive urbis, lib. XII. C. quae praefectum praetorio aequat dignitate magistris equitum ac peditum: quo argumento colligit discretos fuisse magistratus. Id vero quale sit, dispiciamus. Primum putat, regnante Romulo, eum qui praererat praetorio, solitum etiam in bella prodire, dictumque magistrum equitum. Hic velim edisserat nobis quis ille fuerit magister equitum, qui praererat cohortibus praetorianis circa palatium Romuli: quem ne ipse quidem Romulus, ut arbitror, noverat. Omnes enim consentiunt vocatum fuisse, non magistrum equitum, sed tribunum Celerum: et eos ipsos Celeres, [pag. 140] prout res postularet, nunc equis, nunc pedibus bellare solitos. Subiicit paulopost, ubi Romanorum opes creverunt, distincta fuisse officia: ut praefectus praetorio excubias ageret ad tuendam principis salutem, magister equitum contra hostes imperium tueretur. Hic bis terque lapsus est Alciatus. Nam fingit fuisse magisterium equitum, singularem aliqueni magistratum: quum illo saeculo magistri equitum promiscue vocarentur, qui provincias cum exercitu regerent. Qua ratione dixit Ammianus Marcellinus libro XXI. magistrum peditum, et Aelius Spartianus magistrantem exercitum, pro regentem. Et si constitutionem illam errori suo praetendit, animadvertis in rubrica, ad quam constitutio referenda est, non magistrum equitum, sed magistros militum et peditum legi, ac si dicas praefectos exercituum, sive illi proconsules sint, sive praetores, seu quocunque alio nomine vocentur. Ad haec respondeat quae volet Alciatus, modo ne sub Albutii persona scurriliter ludat. Nunc quae de praefecto praetorii ad hunc locum pertinent, expediamus. Magistratus fuit summus, ut dictum est, sed a parvis initis ad tantum fastigium productus. Tradit Suetonius Augustum certum numerum ex copiis militaribus partim in urbis, partim in sui custodiam allegisse. Et illos quidem in scriptoribus observavi vocari urbanos milites, hos praetorianos. Tacitus libro XVIII.:<sup>1)</sup> Sedecim praetoriae, quatuor urbanae cohortes scribebantur, queis singula millia inessent. Libro XVII.: Addit epistolas Fabius Valens nomine germanici exercitus ad praetorias et urbanas cohortes, de viribus partium magnificas et concordiam offerentes. Eodem

1) *Id est Historiarum secundo.*

libro: Tum legiones classesque, et quod raro, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti. Tranquillus in Augusto: Legavit praetorianis militibus singula milia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecentos nummos. Quamobrem nescio an probe verterit Politianus praefecti cohortibus urbanis, pro eo quod Herodianus dixit ἐπάρχοντος τῶν στρατιωτῶν, quum de Plautiano loqueretur; et alibi, urbanas cohortes, quod Herodianus dixerat τοὺς ἐν τῇ Ρώμῃ στρατιώτας, quum satis constet de praetorianis dictum. Iam praetorianae cohortes dispersae per hospitia vagabantur, donec castra quibus continerentur, ad urbem Tiberius constituit: quae castra praetoria vocantur ab Herodiano libro IV. simpliciter τὰ βασιλεῖα. In iis castris signa habebant, sed singulae cohortes per vices excubabant, ac stationem habebant in palatio. Tranquillus in Othone: Tulerat animus, post adoptionem statim castra occupare, coenantemque in palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis quae tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod eiusdem statione et Caius [pag. 141] fuerat occisus, et desertus Nero. Libro III. Herodiani Plautianus praefectus praetorio tribunum sic alloquitur: Intrare tibi in cubiculum ubi somnum capiunt soli nempe licet, redeunte vice nocturnae custodiae etc. Libro IV.: Simul imperat militibus palatii custodibus, ut se in castra deducerent. Libro V.: At illi animis rumore illo exulceratis indignabundi, neque solitam custodiad miserunt Antonino, et inclusi castris videre Alexandrum velle in templo ipso dictabant. Cohortibus duos praefectos creavit Augustus. Sic enim interpretor apud Dionem δύω ἐπάρχοντος τῶν δορυφόρων: quoniam Suidas' pro eodem nunc ἐπάρχοντος τῶν δορυφόρων, nunc ἐπάρχοντος πραιτωρίων ponit. Herodianus libro V.: σωματοφύλακες καὶ δορυφόροι οὓς δὴ πραιτωρίους καλοῦσιν, id est corporis custodes et hastati, quos praetorianos vocant. Hoc tamen perpetuum non fuit: quia pro temporis ac rerum varietate, nunc unum fuisse, nunc duos praefectos legimus. Nam et Commodus post caedem Perennii duobus commisit praefecturam, quo in partes dissecam, imbecilliores contra principem redderet. Et multi imperatores quum exercitum in hostem educerent, alterum ex praefectis praetorio secum habebant, alterum in urbe relinquebant: quum in urbe starent, uno contenti. Hoc etiam silentio transmitendum non est, equites romanos assumptos ex more fuisse in eam dignitatem, nec ante senatori delatam, quam Titus in se reciperet, patre Vespasiano imperante. Autor Plinius maior, et Tranquillus. Verum si Cornelio Tacito credimus, Arretinus Clemens ante eo officio functus fuerat, favore Mutiani, senatorii vir ordinis, et domui Vespasiani per affinitatem in nexus. Histor. libro XX. Quin et id quod de Tito scribunt Plinius et Tranquillus videtur Aelius Spar-

tianus ignorasse, qui in Alexandro ad hunc modum tradit: Praefectis praetorio senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi et essent et dicerentur: quod antea vel rarum fuerat, vel omnino non fuerat, eousque ut si quis imperatorem successorem praefectum praetorio dare vellet, laticlaviam eidem per libertum submitteret. Alexander autem ideo senatores esse voluit praefectos praetorio, ne quis non senator de romano senatore iudicaret. Addendum postremo et illud ex Iulio Capitolino, Caesares praefectis suis osculum dare solitos honoris causa. Eo paulatim pervenerat potestas, militaris primum, deinde res civiles amplexa, quas libera iurisdictione et sine provocatione administrabat, ut non dubitaverint plerique ex eo gradu adspirare ad imperium, et Philippo etiam successerit. Hoc etiam argumento eius officii magnitudinem coniicere possumus, quod quum Gordianus nepos summa omnia in Misitheum socerum deferre vellet, tantum non imperii partipem, nihil [pag. 142] habuit praefectura maius. Nostris hominibus non aliter possum repraesentare, quam si quis Constabularii officium cum Cancellariatu iungat. Haec pluribus quam statueram.

*In cuius verba principes iuramentum faciant*] Id est, in cuius verba consentiant, et quasi iure iurando conspirent, Nerone scilicet verba praeceunte, ipsis autem in verba concepta iurantibus. Sic Acron et Porphyrio accipiunt illud Horatii in Epodis:

Quum tu magnorum numen laesura deorum,  
In verba iurabas mea.

Huius etiam loquutionis significationem evidenter ostendit Livius libro VII.: Et super lectum stans ferro intento, nisi in quae ipse conceperet verba, iuraret, se patris eius accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum, se eum extemplo transfixurum minatur. Is autem qui alteri verba concipit, dicitur in verba adigere. Ibidem Livius, Pavidus, inquit, tribunus adiurat in quae adactus est verba. Gellius libro XVI.: Quum delectus antiquitus fieret, et milites scribebantur, in ius iurandum eos tribunus militaris adigebat in haec verba. Tacitus: Imminere Narbonensi provinciae in verba Vitellii adactae etc. Eadem ratione dicitur iurare in nomen principis, et iurare in leges.

*Cui redderetur antiquum illud saeculum*] Quod illo saeculo aureo, suopte ingenio adeo probe vivebant homines, ut nihil legibus opus haberent, ut post Hesiodum omnes fere poetae canunt. Hinc pro moribus principum nunc aurea vocant saecula, nunc ferrea. Vergilius:

Redeunt Saturnia regna.

Item:

Et toto surget gens aurea mundo.

Et libro VI. Aeneidos:

Augustus Caesar divum genus aurea condet  
Saecula.

Carmen refertur a Suetonio in Tiberium iactatum:

Aurea mutasti Saturni saecula Caesar:  
Incolumi nam te ferrea semper erunt.

## CAPUT II.

*Futurum hoc, Caesar, ex magna parte sperare et confiteri libet. Tradetur ista animi tui mansuetudo, diffundeturque paulatim per omne imperii corpus, et cuncta in similitudinem tui formabuntur. A capite bona valetudo: inde omnia vegeta sunt atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viget, aut marescet. Et erunt cives, erunt [pag. 143] socii digni hac bonitate, et in totum orbem recti mores revertentur. Parcerubique manibus tuis. Diutius me morari hic patere: non ut blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere quam placere adulando. Quid ergo est propter quod bene factis dictisque tuis quam familiarissimum esse te cupio? ut quod nunc natura et impetus est, fiat iudicium. Illud mecum considero multas voces magnas, sed detestabiles, in vitam humanam pervenisse, celebresque vulgo ferri, ut illam: Oderint, dum metuant. Cui graecus versus similis est, qui se mortuo terram misceri ignibus iubet: et alia huius notae. At nescio quomodo ingenia immania et invisa, materia foecundiori expresserunt sensus vehementes et concitatos. Nullam adhuc vocem audiri ex bono lenique animosam. Quid ergo est? ut raro, invitum, et cum magna cunctatione, cum multis dilationibus.*

Quod prius dixerat dignam esse vocem cui redideretur aureum illud saeculum, ne populi qui sub romano imperio degebant, indigni essent tam bono principe, id futurum promittit: ne putet sua tantum interesse Nero, pietatem colere et mansuetudinem, sed publicis quoque moribus plurimum conferre ac conducere: nempe quod solent homines vitam principis aemulari, inquit Herodianus. Cicero libro tertio de Legibus: Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia. Neque tantum mali est peccare principes, quanquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes: quod non solum vicia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent. Scribit etiam Plato, quales sint in republica principes, tales solere et reliquos esse cives. Id ipsum proverbio graeco significatur: ὄντας δέσποινα, τοῖς καὶ θεραπαιδεῖς. Vita enim principis, ut verissime scribit Plinius, censura est eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur:

nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Cui simile est illud Ovidii Fastorum V.:

[pag. 144] Sic agitur censura, et sic exempla parantur,  
Quum iudex alios quod monet, ipse facit.

*A capite bona valetudo]* Sumptum a medicis, qui quum omnibus membris mutuam inesse sympathiam consentiant, caput tamen praecipuam vitae sedem tradunt: utpote a quo omnes nervi originem trahant: ut non immerito illud dictum sit, caput in homine perinde esse atque radicem in arbore.

*Parcerubique manibus tuis]* Hoc vero in primis curae debet esse principibus, quale famam ac quale nomen habituri sint ad posteros. Nam ut maxime possint dum vivunt linguas omnium continere, mortui certe linguis non imperant. Imo vero in eos sub quibus minime licet, tum demum avidius effunditur quidquid usquam est conviciorum, quum eorum morte parta libertas. Nullum, inquit Plinius in Panegyrico, est tempus, quo funestorum principum manes a posteriorum exsecrationibus conquiscent.

*Magnas voces]* Quae in speciem magnae sint et animosae, licet re vera indignae magno animo. Nihil est magnum Stoicis, quod non idem sit bonum, et introrsus solidum. Vide Senecam libro I. de Ira.

*Oderint, dum metuant]* Verba sunt Atrei ex veteri tragoeadia, ut dictum est libro I.

*Cui graecus versus]*

Ἐμοῦ δαρώντος γαῖα μηχαίτω πυρί.

Trimeter est iambicus, quem sic latine vertere possis:

Me, misceatur igne terra, mortuo,  
ab Erasio relatus inter paroemias, et quem proverbiale fuisse significat. Tranquillus in Nero, quem refert, quodam in sermone communi versum illum dicente, respondisse, ἐμοῦ δῶντος. Ad hunc senarium allusit Claudianus Ruffinum faciens sic loquentem:

Everso iuvat orbe mori, solatia lethi  
Exitium<sup>1)</sup> commune dabit.

Nec absimilem sententiam laudat ipse Seneca Naturalium quaestionum libro VI.: Egregie inquit, Vagellus meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum est mihi, coelo cedidisse iuvat.

Idem licet dicere, Si cadendum est, cadam orbe concuso. Non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium est, terram quandoque videre mortalem.

*Et alia huius notae]* Eiusdem generis, et rationis, ducta translatione a forma publica, qua nummi percutiuntur. Seneca Epistol. libro V.: quum vellet demonstrare facta ac dicta sapientis eiusdem rationis esse, Respondeant, inquit, sibi, et una forma

1) Sic emendat prima Stoerii ed. 1611 et sequentes. Antea male legebatur: exitum.

percussa sint. Idque quia, ut ait Paulus Iurisconsultus l. I. ff. de contrahend. empt.: *Forma publica qua signatur pecuniae, facit perpetuam aestimationem.* Seneca in *Medea*:

Quam levia fuerint, quamque vulgaris nota,  
Quae commodavi sceleris.

Seneca libro XIX. Epistol.: *Unicuique nostrum paedagogum dari deum,* [pag. 145] non quidem ordinarium, sed hunc inferioris nota.

*Ut raro, invitus]* Hunc locum aliter legi in vestissimo codice adnotavit Erasmus, non tamen sine mendo, ut ipse arbitratur, et ego quoque existimo. Dicit enim esse oratio defectiva, in qua subauditur verbum principale: hoc sensu, ut raro, invitus, cum magna cunctatione, cum magnis dilationibus subscribas in poenas et supplicia. Sic enim fiet iudicium, quod nunc est natura et impetus.

### CAPUT III.

*Et ne forte decipiat nos speciosum clementiae nomen aliquando, et in contrarium aliquando abducat, videamus quid sit clementia, qualisque sit, et quos fines habeat. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi: vel lenitas superioris adversus inferiorem, in constitutis poenis. Plura proponere est tutius, ne una definitio parum rem comprehendat, et, ut ita dicam, formula excidat. Itaque dici potest et inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda. Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat. Si dixerimus clementiam esse moderationem, aliquid ex merita ac debita poena remittentem: reclamabitur, nullam virtutem cuiquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intelligunt, clementium esse, quae se flectit circa id quod merito constitui potest. Huic contrariam imperiti severitatem: sed nulla virtus virtuti contraria est.*

Hoc capite nihil aliud agit, quam ut ponat certam definitionem clementiae: quod se facturum secundo loco promiserat in divisione totius operis, ubi admonuimus alio eum prosequi ordine, quam proponebat. Id quam verum sit, nunc lectoribus aestimare promptum fuerit. Quanquam hoc etiam magis usu receptum est, non ut secundo loco res definiatur, sed ut omnis disputatio habeat a definitione exordium. Cur aliter Senecae visum fuerit, mihi non constat.

*Speciosum clementiae nomen]* Quod scilicet praetenditur in vitiis virtutes imitantibus, ut in misericordia. Speciosum autem nomen eleganter dixit, pro colorato et fallaci praetextu. Ovidius Metamorphoseon VII.:

Speciosaque nomina culpae  
Imponis Medea tuae.

Cornelius Tacitus libro XX.: *Caeterum libertas, et*

*speciosa nomina praetexuntur: nec quisquam alienum servitium [pag. 146] et dominationem concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Curtius libro VII.: Titulus facinoris speciosus praeferebatur, vindicta Darii. Quintilianus: Et dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, compendio morantur.*

*Clementia est temperantia animi]* Prima finitio, quae non cohaeret: quia non desinit protinus clemens esse, qui non habet praesentem ulciscendi potestatem: quem sufficit ita animatum esse, ut ne accepturus sit quidem vindictae occasionem, etiam si se maxime offerat. Neque secunda multo melior: quum et par erga parem clementer se gerere possit, et inferior erga superiorem: quum non de effectu, sed de animi affectu quaeratur.

*Plura proponere]* Non verbis, sed ut differentia latius pateat, et ad nomen clementiae limitetur.

*Formula excidat]* Id est, lege illa formali, quam dialectici in definitione exigunt, ut ad omnia pertineat in quae cadere potest definitum, nec ad alia transferri possit.

*Inclinatio animi ad lenitatem]* Haec sola definitio omnibus numeris constat.

*Huic imperiti contrariam severitatem putant]* Nam quum omnis virtus sit quaedam mediocritas inter extrema, quorum alterum in defectum tendit, alterum in excessum, defectus quasi ex diametro opponitur virtuti ad quam refertur, excessus virtutem magis imitatur. Hic ergo quaeritur de extremo in defectum: quod putant quidam esse severitatem. Quos falli opinione ostendit Seneca: quia severitas est virtus, et pugnare inter se virtutes non possunt. Possunt enim esse diversae virtutes, non contrariae: ut clementia et severitas variam quidem habent rationem, sed tamen simul stare possunt: unde et eadem habent extrema, variis rationibus. Crudelitas enim clementiae est defectus, et excessus severitatis: misericordia vero defectus severitatis, excessus clementiae.

### CAPUT IV.

*Quid ergo opponitur clementiae?* Crudelitas, quae nihil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis poenis. Sed quidam non exigunt poenas, crudeles tamen sunt: tanquam qui ignotos homines et obvios, non in compendium, sed occidendi causa occidunt: nec interfere contenti, sacviant: ut Busiris ille, et Procrustes, et Piratae, [pag. 147] qui captos verberant, et in ignem vivos imponunt. Haec crudelitas quidem: sed quia nec ultiorem sequitur, (non enim laesa est: nec peccato alicui irascitur, nullum enim antecessit crimen) extra definitionem nostram cadit, quae finitio continebat, in exigendis poenis intemperantiam animi. Possumus dicere non esse hanc crudelitatem, sed feritatem,

*cui voluptati saevitia est. Possimus insaniam vocare; nam varia sunt genera eius, et nullum certius quam quod in caedes hominum et laminationes pervenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent: sicut in Phalari, quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum saevisse. Possimus effugere cavarationem, et ita finire, ut sit crudelitas inclinatio animi ad asperiora. Hanc clementia repellit longius a se: nam severitatem illi convenire certum est. Ad rem pertinet quaerere hoc loco, quid sit misericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant, et bonum hominem vocant misericordem. Haec autem vitium animi est. Utroque circa severitatem circaque clementiam posita sunt, quae vitare debemus, ne per speciem clementiae in misericordiam incidamus. In hoc leviore periculo erratur: sed par error est a vero recedentium.*

Quoniam illud iam positum est, severitatem opponi clementiae non posse, ne virtutes inter se pugnant: habendum est vitium, quod sit contrarium clementiae. Erit autem crudelitas, ut sit inclinatio animi ad asperiora. Nam si dicatur atrocitas in poenis exigendis, dabitur aliquid contrarium clementiae, quod isto nomine non contineatur. Qui enim sine causa saeviunt, crudeles quidem sunt, nec tamen sunt atroces in exigendis poenis: quia qui poenas exigunt, causam habent sed modum non servant.

*Busiris ille]* Rex Aegyptiorum, Neptuni et Libyae filius, qui Thrasii consilio hospites immolabat [pag. 148] incognitos, et nullius criminis reos, ut eorum sanguine pluviam eliceret, cuius penuria Aegyptus novem annis laboraverat. Tandem ab Hercule interemptus, ut quidam tradunt. Nam Strabo libro XVII. fabulam esse putat quod de eo memoriae proditum est.

*Procrustes]* Atticae regionis latro, affectus a Theseo eodem genere supplicii, quo multos prius affecterat. Supposito enim lecto intendebantur corpora: quae mutilabantur si maiora erant lecto: aut vi trahabantur in parem magnitudinem si minora erant: nomen a προκρόνῳ, id est impello. Meminit Ovidius pluribus locis.

*Insaniam vocare possumus]* Videtur accepisse nomen insaniae pro furore, quemadmodum frequenter usurpant scriptores: quamvis Cicero distinguat Tusculanarum III. ut sit Latinis insaniam, quae Graecis ματία: et nobis furor, quae illis melancholia. Sed Celsus libro III. phrenes in vocat insaniam, et tria facit phreneticorum genera.

*Crudeles vocabo, qui causam habent]* Ne putas hoc esse frigidum Senecae commentum, sic Servius interpretatur crudeles poenas, nimias et saevas, non tamen indignas, in VI. Aeneidos, ubi ait Vergilius: Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas.

*Sicut in Phalari]* Hic Agrigentinorum tyranus, cui Perillus taurum aeneum fabricavit: quo im-

positi noxii dum torrerentur, tauri mugitum reddebat. Tandem universa Agrigentinorum multitudo in eum impetum fecit, quod nesciret modum poenis statuere. Hunc Seneca libro de Ira II. inter eos ponit qui animi causa feritatem exercent in eos a quibus iniuriam non acceperunt. Sed fallitur, quia aliter omnes scriptores prodiderunt, et ipse secum pugnat, ut indicat hic locus.

*Quid sit misericordia?* Hic de extremo in excessum agitur, nempe de misericordia, quae licet in speciem conformis clementiae appareat, quia tamen animi perturbationem secum fert, perdit nomen virtutis, secundum Stoicos. Longe alia extrema ponit Aristoteles Ethicorum IV. sed ex opinione Peripateticorum, qui passiones in sapientem cadere volunt. Verum haec melius proximo capite.

*Bonum hominem vocant misericordem]* Illud sane nobis persuasum esse debet, et virtutem esse misericordiam, nec bonum hominem esse posse, qui non sit misericors, quidquid in suis umbris disputatione otiosi isti sapientes: qui an sapientes sint nescio, ut verbis Plinii utar: homines certe non sunt. Hominis est enim affici dolore, sentire, resistere tamen, et solatia admittere, non solatiis non egere. Non immerito igitur aram Misericordiae antiquitus consecrarent Athenienses. Cicero pro Ligario: Nihil est tam populare quam bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis nec gravior nec admirabilior misericordia [pag. 149] est. Juvenalis Satyra XV.:

#### Mollissima corda

Humano generi dare se natura fatetur

Quae lacrymas dedit: haec nostri pars optima sensus, etc.

Unde et illacrymabilis, nomen est vitii apud autores. Horatius in Epodis:

Non si trecentis, quotquot eunt dies,  
Amicis, places illacrymabilem  
Plutona tauris.

Vergilius Aeneidos IV.:

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?  
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Pro misericordia contra Stoicos lege Augustinum libro IX. et libro XIV. de Civitate.

*In hoc leviore]* Utpote in excessu, qui maiorem habet similitudinem virtutis, quam defectus. Deinde quia melius est nocentem relinquere impunitum, quam innocentem puniri.

*Sed par error]* Paradoxum Stoicorum, Peccare, est transire lineas: quod quum semel feceris, culpa commissa est. Quam longe progrediare quum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.

#### CAPUT V.

*Ergo quemadmodum religio deos colit, superstitione violat: ita clementiam mansuetudinemque omnes boni*

*praestabunt: misericordiam autem vitabunt.* Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum ~~accidentibus~~. *Itaque pessimo cuique familiarissima est.* Anus et mulierculae sunt quae lacrymis nocentissimum moventur: quae, si liceret, carcerem effringerent. Misericordia non causam sed fortunam spectat, clementia ratione accedit. Scio male audire apud imperitos sectam Stoicorum, tanquam nimis duram, et minime principibus regibusque bonum daturam consilium. Obiicitur enim illi quod sapientem negat misereri, negat ignoroscere. Haec si per se ponantur, invisa sunt. Videtur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad poenam deducere. Quod si est, quid in hac scientia, quae dediscere humanitatem iubet, portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit? <sup>1)</sup> Sed nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior [pag. 150] hominum, et communibus bonis attentior: ut propositum sit usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singularibus consulere. Misericordia est aegritudo animi ob alienarum miseriарum speciem: aut tristitia ex alienis malis concepta, quae accidere immerntibus credit. Aegritudo autem in sapientem virum non cadit. Serena enim eius mens est, nec quidquam incidere potest quod illam obducat. Nihil aequa hominem quam magnus animus decet. Non potest autem magnus esse idem si metus et moeror contundit, si mentem obducit et contrahit. Hoc sapienti ne in suis quidem accidet calamitatibus, sed omnem fortunae iram reverberabit, et ante se franget: eandem semper faciem servabit placidam, et inconcussam, quod facere non posset si tristitiam reciperet. Adiice quod sapiens providus est, et in expedito consilium habet. Nunquam autem liquidum sincerumque ex turbido venit. Tristitia enim inhabilis est ad despiciendas<sup>2)</sup> res, utilia excogitanda, periculosa vitanda, aequa<sup>3)</sup> a estimanda. Ergo non miseretur, quia et sine miseria animi facit caetera omnia quae qui miserentur.

*Religio deos colit]* Quam habet proportionem superstitionis ad religionem, eadem habet misericordiam ad clementiam: quemadmodum crudelitas in eadem est proportione ad clementiam, qua impietas ad religionem. Superstitionis autem vituperatur: ergo et misericordia. Quintilianus: Ut a diligenti curiosus, ita a religione superstitionis distat. Cicero libro II. de Natura deorum: Non philosophi tantum, verum etiam maiores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies preabantur et immolabant ut sibi sui liberi superstites essent, superstitionis sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi. Ita factum est alterum vitii nomen, alterum laudis. Non ta-

1) Editiones recentiores omnes habent: claudit. 2) Ed. 1597 et seqq.: despiciendas. 3) 1582: aequa.

men omnibus recepta est etymologia quam verbo superstitionis dedit Cicero. Nam Servius octavo commentar. Aeneidos et Donatus in Andriam, superstitionem dictam putant, quod plerumque cadat hoc vitium in aniculas, quae multis aetate sunt superstites: Lucretius quasi rerum nobis superstantium, hoc est coelestium inanem religionem. [pag. 151] Idem etiam Servius in XII. Aeneidos: quia superstet capiti omnis religio. Quemadmodum de ipso nomine religionis non consentiunt cum Cicero Lactantius et Macrobius: quorum alter a relegendi, <sup>1)</sup> alter a relinquendo derivat. Vide etiam quaedam apud Augustinum libro VI. de Civitate.

*Scio male audire]* Priusquam reddat rationem cur misericordiam improbat Stoici, per modum προληψεως refellit eorum opinionem, qui id vitio vertunt Stoicis, quod sunt sine affectu, et malorum alienorum sympathia. Et sane ut male loquantur, qui ita praecise accipiunt Stoicorum dogma, quasi nulli ignoscant: ita ipsi invexerunt commentum argutum magis quam verum. Cicero multum effuse in eos ludit in oratione pro Muraena. Fuit quidam, inquit, summo ingenio vir Zeno, cuius inventorum aemuli Stoici nuncupantur. Huius sententiae sunt, et praecpta huiusmodi: sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cuiusquam delicto ignorare: neminem misericordem esse, nisi stultum et levem: viri non esse neque exorari, neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sunt, etc. et multa in hanc sententiam. Et Horatius Sermonum I.: Bene audire, et male audire dicimus ex imitatione Graecorum, pro laudari, et vituperari. Cicero libro VI. ad Atticum: Qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille male audiat, et recte facere non meae laudis, sed illius contumeliae causa. Et libro X.: Qui nos recte facere, et bene audire vult. Terentius in prologo Phormionis:

Bene dictis si certasset, audisset bene.

*Et in Phormione:*

Si herum insimulabis avaritiae,<sup>2)</sup> male audies. Quintilianus in Corpore projecto: Ubi virtus? ubi? peristi miser, et male audis.

*Misericordia est aegritudo animi]* Hic totius rei cardo vertitur. Misericordiam Stoici reiiciunt, quia est animi aegritudo. Passiones vero, quia animi statum et tranquillitatem obturbant, semper vitiosae sunt. Igitur vitium est misericordia. Salustius in oratione Caesaris: Omnes homines qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt. Quintilianus libro VI.: Nam quum irasci, favere, odisse, mise-

1) Fallitur h. l. vir summus, et sibi ipse contradicit. Lactantium enim religionem a religando derivasse notissimum est.

2) Hodie legitur: malitiae.

reris coeperunt, agi iam rem suam existimant, et sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor: ita omnem inquirendae veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus: aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur. Ideoque ut idem Quintilianus recitat libro V.: Fuerunt et clari quidam autores quibus videretur solum oratoris officium, docere. Namque affectus dupli ratione excludendos putabant. Primum, quia vitium esset omnis animi perturbatio. Deinde, quia iudicem a veritate depelli misericordia, vel ira, similibusque non oportet. In eundem [pag. 152] sensum misericordiam definit Augustinus libro IX. de Civitate, licet aliis verbis. Quid autem est, inquit, misericordia, nisi alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire cogimur?

*Aegritudo in sapientem]* Aegritudo, ut definit Cicero libro IV. Tusculanarum, est opinio recens praesentis mali, in quo demitti, contrahique animo, rectum esse videatur. Atque ut aegrotatio in corpore, inquit idem libro III., ita aegritudo in animo, nomen habet non semotum a dolore. Reperias tamen haec duo verba saepe confusa in autoribus, ut animi aegrotatio, et corporis aegritudo dicatur. Terentius in Phormione:

Matrem ipsam ex aegritudine miseram mors consequuta est. Cicero: Definiunt animi aegrotationem, opinionem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit. Hnic autem aegritudini, ut est animi contractio, opponitur εὐγνωμοσύνη, id est, aequanimitas.

*Serena enim eius mens est]* Hic etiam statuit apathian et ἀναλγησταρ, ut nullus prorsus affectus sapientem tangat. Quod an verum sit, non est huius propositi disputare. Lege rationes quibus nituntur III. et IV. Tusculanarum Ciceronis et librum Senecae de Ira.

*Mentem obducit et contrahit]* Hominum enim animi ut diffunduntur laetitia, ita contrahuntur aegritudine. Cicero Tusculanarum IV.: Eodem enim vitio est effusio animi in laetitia, quo in dolore contractio. Idem in Laelio: Ut bonis amici quasi diffundatur, et incommodis contrahatur. Libro I. Epistolarum ad Quintum fratrem: Ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, sic magnitudine negotii patiaris. Gellius libro XIX.: Sapientis animum paulisper moveri, et contrahi, et pallescere necessum est. Obducere dixit, quasi nebulis obtenebrare.

*In expedito consilium habet]* Seneca ad Lucilium libro X.: Consilium sub die nasci debet, imo sub hora. Hoc quoque nimis tardum est: sub manu, ut aiunt, consilium nascatur. Pugnat autem consilium promptum et expeditum habere, et passionibus transversum agi. Illud enim rationem desi-

derat bene compositam, hae cum ratione stare non possunt.

## CAPUT VI.

*Volo facere libens, quae alius animo faciet. Succurret alienis lacrymis, non accedet. Dabit manum naufragio, exsuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum qui se misericordes videri volunt, abiicit et fastidit quos adiuvat, contingue ab his timet: sed ut homo homini ex communi dabit. Donabit [pag. 153] lacrymis maternis filium, et catenas solvi iubebit, et ludo eximet, et cadaver etiam noxiuum sepeliet. At faciet ista tranquilla mente, vultu suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitosos pro portione improbandos, et emendantos bonitatem suam permittet. Afflictis vero et fortius laborantibus multo libenter subveniet.*<sup>1)</sup> *Quotiens poterit, fortunae intercedet. Ubi enim opibus potius utatur aut viribus, quam ad restituenda quae casus impulit? Vultum quidem non deiciet, nec animum. Caeterum omnibus dignis proderit, et deorum more calamitosos propius respicit. Misericordia vicina est miseriae, habet enim aliquid trahitque ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi suffunduntur, tam mehercule quam morbum esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere. Misericordia, vitium est animorum nimis miseriae faventium: quam si quis a sapiente exigit, prope est ut lamentationem exigit, et in alienis funeribus gemitus. At quare non ignoscet vacuus? Constituamus nunc quoque quid sit venia, ut sciamus dari illam a sapiente non debere. Venia est poenae merita remissio. Hanc sapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propositum est.*

*Succurret alienis lacrymis, non accedet]* Hac re potissimum sapientem suum censeri volunt Stoici, si velut ex editissima arce fortunam spectet in rebus humanis ludentem, et nihil ad se pertinere causas suos aut alienos reputet: non doleat si quid sibi parum laetum acciderit: nec aliorum lacrymis compatiatur: sed quia in commune bonum genitus est, quibus potest opem afferat, et quos potest opera et industria sua sublevet.

*Dabit manum naufragio]* Id est manum porrigeret, ut illi auxilietur, quod frequentius dicitur porrigerere. Quintilianus in Aegro redempto: Si duos pariter naufragia raperent, illi porrigerem manum,

1) *Edd. recentiores omnes: subvenit.*

quem iam membrorum contentione lassatum [pag. 154] fluctus hauriret. Vergilius Aeneidos VI.:  
~~ww~~ Da dextram misero; et tecum me tolle per undas.

Quanquam et hoc reperitur. Quintilianus libro II.: Ut velocissimus quisque si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat, nec procedat ultra quam comes possit. Alioqui dare manum est cedere.

*Non hanc contumeliosam]* Advertant hic nostri homines, quorum permulti longe absunt ab hac ethnicorum philosophorum mansuetudine: quos si quando contingat stipem pauperi erogare, quasi parum sit ex eorum dignitate in manum dare, contumeliae causa abiiciunt.

*Catenas solvi iubebit]* Ut si a piratis captus sit, redimet, et asseret in libertatem.

*Ludo eximet]* Aut gladiatorio, aut venatorio. Instituebant enim servi, alii ad venationem, qui ad populi voluptatem cum feris in arena depugnarent: alii ad gladiaturam, qui per paria simul committerentur. Dicuntur autem gladiatores ac venatores ludo eximi, qui ex illa necessitate liberantur. Quod etiam a ludo redimere dicitur. Quintilianus libro VIII.: Ut in eum quem saepius a ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quod dormienti pollicem recidisset. Eras dignus ut haberes integrum manum. Sic enim auditur, ut depugnares.

*Fortunae intercedet]* Honesta translatio. Ut enim consulibus et senatoribus intercedebant tribuni, quum obsistebant illis, si plebem insolenti imperio premerent: ita fortunae intercedit, qui, ut vulgo loquimur, se opponit, et obviat it casui, ut alterum tueatur a fortunae iniuria. Plinius iunior: Intercedere easibus, occursare fortunae. Exempla passim occurunt apud Livium, et alios. Non video cur Erasmus maluerit *interdicere* apud Tranquillum in vita Tiberii ubi prius *intercedere* legebatur, in his verbis: Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium prosequuta est: ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset.

*Vultum non deiicit, nec animum]* Quod Cicero nunc abiicere, nunc demittere dicit, Livius defigere. Libro primo: Silentium triste ac tacita moestitia ita defixit animos, ut prae metu oblii quid relinquent, quid secum ferrent, deficienti consilio, etc.

*Imbecilles oculos]* Facit similitudinem a corpore ad animum. Si sunt imbecilles oculi, qui ad alienam lippitudinem suffunduntur, ergo est imbecillis animus, qui ad alienam miseriam movetur misericordia. Hoc tamen naturaliter evenire tradit Alexander Aphrodiseus in Problemat. quia oculi humecti sunt et molles, atque affectibus expositi. Tum quia sanitas ex habitudine modica, vitium ex immoda accidit. Quod igitur modicum, facilius ab immodo mutatur ac vertitur, quam contra. Ergo lippitudo

quae immoda quaedam habitudo [pag. 155] est, facile sanitatem utpote modicam demutat. Fit autem mutatio naturali corporum inter se consensu.

*Ad omnium oscitationem ipsum os diducere]* Oscitatio ab ore ciendo, id est commovendo dicta, ut docet Donatus in Andriam; provenit plerisque ex supina securitate et ignavia. Interdum naturae vitium magis quam hominis: unde oscedo appellatur, ut meminit Gellius libro IV. capite ultimo. Et hoc naturale esse putat Alexander, ut qui oscillantem videant, et ipsi oscitent: quia natura animantium, maximeque ratione carentium, similitudinem quendam consensum, itemque affectuum habet: atque ita fit ut meiente asello, caeteri item meiant, quum sint urina repleti.

*Vacuus]* Id est, omni affectione et passione animi vel misericordia vel aegritudine solitus ac liber. Quum enim sine affecto ponitur, id significat. Ovidius Tristium II.:

Aut si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses.

Et in epistola Sapphus:

Proveniunt vacuae carmina mentis opus.

Cicero Verrina II.: Animo coepi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud nisi de iudiciis agere et cogitare.

*Poenae meritae remissio]* Controversia in verbis est: de re quidem convenit. Cur enim qui veniam largitur, potius poenam meritam remittere dicitur, quam ignoscere, et quadam facilitate poenam temperare? Deinde nihil obstat quo minus clementia aliquid remittat quod severitas iure et merito puniret. Potest igitur clementia meritam poenam remittere, si id ex causa faciat.

## CAPUT VII.

*Ego ut breviter tanquam in alieno iudicio dicam, ei ignoscitur, qui puniri debuit. Sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil praetermittit quod debet. Itaque poenam quam exigere debet, non donat: sed illud quod ex venia consequi vis, honestiore tibi via tribuit. Parcit enim sapiens, consulit et corrigit. Idem facit quod si ignoscet, nec ignoscit: quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse. Aliquem verbis tantum admonebit, poena non afficiet, aetatem eius emendabilem intuens. Aliquem invidia criminis manifeste laborantem, iubebit incolumem esse: quia deceptus est: [pag. 156] quia per vinum lapsus. Hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum accincti sunt. Haec omnia non veniae, sed clementiae opera sunt. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo et bono iudicat: et absolvere illi licet, et quanti vult aestimare litem. Nihil ex his facit tanquam iusto minus fecerit: sed*

*tanquam id quod constituit, iustissimum sit. Ignoscere autem est, quae iudicas punienda, non punire. Venia, debitae poenae remissio est. Clementia hoc primum praestat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. Plenior est ergo quam venia, et honestior. De verbo (ut mea fert opinio) controversia est, de re quidem convenit. Sapiens multa remittet: multos parum sani, sed sanabilis ingenii, servabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua depravavit causa, adminicula quibus regantur, applicant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant. Quasdam infirmas vitio loci, nutriunt. Quidam aliena umbra laborantibus, coelum aperiunt. Secundum haec videbit perfectus sapiens quod ingenium qua ratione tractandum sit, donec in rectum prava flectantur.*

Quidquid hic disputat Seneca, uno verbo subverti potest. Non enim procedit argumentum: remisit poenam meritam, ergo praetermisit quod facere debuit. Poenam enim condonavit cum laude clementiae, quam cum laude severitatis irrogare potuit: et qui talionem exigit ab autore iniuriae, nihil agit quod ille non meruerit: nec tamen praetermittit quod facere debuit, si iniuriam inultam esse patitur.

*Parcit enim sapiens]* Haec omnia eo spectant, ut ostendat sapientem clementiae suae causam posse reddere.

*Non sub formula iudicat]* Id est ad praescriptum summi iuris, quemadmodum iudices, qui ex legum praescripto pronunciant. Marcel. tit. de poenis, lib. XLVIII. ff.: Respiciendum est iudicanti ne quid aut durius aut remissius constituatur, quam causa depositum. Nec enim aut severitatis aut clementiae gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. Quintilianus libro V.: Deprecatio rara admodum, et apud eos solos iudices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur.

*Quanti vult aestimare litem]* Aestimare enim litem, non solum est concipere conclusiones ad damna et interesse, ut loquuntur Pragmatici, sed etiam criminaliter intendere: qua ratione dixit Cicero in oratione pro Cluentio, aestimare litem capit. Dicitur autem tam ipse iudex quam actor litem aestimare. Plutarchus dicit Ciceronem accusatorem in causa Verris litem aestimasce septingentis quinquaginta millibus sestertiis. Gellius libro XX.: Aestimata lite iudex hominem pecuniae damnabat. Clementia ergo aestimat litem quanti vult: quia eius sententia non debet limitari ad actionis formulam.

FINIS.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

**PSYCHOPANNYCHIA**  
**M D XXXIV.**

**VIVERE APUD CHRISTUM**  
**NON DORMIRE ANIMIS SANCTOS**  
**QUI IN FIDE CHRISTI DECEDUNT.**

**ASSERTIO**  
**IOANNIS CALVINI.**

**ARGENTORATI PER WENDELINUM RIHELIUM**  
**ANNO M D XLII.**

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

PRAEFATIO IOANNIS CALVINI  
AD AMICUM QUENDAM.

Quum mecum pridem nonnulli pii viri agerent, et subinde etiam instarent ut publice aliquid ederem, ad eorum intemperiem compescendam, qui de animarum vel dormitione, vel interitu, imperite simul ac tumultuose hodie disputant: nullis tamen hactenus nec precibus, nec flagitationibus cesseram. Adeo mihi ab omni contentionis genere abhorrebat animus. Et erat tum sane quod excusarem: partim, quia sperabam fore ut ineptum istud dogma statim, nullo subscriptore, evanesceret: aut certe inter pauculos nugatores delitesceret: partim, quod mihi minime expeditum erat cum iis manum conserere, qui starent ab adversis partibus: quorum nec castra, nec tela, nec subterfugia noveram. Nondum enim quidquam ad me perlatum erat, praeter murmura et raucos strepitus: ut congregandi cum iis qui in arenam nondum prodierant, nihil prorsus aliud videretur, quam aerem clausis oculis verberare. At de successu longe aliter accidit quam speraveram. Siquidem blaterones illi tanta strenuitate in partes suas incubuerunt, ut aliquot iam hominum millia in eandem secum insaniam traxerint. Et ipsum etiam malum (ut video) incruduit. Quidam enim principio confuse garriebant, mortuorum animas dormire: neque definiebant quid per somnum vellent intelligi. Emerserunt postea *ψυχοτόνοι* isti, qui prorsus eas iugulant, sed sine vulnere. Illorum quidem errorem non ferendum, horum vero insaniam graviter coercendam existimo. Utrosque nec ratione nec iudicio niti. Verum id aliis persuadere non ita facile est: nisi vanitatem palam, et (quod dicitur) in os refellam: quae non nisi in eorum scriptis deprehenditur. Dicuntur autem suas nugas nescio quibus schedulis ventilare, quas mihi necdum videre contigit. Tantum ab amico notulas quasdam accepi: quibus perscripserat quae vel ex ore loquentium excipere illi cursim licuerat, vel undecunque colligere. Altera igitur excusatio quanquam ex dimidia parte sublata est, ob notulas: ex altera tamen mihi nunc quoque superest. Verum quum illis susurris et qua maxime pollent garrulitate clanculum se insinuantes non pauciores suo errore illaqueent, quam si excusis libris publice cursitarent: causam mihi habere non videor quin veritatis proditor dicar, si in tanta necessitate taceam ac dissimulem. Certe quando permagnum operae meae usum imperitoribus et minus exercitatis fore confido, nonnullum etiam et mediocriter eruditis, qui hoc argumentum levius attigerint: non dubitabo apud bonos omnes deponere fidei meae rationem: non illam quidem fortassis satis instructam omnibus et machinis quibus impetum in hostem faciat, et praesidiis, quibus arceat: sed non penitus exarmatam. Quod si per eorum importunitatem licuisset, qui haec somnia in vulgus spargunt, libens abstinussem me ab hoc genere certaminis: quod non tantum fructus refert, quantum insumit operae: quum praesertim hac in parte valere existimarem apostoli exhortationem, si quando usui foret, ut ad sobrietatem sapiamus. Et quanquam isti quam optamus sobrietatem nobis non permittunt, modice tamen, aut etiam intra modum disseram. Atque utinam inventa esset alia ratio, quae malum hoc plus nimio pullulascens mature recideret: ne, velut cancer, magis ac magis in dies serpat. Neque tamen nunc primum nascitur. Siquidem legimus Arabicos fuisse quosdam huius dogmatis autores: qui iactarent animam cum cor-

pore una emori, in die iudicii utrumque resurgere.<sup>1)</sup> Et aliquanto post tempore, Ioannem episcopum romanum, quem schola parisiensis ad palinodiam adegerit.<sup>2)</sup> Verum saeculis aliquot sopitum, nuper per aliquot ex Anabaptistarum faece excitatum, scintillas emisit. Hae vero longe lateque pervagatae, iustas faces accenderunt: quae utinam pluvia illa voluntaria, quam Dominus haereditati suaeg segregavit, primo quoque die extinguantur. Agam autem citra ullius odium, citra privatam cuiusquam contumeliam, denique citra conviciandi procacitatem, ut iure nullus queri debeat se laesum aut leviter etiam offendum esse. Quanquam spectare hodie aliquos licet, insana carpendi, mordendi, sugillandi libidine aestuantes, quos si summo digito attingas, flebiliter deplorant scindi unitatem ecclesiae, violari caritatem. His responsum sit, primum, nullam nos agnoscere unitatem, nisi in Christo: nullam caritatem, nisi cuius ipse sit vinculum. Esse ergo hoc caput conservanda caritatis, ut fides nobis sancta atque integra maneat. Deinde, nulla caritatis offensione hanc disputationem transigi posse: modo tales aures afferant, qualem ego linguam afferre statui. Tibi autem, ornatissime vir, hanc lucubratiunculam nuncupare, quum multis nominibus visum est: tum hoc praesertim uno, quod inter istos vanarum opinionum tumultus, quibus spiritus vertiginis ecclesiae quietem exagitant, firmum te ac integrum summa prudentia ac moderatione consistere perspicio.

Aureliae, M. D. XXXIV.

1) Euseb. Eccl. hist. l. 6. c. 26. (37). Aug. lib. de Haeres. c. 83.

2) Ioann. II. de quo Gerson in sermone pasch. priore.

## L E C T O R I B U S.

Quum disputationem hanc relegerem, animadverti, quaedam inter disserendi contentionem, paulo acrius atque etiam asperius esse dicta: quae aures quorundam delicatulas radere fortasse possent. Et quando scio nonnullos esse bonos viros, quibus de hoc somno aliquid in animum instillatum fuerit, vel nimia credendi facilitate, vel ignorantia scripturae, qua ad resistendum, pro tempore, non fuerint satis armati: in eorum offensionem (quoniam non pervicaciter peccant, nec malitiose) quoad per eos liceat, nolim incurrere. Volui igitur hic commodum eos praemonere, qui tales sunt, ne quidquam in contumeliam suam trahant; sed quoties aliqua dicendi libertate evehor, sciant me agere cum nequissimo illo Anabaptistarum grege (e quorum scatebris haec primum, ut dixi, aqua profluxit) qui nec sic quidem pro meritis suis tractantur. Cum quibus sic pugnam institui, ut si in posterum obluctentur, sensuri sint, si non valde peritum, certe constantei veritatis defensorem, et, ut mihi audeo de gratia Dei promittere, invictum. Quanquam nec contra eos, nisi modice, bilem effudi: ut qui ab omni procacitate et loquendi petulantia perpetuo abstinuerim: sicque fere ubique stylum temperaverim, ut docendo esset aptior, quam cogendo: trahere tamen posset eos qui duci nolint. Omnes certe in viam reducere magis quam incessere, animus fuit. Lectores autem, si qui futuri sunt, hortor et obtestor per nomen Dei et Domini nostri Iesu Christi, ut integrum iudicium ad legendum adferant, et animum, quasi paratam veritati sedem. Scio quantum gratiae habeat novitas ad demulcendas quorundam aures. Sed debemus cogitare, unam esse vocem vitae: quae est ex ore Domini. Huic uni patere debere aures nostras, quum de doctrina salutis agitur: caeteris omnibus clausas esse. Illius, inquam, verbum non novum est: sed quod fuit a principio, est, et semper erit. Et quam errant, qui verbum Dei, perverso usu et ignavia desitum, quum in lucem reddit, novitatis nomine infamant: tam peccant in alteram partem qui, velut arundines, quovis vento impelluntur: imo ad quamlibet levem auram nutant et inflectuntur. An hoc est Christum discere, quibusvis doctrinis, etiam veris, sine verbo Dei aurem accommodare? Si accipis ut ab homine: nonne et mendacia eadem facilitate hauries? Quid enim homo suum habet, nisi vanitatem? At non sic illi, qui quum receperissent verbum, scrutabantur scripturas, an haec ita se haberent (Act. 17, 11)? Praeclarum exemplum, si quidem imitaremur: verum nos nescio qua desidia, seu potius contemptu, verbum Dei recipimus: ut quum tres syllabas didicerimus, statim opinione sapientiae turgeamus, et tamen<sup>1)</sup> non crepemus, nobis divites ac reges. Hinc tam multos videoas, qui in omnium saeculorum ignorantiam tragice vociferantur, non minus ipsi indocti. Sed quid facias? Christiani videri volunt, et dicuntur: quia aliquot capita locorum communium delibarunt. Et quum nescire aliquid pudeat, de omnibus confidentissime, quasi ex tripode, respondent. Hinc rursum tot schismata, tot errores, tot fidei nostrae scandala. Qua occasione nomen ac verbum Dei blasphematur inter impios. Tandem (quod est caput mali) dum obstinate tueri

1) Sic 1542, et versio gallica: et toutesfois saps crever. Caeterae omnes habent: tantum. Quae si emendatio fuerit ex conjectura nata, optimam sane dixeris. Alluditur ad 1 Cor. 4, 8.

pergunt quod semel temere effutiverunt: tum oracula Dei consulunt, ex quibus errorum suorum patrocinia quaerant. Ibi, Deus bone, quid non invertunt? quid non depravant atque corrumpunt? ut ad sensum ~~vsum, lib non dico~~ inflectant, sed vi incurvent. Scilicet vere dixit poeta, Furor arma ministrat.<sup>1)</sup> Haecce est discendi via? versare ac volutare scripturas, ut libidini nostrae serviant? ut sensui nostro subiiciantur? quo nihil est stolidius. O santicam pestem, et certissima zizania inimici hominis: quibus vult occaecare verum semen. Et adhuc miramur unde tot sectae inter eos qui primum nomen evangelio dederant, ac renascenti verbo? Evidem terret me dira illo denunciatio: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum eius (Matth. 21, 43). Finem hic conquerendi faciam. Nam longum volumen conscribendum sit, si in hanc temporum perversitatem ad iustum modum declamare libeat. Nos vero, fratres, tot exemplis moniti, vel sero tandem sapiamus. Pendeamus semper ex ore Domini: et ne quid ad eius sapientiam addamus aut admisceamus de nostro, ne, velut fermentum, totam massam corrumpat, et salem etiam ipsum, qui in nobis est, infatuet. Praestemus nos Domino quales vult habere discipulos: pauperes, sapientiae nostrae inanes et vacuos, discendi avidos, sed nihil scientes, aut etiam scire volentes, nisi quod ille docuerit: quidquid est exoticum, non secus ac praesentissimum venenum fugientes. Volo autem et iis occurrere, qui consilium meum reprehendent: quod de re nihili concitem ingentes pugnas, atque istaec leptologemata cruentis dissidiis decidam. Non enim desunt qui sic me accipient. His responsum sit: quum ex professo tentatur Dei veritas, nullo modo ferendum esse, ne tantillum quidem ex ea delibari. Nec rem esse nihili aut contempnendam, videre tenebris diaboli extingui Dei lucem. Deinde, maioris momenti esse hanc causam, quam a multis credatur. Neque tamen (ut falso interpretantur) ad cruorem usque dissidet, qui aliorum erroribus non acquiescit. Reprehendi eorum curiositatem, qui has quaestiones, revera nihil aliud quam ingenii tormenta, exagitarent. Postquam autem moverunt hanc camarinam, reprimenda est eorum temeritas, ne supra veritatem invalescat. Id an effecerim, nescio, volui certe: et quod optimum habui, dedi. Alii, si quid melius habeant, in commune bonum conferant.

Basileae, M. D. XXXVI.

---

1) Vergil. Aeneid. 1, 150.

## QUAE CONDITIO ET VITA ANIMARUM POST HANC VITAM.<sup>1)</sup>

[fol. 1] In hac disputatione expolienda, ut non multum a me studii ponetur, ita dabitur opera, quo sensum meum, quam simplicissima perspicuitate, explicatum habeant lectores. Et sane quacunque de re instituatur disputatio, quum ubique plurimum refert, rem ipsam quae agitatur et scriptori probe perspectam esse et lectori perspicue definitam: ne aut ille suos fines transsilat ac longius oratione evagetur, aut hic in ipso disputationis campo sine certa via aberret: tum id vero praesertim in omni controversia diligenter observandum: quando hic non docendi solum habenda cura, sed cum adversario negotium est, qui certe (ut fere sunt hominum ingenia) nec vinci se unquam patietur nisi invitus, nec victum se fatebitur quam diu cavillando, restitando, tergiverando, ludere ac delicias facere poterit. Haec autem optima premendi, stringendique adversarii, ne qua elabatur, ratio est: si controversiae caput ita designate dilucideque explices, ac in medium proponas, ut, quasi in rem praesentem, manu consertum vocare possis.

De hominis ergo anima nobis certamen est, quam alii fatentur quidem esse aliquid: sed a morte, ad iudicii usque diem, quo e somno suo expergefiet, sine memoria, sine intelligentia, sine sensu dormire putant. Alii nihil minus quam substantiam esse concedunt: sed vim duntaxat vitae esse aiunt, quae ex spiritu arteriae, aut pulmonum agitatione ducitur: et quia sine corpore subiecto subsistere nequit, ideo una cum corpore interit et evanescit,<sup>2)</sup> donec totus homo suscitetur. Nos vero et substantiam esse ipsam contendimus, et vere post corporis interitum vivere, sensu videlicet et intelligentia praeditam: ac utrum-

que evidentibus scripturae testimoniis nos probaturos recipimus. Valeat hic quidquid est humanae prudentiae: quae multa quidem de anima cogitat, nihil tamen rectum<sup>1)</sup> percipit. Valeant philosophi: quibus, quum in omnibus paene rebus soleme sit, nec finem, nec modum facere dissensionibus, hic ita inter se rixantur, ut vix duos testes habiturus sis, in quacunque tandem opinione acquiescas. De animae facultatibus paeclare aliquot locis Plato: argutissime autem omnium Aristoteles disseruit. Verum quid sit anima, et unde sit, frustra ab iis et universa omnino sapientum natione quaeras, quanquam multo certe et prudentius et sincerius senserunt, quam isti nostri, qui se Christi discipulos esse gloriantur.

Prius tamen quam longius progrediamur, ansa logomachiae praecienda: quam arripere ex eo possent, quod nunc spiritum et animam promiscueocabimus id de quo nunc nobis controversia est: interdum, ut diversa, distincte enunciabimus. [fol. 2] Nam hic est usus scripturae, dare his verbis varias acceptiones: quarum plerique dum nullam habent rationem, ut quæque prima sibi occurrit, eam moribus tenent et pervicaciter defendunt. Aliquoties legerunt animam pro vita: id perpetuum putant et acerbe confirmant. At si quis contra obiciat versum Davidis (Psal. 49, 19): Anima eorum in vita benedicetur: interpretabuntur vitam in vita benedici? Similiter si locus ille ex Samuele proferatur: Per vitam tuam, et per vitam animae tuae (2 Sam. 11, 11): an istis verbis nihil significari dicent? Nos itaque scimus, animam saepissime pro vita poni, ut in istis locis: Anima mea in manibus meis (Psal. 119, 109); item: Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis (Iob. 13, 14)? item: Nonne, anima pluris est quam esca (Matth. 6, 25)? item: Stulte, anima tua hac nocte repetetur abs te (Luc. 12, 20); et similibus, quos isti animidae semper in ore habent. Non tamen est, quod

1) *Inscriptio haec legitur in editionibus antiquioribus 1542—1563. Abest a sequentiibus 1576—1611. Amstelodamensis denique hoc loco utrumque titulum iunctim exhibet: Psychopannychia qua refellitur quorundam imperitorum error qui animas post mortem usque ad ultimum iudicium dormire putant, simulque docetur quae sit conditio etc.* 2) *Sic 1542 et versio gallica. Recentiores omnes inde a 1545 scribunt: interire et evanescere fingunt.*

1) *Sic sola 1542, quacum consentit Gallus qui habet: pur et droit. Caeterae legunt: certum.*

sibi inde tantopere placeant: siquidem animadvertere debebant, illuc metonymicō<sup>1)</sup> animae nomen, pro vita usurpari: quod anima causa sit vitae, quodque vita constet anima: quam figuram inter elementa pueri quoque perdiscunt. Quis vero non miretur tantam hominum confidentiam, qui et sibi de se magnum aliquid persuadeant, atque aliis etiam videri velint, qui tamen docendi sunt tropos et loquendi schemata? Scimus et pro voluntate seu<sup>2)</sup> desiderio accipi, non absimili ratione: nempe quia voluntatis et desiderii sedes est. Quo sensu dicta est anima Ionathae conglutinata animae Davidis (1 Sam. 18, 1); et anima Sichem adhaesisse cum Dina, filia Jacob (Gen. 34, 3); et Lucas dicit (Act. 4, 32), multitudinis credentium fuisse cor unum et animam unam. Quis vero non videat istis hebraismis multam vim inesse? Benedic anima mea Domino (Psal. 103, 1; 104, 1). Magnificat anima mea Dominum (Luc. 1, 46). Dic animae meae, salus tua ego sum (Psal. 35, 3): plusque nescio quid exprimi, quam si dictum esset, sine adiecto: Benedic Dominum; Magnifico Dominum; Dic mihi, salus tua ego sum. Aliquando simpliciter pro homine animato. Ut, quum dicuntur septuaginta sex<sup>3)</sup> animae (Act. 7, 14) descendisse cum Iacob in Aegyptum. Item: Anima quae peccaverit, ipsa morietur (Iezech. 18, 4). Anima quae declinaverit ad magos et ariolos, morte morietur (Lev. 20, 6), etc. Nonnunquam et flatum vocari, quo spirant ac respirant homines: in quo vitalis corporis motus residet. Quo modo hos locos accipio: Anxietas apprehendit me, etiamsi tota anima mea adhuc in me est (2 Sam. 1, 9). Et: Anima eius in ipso est (Act. 20, 10). Et: Revertatur anima pueri intra viscera eius (1 Reg. 17, 21). Quin et eadem loquendi forma, qua vulgo dicimus animam efflari et exspirari, scriptura animam egredi dicit. Ut de Rachel (Gen. 35, 18): Egrediente autem anima (nam ipsa moriebatur) vocavit nomen pueri, Ben-oni.<sup>4)</sup> Scimus, spiritum esse flatum ac ventum, et hac ratione vocari a Graecis frequentius *πνοήν*. Scimus, pro re vana et nihili usurpari [fol. 3] apud Iesaiam: Concepimus et parturivimus, et peperimus spiritum (Ies. 26, 18): saepissime vero, quod ex spiritu Dei regeneratum est in nobis. Nam quum Paulus scribit, spiritum concupiscere adversus carnem (Gal. 5, 17): non intelligit, animam pugnare

cum carne, aut rationem cum cupidine: sed animam ipsam, quatenus a spiritu Dei regitur, secum luctari, quatenus adhuc spiritu Dei vacua est, suisque cupiditatibus addicta. Scimus, dum simul iunguntur, per animam, voluntatem designari: per spiritum vero, intellectum. Sic loquitur Iesaias, Anima mea desideravit ad te in nocte: sed et in spiritu meo intra me vigilabo ad te (Ies. 26, 9). Et Paulus, quum precatur ut Thessalonenses integro sint spiritu, et anima et corpore, ita ut in nullo possint culpari in adventu Domini nostri Iesu Christi (1 Thess. 5, 23): hoc enim vult, ut recta omnia cogitent et velint, nec membra sua exhibeant arma iniquitatis peccato. Eodem pertinet, quod scribit alibi apostolus ipse:<sup>1)</sup> sermonem Dei vivum esse, et penetrantiorum omni gladio ancipi, pertingentem usque ad divisionem animae et spiritus compagumque et medullarum, discretorem cogitationum cordis (Hebr. 4, 12). Quanquam in hoc postremo loco nonnulli per spiritum malunt intelligere essentiam illam cui inest ratio ac voluntas, de qua nunc disceptamus: per animam autem, vitalem motum, et sensus quos philosophi superiores et inferiores vocant, id est, *ώμας καὶ αἰσθητικός*. Verum quum utrumque plurimis locis essentiam immortalem, quae in homine vitae causa est, significet, non rixandi causas captent ex nominibus, sed rem ipsam percipient, quoque significetur nomine. Id vero quam verum sit, nunc doceamus.

Incipiemus autem ab ipsa hominis creatione, in qua perspiciemus, qualis ab initio factus fuerit. Sacra historia nobis, ante creatum hominem, commemorat Dei consilium de faciendo ipso ad imaginem et similitudinem suam (Gen. 1, 26). Quae verba de corpore nullo modo accipi possunt. In quo, tametsi mirabile opus Dei, prae caeteris corporibus creatis, apparet, nulla tamen eius imago effulget.<sup>2)</sup> Quis enim haec loquitur: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? nempe, Deus, qui spiritus est, qui nulla corporis effigie repraesentari potest. Atqui, ut imago corporea, quae faciem externam nobis refert, debet ad vivum exprimere omnia lineamenta et omnes ductus, ut ex pictura vel sculptura concipiamus, quaecunque in exemplari conspici possunt: ita haec imago Dei debet, sua similitudine, aliquam Dei cognitionem in animis nostris informare. Audio quosdam eorum sic nugari, ut dicant imaginem Dei referri ad imperium quod traditum [fol. 4] est homini in beluas: quod homo ea in parte simile aliquid cum Deo habeat: cuius imperium est in omnia. In quem lapsum Chrysost-

1) Sic 1542 et 1545. Caeterae: metonymice. 2) 1542 et 1545 habent ceu, Gallus: et. 3) Sic scribendum testibus libris antiquioribus 1542. 1545. 1552 et versione gallica. In numero autorem memoria fecerit qui Act. 7, 14 et apud LXX Gen. 46, 27; Exod. 1, 5 septuaginta quinque animarum dicitur. Sexaginta sex habent recentiores inde a 1563. Quem numerum corrector ex Gen. 46, 26 desumpit, ipso hoc loco in margine laudato. Antea omnes adscriperant Gen. 49, postea 1576 ss. Exod. 1, 5. 4) Ben-oni 1542. 1545. Caeterae: Ben-oni. Sic quoque G.

1) Sic 1542 et 1545. Ipse omittunt caeterae omnes. Gallus habet: l'Apostre aux Hebreux. 2) Ambrosius libro VI hexaem. Augustinus c. 4. de trinitate et alibi.

mus quoque incidit, dum nimia contentione provehit contra insanos anthropomorphitas. Sed scriptura non patitur ~~sic se libet~~ eludim<sup>1)</sup> Nam Moses, ne quis in hominis carne hanc imaginem constitueret, prius e limo terrae corpus formatum narrat, sed nullam imaginem Dei referens. Deinde ait inditum luteo corpori vitae spiraculum: ut tum demum eluceret in homine Dei imago, quum omnibus suis partibus constaret. Quid igitur? dixerit aliquis, an spiraculum illud vitae, imaginem esse Dei putas? Non sane. Quanquam id cum multis, nec fortasse improbe, dicere poteram.<sup>1)</sup> Quid enim, si contendam verbo Dei constitutum discrimen, quo istud vitae spiraculum a beluarum animis distinguatur? Unde enim habent ortum aliorum animalium animae? Producatur (inquit Deus) terra animam viventem, et caetera. Ita in terram resolvantur, quae de terra emerserunt. Anima vero hominis non de terra est, sed ex ore Domini: hoc est ex virtute secreta. Sed hic, inquam, non haereo, ne pugnam mihi faciant: sed unum tantum obtinere volo: imaginem ipsam esse extra carnem; alioqui, non admodum praeclarum foret elogium hominis, quod ad imaginem Dei factus sit: quod tamen nobis tantopere scripturis commendatur, ac subinde repetitur. Quid enim opus erat, Deum deliberantem inducere, et quasi in consilium mittere, si vulgare aliiquid facturus erat? Nam reliqua omnia ut essent, dixit, et facta sunt. Quum ad hanc imaginem ventum est, velut singulare specimen editurus, sapientiam suam et virtutem advocat, et secum cogitat, antequam manum admoveat operi. Hos ergo loquendi tropos, qui ἀνθρωποπαθῶς, ad balbutie nostrae modulos, Dominum ἀνεγέρευντος nobis figurant, an de nihilo tam anxie Moses affectavit? ac non potius imaginem Dei, quae in homine relucet, magnifice commendavit? nec semel dixisse contentus, saepius reperit. Quidquid nugentur vel philosophi, vel isti somniatores, habemus nihil esse quod imaginem Dei ferat, nisi spiritum, ut Deus spiritus est. Hic non est agendum coniecturis, ut inquiramus, quae sit huius imaginis similitudo ad suum archetypum: quando id facile ex apostolo (Col. 3, 10) discere licet: qui dum praecepit ut induamus novum hominem, qui renovatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creavit illum, liquido ostendit, quae sit haec imago, aut in quo consistat. Et alibi (Ephes. 4, 24) dum scribit: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis. Quae omnia quum uno verbo comprehendere volumus, dicimus hominem, secundum spiritum, factum esse participem sapientiae, iustitiae [fol. 5] et bonitatis Dei. Hoc sequuti sunt duo sacri scrip-

tores: quorum alter (Eccles. 17, 1), quum hominem distribuat in duas partes, corpus de terra sumptum, et animam, ad quam refert Dei imaginem, breviter complexus est quod Moses longius prosequutus fuerat. Creavit, inquit, Deus hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Alter vero (Sap. 2, 23), quum exegetice vellet designare, quo pertineret Dei imago, vocavit hominem inextirminabilem, qui creatus esset ad imaginem Dei. Quorum scriptorum auctoritate adversarios nostros non valde premerem, nisi eos ipsos nobis opponerent. Qui tamen utcunque aliquo loco nobis esse debent: si non ut canonici, certe ut veteres, ut pii, ut multorum suffragiis recepti. Verum eos omittamus, illam imaginem Dei in homine retineamus, quae, nisi in spiritu, sedem habere non potest.

Sed iam, quae apertius de anima scriptura loquitur, audiamus. Quum de animarum salute Petrus loquitur, et quum carnalia desideria militare adversus animam dicit, et quum castificare animas nostras praecepit, et Christum vocat episcopum animarum nostrorum (1 Petr. 1, 9. 22 et 2, 11. 25), quid sibi vellet, nisi animae essent quae salvarentur, quae oppugnarentur a pravis desideriis, quae castificantur, quae ab episcopo suo Christo regerentur? Et in historia Iob legimus: Quanto magis qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum (Iob. 4, 19)? Quod sane de anima intelligemus dici, si proprius animadvertisimus<sup>1)</sup>, quae in corpore luteo habitat. Non enim hominem vas luteum appellavit, sed dixit<sup>2)</sup> vas luteum incolere: quasi bona pars hominis (quae est anima) domicilio illo terreno contineatur. Sic Petrus: Iustum, inquit, arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitionem: quum sciām brevi futurum, ut deponam hoc meum tabernaculum (2 Petr. 1, 13). Qua loquendi forma, nisi valde stupidi sumus, possumus intelligere et aliquid esse in tabernaculo et aliquid quod exuatur tabernaculo: vel (ut ait ipse) tabernaculum deponat. Eandem distinctionem carnis a spiritu manifestam statuit autor epistolae ad Hebraeos: quum parentes carnis nostra, a quibus geniti sumus, nominat: unum autem Deum, patrem spirituum (Hebr. 12, 9). Et paulo post (ibid. 12, 22), quum regem coelestis Ierusalem Deum nominasset, subiicit cives, angelos, et spiritus iustorum perfectorum. Nec video quomodo aliter intelligi possit illud Pauli (2 Cor. 7, 1): Has igitur habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Nam satis constat, illuc non esse collationem, qua alibi uti solet: quum

1) *Sic sola Ed. 1542, ad stipulante versione gallica:* Si nous considerons cela de bien pres, il le faut entendre de l'ame. *Caeterae legunt:* Quod sane de anima, si proprius animadvertis, dici intelliges. 2) dicit 1552 seqq. (il a dit).

1) Hilarius in Psal. 63. Augustinus libro de spiritu et anima c. 39. Basilus Hexaem. hom. 8.

spiritui inquinamentum tribuat, quo nomine aliis locis significat meram puritatem. Addam et locum alterum, <sup>v</sup>~~quoniam~~ video eos, qui calumniari volent, protinus ad suas glossas delapsuros. Dum enim ait (1 Cor. 2, 11): [fol. 6] Quis est hominum, qui sciat quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita, et quae sunt Dei nemo cognovit, nisi spiritus Dei: poterat dicere hominem scire quae sua sunt: sed partem illam verbo appellavit, in qua residet vis cogitandi et intelligendi. Atque etiam, quum dicit, spiritum Dei testimonium reddere spiritui nostro, quod filii Dei sumus (Rom. 8, 16), nonne eadem loquendi proprietate usus est? Quid, quod uno verbo convincere eos potui?<sup>1)</sup> Scimus enim, quam saepe Christi voce damnatus sit error Sadducaeorum, cuius partem esse Lucas in Actis (23, 8) scripsit, quod spiritum non esse dicenter. Verba sunt: Sadducaeui autem dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum: Pharisei vero haec omnia confitentur. Vereor ne de spiritu sancto cavitentur haec intelligi, aut de angelis. Cui obiecto facile est occurrere. Nam et angelos seorsum possunt: et certum est Pharisacis illis nullam fere fuisse spiritus sancti notitiam. Atque etiam id melius consequentur, qui graece norunt: Lucas enim sine affectione articuli, dixit πνεῦμα, adiecturus indubie, si de spiritu sancto loquutus esset. Hoc si non illis os obstruit, non video qua ratione vel trahi, vel duci possint: nisi forte dicant, neque damnatam fuisse ex eo Sadducaeorum opinionem, quod spiritum negarent: neque probatam Pharisaeorum, quod asservent. Cui cavillo ipsa evangelistae verba obviant. Ubi enim Pauli confessionem posuit, Pharisaeum se esse: subdit eam Pharisaeorum sententiam. Aut igitur oportet callidam et malitiosam fuisse Pauli simulationem: (quod recipi non debet in confessione fidei) aut cum Pharisaeis de spiritu sensisse. Quod si nobis fidem faciunt historiae, hoc perinde inter apostolos certum erat ac constitutum, atque mortuorum resurrectio, aut aliquod simile fidei nostrae caput. Non pigebit hic adscribere verba Polycarpi, viri omnibus et dictis et factis spirantis martyrium: qui et discipulus apostolorum fuit, et ita sincere quod ab illis acceperat, posteris tradidit, ut nihil unquam immisceri fermenti passus fuerit.<sup>2)</sup> Is igitur inter multas praeclaras voces, quas flammæ admotus edidit, eo die representandum se dixit coram Deo in spiritu. Quo eodem tempore Melito episcopus Sardensis,<sup>3)</sup> vir paris sinceritatis, librum scripsit de corpore et anima: qui si hodie extaret, superfluus esset hic labor. Adeo autem haec sententia meliore illo saeculo valuit, ut Tertullianus<sup>4)</sup> reponat eam

1) potuit, 1576 seqq. 2) Euseb. H. e. IV, 15. 3)  
Ibid. c. 26. 4) Lib. de resurr. carnis.

inter communes et primas animi conceptiones, quae a natura<sup>1)</sup> communiter apprehenduntur. Tametsi iam multis rationibus pugnatum est, quae evincere, nisi fallor, debuerunt quod contendebant: nempe, animam aut spiritum hominis, substantiam esse a [fol. 7] corpore distinctam: quae tamen nunc subiciuntur, certiores adhuc eius rei fidem facient. Venio enim ad id, quod secundo loco a me propositum erat: Eam ipsam animam ab interitu corporis superstitem manere, sensu ac intelligentia praeditam. Fallitur autem qui existimat me hic aliud quidpiam affirmare, quam animæ immortalitatem. Si quidem qui animam vivere fatentur, illamque simul omni sensu spoliant, prorsus animam fingunt, quae nihil animae habeat: aut animam ipsam a se ipsa avellunt: quum eius natura, sine qua consistere ullo modo nequit, sit moveri, sentire, vigere, intelligere: atque (ut ait Tertullianus)<sup>2)</sup> animæ anima, sensus sit. Istam ergo immortalitatem ex scriptura dicamus.

Quum Christus suos hortatur, ne timeant eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt; sed eum timeant, qui quum occiderit corpus, animam potest mittere in gehennam ignis (Matth. 10, 28; Luc. 12, 5): an non innuit animam superesse post mortem? Benigne vero in eo nobiscum egit Deus, quod animas nostras istorum arbitrio non permisit, qui adeo ex facili eas trucidant: aut certe, quia non possunt, conantur. Tyranni torquent, secant, urunt, verberant, suspendunt, sed corpus: solus est Deus, qui ius habet in animam, ut eam mittat in gehennam ignis. Aut igitur anima reliqua est post mortem: aut falsum est, tyrannis potestatem non esse in animam. Hic (ut audio) respondent, animam quidem ad praesens occidi, dum mors infligitur: sed non perire, quia futurum est, ut suscitetur. Qua via si<sup>3)</sup> evadere volunt, concedant oportet neque corpus occidi, quod etiam suscitabitur. Et quia utrumque conservatur in diem iudicii, neutrum perit. Verbum autem Christi fatetur corpus occidi, animam esse salvam testatur. Hac dicendi forma Christus utitur de sua ipsius morte, quum ait: Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud (Ioann. 2, 19). Dicebat autem de templo corporis sui: qua ratione animam ab eorum potestate eximit, quam etiam moriens in manus patris commendat, ut Lucas scribit et David praedixerat (Luc. 23, 46; Psal. 31, 6). Et Stephanus (Act. 7, 59) eius exemplo: Do-

1) Sic 1545—1563. Princeps nostra mendose scribit: natura a. Recentiores 1576 seqq. omitunt praepositionem. Qui buscum consentire videtur Gallus qui habet: lesquelles on appreheude communement de nature. 2) Lib. de carne Christi. 3) Si, omitunt 1552 seqq. Versio gallica exprimit: S'ils veulent eschapper.

mine Iesu, suscipe spiritum meum. Habent hic quod garriant, Christum patri, et Stephanum Christo vitam commendare, in diem resurrectionis custodientiam. Sed verba aliter sonant, praesertim illa Stephani. Et evangelista addit (Ioann. 19, 30) de Christo, quod inclinato capite tradidit spiritum: quae verba ad anhelitum aut pulmonum agitationem respicere non possunt.

Nec minus evidenter apostolus Petrus, animas a morte et esse, et vivere ostendit: quum tradit, Christum his, qui in carcere erant, spiritibus praedicasse: nec spiritibus modo piorum, remissionem ad salutem, sed impiorum quoque spiritibus [fol. 8] confusionem (1 Petr. 3, 19). Sic enim illum locum interpretor, qui multa ingenia torsit, et persuasurum me bonis omnibus confido. Nam quum de humilitate crucis Christi loquutus esset, ostendissetque pios omnes oportere ad eius imaginem conformari, ne desperatione conciderent, continuo attexit resurrectionis mentionem, ut doceat quibus tribulationibus futurus sit finis. Commemorat enim, Christum non succubuisse morti: sed ea subacta victorem emerisse. Id suis verbis dicit mortificatum quidem carne, vivificatum tamen spiritu: eodem scilicet sensu, quo Paulus scribit,<sup>1)</sup> passum fuisse in humilitate carnis, excitatum autem virtute spiritus. Iam ut virtutem ipsam ad se quoque pertinere fideles intelligerent, subiungit Christum hanc virtutem erga alios exseruisse: neque erga vivos modo, sed etiam mortuos: deinde non tantum erga servos suos, sed incredulos quoque ac<sup>2)</sup> gratiae suaee contemptores. Porro intelligamus defectivam esse orationem, deesseque ex duobus membris alterum: cuius generis multa sunt in scripturis exempla, praesertim ubi multae sententiae una clausula colliguntur, quemadmodum hic factum est. Nec vero miretur quisquam includi carcere sanctos patres, qui redemptionem Christi expectabant. Quia enim, veluti sub nube et umbra, eminus lucem prospiciebant (veluti qui reliquias diei vident sub serum crepusculum, aut diem venientem sentiunt ante auroram) noc adhuc habebant exhibitam sibi Dei benedictionem, in qua requiescerent; eorum exspectationem vocavit carcerem. Erit igitur sensus apostoli: Christum in spiritu iis qui in carcere erant spiritibus praedicasse, hoc est, virtutem redemptionis per Christum partae, mortuorum spiritibus apparuisse, ac exhibitam esse. Hic deest alterum membrum, quod ad pios pertinebat, qui hunc fructum agnoverunt et percepérunt. Exprimit autem de incredulis qui eundem ipsi hunc nuncium

1) Quemnam Pauli locum autor laudare voluerit iam veteres editores ignorarunt, neque ullum margini adscribunt. Fortasse de 1 Tim. 3, 16 coguavit. 2) Ed. 1542 mendose: Sed incredulosque gratiae.

recepérunt in confusionem. Viderunt enim unam esse redēptionem: a qua exclusi, quid aliud possent quam desperare? Video istos iam fremere ac mutare, glossam hanc esse e capite meo effictam: his legibus se non subiici. Non addicāt ergo eos meis legibus, sed hoc tantum rogabo, annon spiritus carcere clausi, spiritus sint? Clarius est quod apud eundem scriptorem legitur: In hoc mortuis praeditum esse evangeliū, ut iudicentur secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu (1 Petr. 4, 6). Videlis, ut carne in mortem tradita spiritum asserat in vitam? Quum enim relatio sit vitae ac mortis, *καὶ ἀντιθέσει*,<sup>1)</sup> alterum mori clarum est, alterum vivere.

[fol. 9] Id ipsum ex Solomone discimus: qui mortem hominis describens, longo discrimine animam a corpore separat (Eccles. 12, 7). Donec, inquit, revertatur pulvis in terram unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Scio eos parum affici hoc argumento: quod dicunt vitam redire ad Deum, qui est fons vitae: itaque nihil amplius esse. Sed verba ipsa clamant, sibi vim inferri,<sup>2)</sup> ut nullum sit operae pretium refellere hanc argutiolam, indignam et lectu et auditu. Iam hoc significet illis restet,<sup>3)</sup> animas redire ad fontem vitae suae per somnum. Atque huic sententiae respondet quod est apud Esdram, quem equidem scriptorem eis non opponerem, nisi ipso valde niterentur. Audiant igitur suum Esdram: Terra reddet quae in ea dormiunt, et in silentio habitant: et promptuaria reddent quae illis commendatae sunt animae (4 Esd. 7, 32). Nugantur, promptuaria esse prōvidentiam Dei: animas vero, cogitationes: ut liber vitae offerat cogitationes in conspectum Dei. Quae in hoc tantum ab eis dici constat, quia, quum tacere pudeat, nihil habent melius quod dicant. Quod si ad hunc modum liberet scripturas circumvolvere, pervertere omnia promptum esset. Nihil tamen hic (quanquam alia multa suppetunt) de meo contra proferam, quando se ipse scriptor a calumnia tuetur. Paulo enim ante dixerat: Nonne de his interrogaverunt animae istorum in promptuarīis suis dicentes: Usque quo Domine speramus sic? quando veniet fructus areae mercedis nostrae? etc. (4 Esd. 4, 35). Quae sunt istae animae, quae interrogant

1) Inde a 1552 latine scribitur: per antithesin. Versio gallica haec verba silentio praeterit. 2) Sibi hoc modo vim inferri, legitur in ed. 1545 et seqq. omnibus. Gallus facit cum textu antiquiore. 3) Locus corruptus iam veteribus visus est: 1542 habet virgulam post: restet, et inde Gallus vertit: il reste que ceci selon eux signifie. — 1545 virgulam ponit post: illis. Quae omnia quum satis inconcinne dicta videbentur Gallasius 1552 pro: restet, scriptis: oportet, quod recentiores omnes servarunt.

et sperant? Hic cuniculum alium effodere eos oportet, si subterfugere volunt.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Veniamus nunc ad historiam divitis et Lazari (Luc. 16, 22): quorum alter praeteritis huius mortalitatis laboribus et aerumnis, tandem in sinum Abrahae delatus est; alter in tormenta delapsus: ille tormenta patitur,<sup>1)</sup> hic recipit consolationem. Magnum chaos interpositum inter huius gaudia, et illius afflictionem. Suntne haec somnia portae corneaee, de qua poetae fabulantur? Verum, ut habeant effigium quo elabantur, faciunt ex historia parabolam: aiuntque fictionem esse, quidquid de Abraham, dite, paupere, veritas loquitur. Tantum reverentiae et Deo et verbo eius deferunt. Cedo, proferant unum duntaxat in scriptura exemplum, ubi in parabola nomine aliqua vocetur. Quid sibi haec verba volunt? Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Aut verbum Dei mentiri oportet, aut veram esse narrationem. Id etiam animadverterunt veteres scripturae interpretes. Nam Ambrosius: Narratio est, inquit, magis quam parabola, quia nomen additur. Id ipsum sentit Gregorius. Certe Tertullianus, Irenaeus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, quasi historiam referunt. Ex quibus Tertullianus arbitratur in divitis persona, Herodem signari; [fol. 10] in Lazaro, Ioannem Baptistam. Verba autem Irenaei sunt: Non fabulam narravit nobis Dominus, Lazari et divitis, etc. Et Cyrilus quum<sup>2)</sup> respondet Arianis, qui ex eo loco machinam struebant adversus Christi divinitatem, non refellit ut parabolam, sed ut historiam interpretatur.<sup>3)</sup> Hoc magis ridiculum, quod errori suo praetendunt Augustini nomen, quem cavillantur in hanc opinionem consensisse: opinor, quia quodam loco<sup>4)</sup> dixerit: in parabola per Lazarum Christum intelligendum: per divitem Phariseos: quum nihil aliud significet quam narrationem transferri ad parabolam, si Lazari persona Christo, divitis, Pharisaeis attribuatur. Hic mos est eorum, qui in praeiudicatam opinionem toto impetu feruntur: quum vident nihil sibi esse stabile, quo innitantur, non syllabarum decipulas, sed ipsos literarum apices in suum commodum rapiunt. Ne quid tamen adhuc obstrepant, alibi ipse scriptor profiteretur, se pro historia recipere. Eant nunc et vendant suos fumos in media luce. Neque tamen effugere possunt, quin semper in eosdem incident laqueos. Ut enim concedamus esse parabolam (quod minime obtinere possunt) quid aliud evincent, quam esse collationem, quae sine veritate stare non pos-

test? Id si nesciunt magni isti theologi, discant ex elementis grammaticorum: et parabolam invenient esse similitudinem, sumptam ex veritate. Sic, quum dicitur, hominem quandam habuisse duos filios, quibus divisit suas portiones, oportet esse in rerum natura et hominem, et filios, et haereditatem, et divisionem portionum. Denique, haec est perpetua lex parabolae, ut primum concipiamus rem nudam, ut proponitur: deinde, ex ea conceptione deducamur ad finem parabolae: hoc est, ad rem ipsam, cui accommodatur similitudo. Imitentur Chrysostomum, hac in re suum Achillem. Existimavit quidem ille esse parabolam, ex qua tamen veritatem saepe elicit.<sup>1)</sup> Ut quum inde probat, mortuorum animas in certis esse locis, ostendit gehennae gravitatem et delitiarum perniciem. Ne hic mihi multum verborum perdendum sit, consulant sensum communem, si quem habent: et facile assequuntur vim atque rationem parabolae.

Et quando satisfieri, quantum in nobis est, omnibus volumus: nonnihil disseremus hoc loco de animarum quiete, quae in certa fide promissionum Dei, a corporibus solvuntur. Siquidem per sinum Abrahae, nihil aliud quam quietem illam scripturae nobis designare volunt. Primum nos quietem vocamus, quam illi somnum. Neque sane abhorreremus<sup>2)</sup> a somni nomine, nisi iam eorum mendaciis corruptum, et paene pollutum esset. Deinde per quietem, non desidiam, aut veteranum, aut aliquid simile ebrietatis, quale animae affingunt, intelligimus: sed conscientiae tranquillitatem et securitatem: quae quum semper fidei adiuncta sit, nunquam tamen perficitur, aut suis numeris constat, nisi post mortem. Audit [fol. 11] quidem ex ore Dei benedictiones fidelium ecclesia, quae hanc terram adhuc, velut advena, incolit. Ambulavit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta (Ies. 32, 18). Quae et ipsa rursus gratias agens occinit benedicenti Domino: Domine, dabis nobis pacem (ib. 26, 3). Omnia enim opera nostra operatus es nobis. Hanc pacem habent accepto evangelio fideles, quem Deum, quem prius iudicem cogitabant, sibi patrem esse vident: se pro filiis irae, filios gratiae: effusa in se viscera misericordiae Dei; ut iam nihil aliud a Deo exspectent, quam bonitatem et mansuetudinem. Verum, quoniam militia est, vita hominis super terram (Iob. 7, 1), necesse est eos, qui sentiunt et aculeos peccati et carnis reliquias, in mundo pressuram habere, in Deo autem consolationem: atque ita non plane animo esse composito et imperturbato. Verum, quum carnem et concupiscentiam (quae, ceu<sup>4)</sup>

1) In hoc commate plura 1576 seqq. vitio operarum interciderunt. 2) dum, 1552 seqq. 3) Tertull. lib. adversus Marcion.; Irenaeus libro IV. contra haeres. cap. 4; Origen. hom. 5. in Ezech.; Cypr. epist. 3; Hieron. in Esa. cap. 49. et 65; Hilarius in Psalm. 3; Cyril. in 1. cap. Ioann. cap. 22. 4) Lib. VIII. de Genesi ad lit.

1) Hom. 25. in Matth.; Homil. 57. in eundem. In paratenesi ad Theod. lapsum. Quanquam homil. 4. in Matth. videtur narrare ut historiam. 2) abhorremus, 1576 seqq. quibus hic adstipulatur versio gallica. 3) 1542 et 1545: seu.

hostes domestici, eorum pacem infestant) exuerint: tunc vero demum acquiescent, et apud Deum resident. Sic enim <sup>Nihil</sup> <sup>Prophetarum</sup> propheta (Ies. 57, 1): Iustus perit, et non est qui recognitet in corde suo: et viri misericordiae colliguntur: a facie enim malitiae collectus est iustus. Veniat pax: requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua. Annon eos ad pacem vocat, quibus pax fuerat domestica? Sed quia illis pax fuerat apud Deum, pugna cum mundo: eos ducit in altiore gradum pacis. Ideo Ezechiel (1, 28) et Ioannes (Apoc. 4, 3), quum vellent describere thronum gloriae Dei, circumdant eum iride, quam scimus esse signum foederis inter Deum et homines (Gen. 9, 13). Quod alio loco clarius idem Ioannes docuit: Beati, inquit (Apoc. 14, 13), mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, requiescant<sup>1)</sup> a laboribus suis, etc. Hic igitur ipse est sinus Abrahae. Ipse enim est qui promissam sibi in suo semine benedictionem, ita prompto animo complexus est, ut nihil dubitaverit, quin verbum Dei virtus esset ac veritas. Et quasi iam opere Deus implevisset quod promiserat, semen illud benedictum, non minus certa fide exspectavit, quam si manibus contrectasset, ac omnibus animi corporisque sensibus percepisset. Itaque testimonium reddit illi Dominus noster, quod viderit diem suum et gavisus sit (Ioann. 8, 56). En pax Abrahae, en quies, en somnus: modo non polluatur foedo istorum dormitantium ore honestum nomen. Quid enim suavius potest habere conscientia in quo secure acquiescat, hac pace: quae illi coelestis gratiae thesauros aperit, quae dulcedine calicis Domini inebriat? Quid, o dormitabundi, quum auditis ebrietatem, annon vertiginem capitis, gravedinem, crassum carnalemque somnum vestrum cogitatis? Haec enim ebrietatem sequuntur incommoda. Haec vos quidem, pro vestra crassitie: at intelligunt theodidacti, eodem dicendi usu somnum vocari, tranquillitatem conscientiae, quam Dominus suis largitur in domo pacis: quo [fol. 12] ebrietas affluentia dicitur, qua Dominus suos satiat in domo opulentiae. Si Abraham pacem hanc possedit, medius adhuc inter hostium incursus, labores, discrimina, imo ferens secum suam carnem, hostem domesticum quo nihil est perniciosius: quantum putamus eius pacem, ubi extra hostium ictus, telorumque iactus evolavit? Miretur nunc aliquis, cur requiescere in sinu Abrahae dicantur electi Dei, qui ex hac vita ad Deum suum transierunt: nempe, quod in sede pacis recipiuntur cum Abraham patre fidelium, ubi Deo fruuntur ad satietatem, citra fastidium. Quamobrem, non abs re Augustinus quodam loco:<sup>2)</sup> Quemadmodum, inquit, finem beatorum appellamus vitam aeternam, ita possumus vocare pa-

cem. Nihil enim melius dare potest, qui nihil aut maius aut melius se ipso dare potest, qui Deus est pacis. Posthac ergo, quum de sinu Abrahae sermo fieri, non rapiant ad suum somnum:<sup>1)</sup> quoniam eorum vanitatem arguit ac convincit scripturae veritas. Est, inquam, requies illa, coelestis Ierusalem, hoc est visio pacis: in qua Deus pacis dat se videndum suis pacificis, iuxta Christi promissum (Math. 5, 8 ss.). Quoties autem huius pacis meminit in sacris literis spiritus, adeo familiariter utitur dormiendi et quiescendi tropo, ut nihil sit magis obviuum. Exsultabunt, inquit David (Psal. 149, 5), sancti tui, laetabuntur in cubilibus suis. Alter vero (Ies. 26, 19 ss.): Vivent mortui tui, interficti tui resurgent. Experciscimini, et laudate habitatores pulveris: quia ros pratorum ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. Vade popule mi, intra in tabernacula tua, clande ostia tua super te, abscondere ad modicum, donec pertranseat indignatio. Quin hebraica lingua hoc verbum usurpat ad significacionem cuiusvis securitatis ac fiduciae. David rursum: In pace in id ipsum dormiam et requiescam (Psal. 4, 9). Et propheta (Osee 2, 20): Percutiam foedus in die illa cum bestia agri et cum volvcre coeli, et cum reptili terrae: arcum, et gladium, et bellum conteram de terra: et dormire eos faciam absque terrore. Moses vero (Levit. 26, 6): Dabo pacem in finibus vestris, et non erit qui exterrreat. In libro vero Iob: Et habebis fiduciam proposita tibi spe, et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui exterrreat, et deprecabuntur faciem tuam plurimi (Iob. 11, 18). Cuius rei nos latinum quoque proverbium admonet: Dormire in utramque aurem, pro secure agere. Dormiunt igitur et pacem habent viventium animae, quae verbo Domini acquiescent, nec praevire Dei sui voluntati cupiunt: sed quo ille vocaverit, sequi paratae, sub eius manu se continent. Quod illis praeceptum est: Si moram fecerit eius veritas, exspecta illam (Hab. 2, 3). Item, In spe et silentio erit fortitudo vestra (Ies. 30, 15). Quum autem exspectent aliquid quod non vident, et desiderent quod non habent: constat pacem eorum esse imperfectam. Rursum, quum certo [fol. 13] exspectent quod exspectant, et fide desiderent quod desiderant: clarum est, quietum esse desiderium. Hanc pacem auget et in melius provehit mors, quae huius mundi militia solutos, et quasi exautoratos, dicit in locum pacis: ubi dum toti animo et aspectu in Deo haerent, nihil habent melius, quo avertant oculos, aut desiderium retrahant. Deest tamen adhuc quiddam, quod videre cupiant: nempe summa et perfecta Dei gloria, ad quam semper aspirant. Ut nulla sit illis impatientia desiderii, non-

1) ut requiescant, 1552 seqq. 2) De civit. Dei lib. XIX.

1) somnum, mendose 1576 seqq.

dum tamen plena et perfecta quies. Si quidem requiescere dicitur, qui est ubi esse appetit: nec modus ~~desiderii finem~~<sup>Fiat in omni</sup> habet, nisi eo pervenerit quo tendebat. Si autem oculi electorum ad supremam Dei gloriam, velut ad scopum, collimant, semper in cursu est eorum desiderium, donec impleta fuerit Dei gloria: cui implementum affert dies iudicij. Tunc verum erit illud: Satiabor, quum evigilavero, aspectu vultus tui (Psal. 17, 15).

Ut autem reprobos omittamus, quibus quid accidat non magnae curae nobis esse debet, velim mihi bona fide respondeant, unde illis spes resurrectionis, nisi quia Christus resurrexit? Ipse est enim primogenitus mortuorum, et primitiae resurgentium (Col. 1, 18; Apoc. 1, 5). Quemadmodum ille mortuus est et resurrexit, ita nos in eo morimur ac resurgimus. Si enim mors, cui obnoxii eramus, vincenda illi fuit per mortem, haud dubie mortem eandem subiit quam et nos, atque idem in morte passus est quod nos patimur. Id planum facit veritas, quum vocat primogenitum mortuorum et primitias resurgentium. Atque ita docuit, ut fideles in media morte ipsum sibi ducem agnoscant: et dum mortem suam ipsius morte sanctificatam aspicunt, nullam eius maledictionem formident. Quod significat Paulus, dum ait, conformatem se fieri morti eius, donec perveniat ad resurrectionem mortuorum (Phil. 3, 11). Hanc enim conformitatem hic per crucem inchoatam prosequebatur, donec eam morte adimpleret. Nunc paulisper, o somniatores, redeatis ad cor et vobiscum cogitatis, quemadmodum Christus mortuus est. Num tunc etiam dormiebat, quum vigilaret in salutem vestram? Non sic ipse de se loquitur: Sicut, inquit, pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso (Ioann. 5, 26). Qui in se vim vitae habet, quomodo cam perderet? Neque mihi respondeant, haec ad divinitatem spectare.<sup>1)</sup> Si enim ei datur qui non habet, homini igitur, non Deo, datum est in se habere vitam. Quum enim Jesus Christus Dei sit filius, et hominis: quod est natura ut Deus, id est gratia ut homo. Ut sic de plenitudine eius omnes accipiamus, et gratiam pro gratia. Apud Deum vitam esse si audiant homines, quantum inde spei concipient: quum simul sciant, [fol. 14] peccatis suis nubem inter se et Deum oppositam? At haec demum vere magna consolatio est, quod Deus pater Christum unixerit oleo laetitiae praे consortibus suis<sup>2)</sup> (Psal. 45, 8): quod ipse Christus homo acceperit a patre dona in hominibus (Psal. 68, 19), ut in natura nostra vitam reperire possimus. Qua ratione legimus turbam post suscitatum puerum glorificasse

Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus.<sup>1)</sup> Hoc profecto vidit Cyrus, qui nobiscum in huius loci explicatione consentit. Quum autem dicimus Christum, quatenus homo est, habere vitam in semetipso, non ipsum sibi causam esse vitae dicimus: sed hoc tantum, omnem vitae plenitudinem a Deo patre effusam esse in Christum hominem. Quod familiari similitudine planum fieri potest. Fons, ex quo omnes hauriunt, ex quo rivuli defluunt et derivantur, aquam in semetipso habere dicitur: nec tamen ex semetipso, sed ex scaturagine, quae illi assidue subministrat quod et roris labentibus, et haurientibus hominibus sufficere possit. Ergo Christus habet vitam in semetipso, hoc est, vitae plenitudinem, qua et ipse vivat, et suos vivificet: non tamen habet ex semetipso, quemadmodum ipse alibi testatur, quod vivit propter patrem (Ioann. 6, 57). Et quum in se, ut Deus, vitam haberet, ubi hominem assumpsit, donum accepit hoc a patre, ut vitam ea etiam parte haberet in semetipso. Haec nobis certissimam fidem faciunt, Christum existungi morte non potuisse, etiam secundum hominem, et quanquam vere ac naturaliter in mortem traditus est, quum omnes subimus, donum tamen illud patris semper retinuisse. Vera mors fuit, corporis et animae solutio. Caeterum, anima vitam suam nunquam perdidit, quae patri commendata non poterat non salva esse. Id volunt verba ex concione Petri, quibus affirmat impossibile fuisse teneri ipsum a morte, ut scriptura impleretur: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum vide corruptionem (Act. 2, 27). In qua prophetia, ut concedamus animam vitam esse, duo petit et exspectat a patre Christus: ne aut vitam suam in perditionem deserat, aut se in corruptionem venire sinat: quod impletum est. Nam anima eius divina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret: et corpus eius in sepulcro servatum est ad resurrectionem. Haec omnia uno verbo complexus est Petrus, quum dixit, non potuisse teneri a morte Christum, *κρατεῖσθαι*, hoc est, mortis imperio succumbere, et in mortis potestatem venire, aut a morte comprehendi. Quod autem Petrus in illa concione, omissa disputatione de anima, corporis duntaxat incorruptionem prosequitur: id facit, ut suo ipsorum testimonio Iudeos convincat, hanc prophetiam non pertinere ad Davidem, cuius sepulcrum apud eos exstabat, cuius cadaver noverant in putredinem colapsum, quum Domini nostri resurrectionem [fol. 15] abnegare non possent. Praebuit et nobis aliud argumentum immortalitatis animae suae, quum Ionam triduo immersum in ventre ceti mortis suae typum constituit: sic enim se futurum in ventre terrae, tri-

1) Augustinus sic accipit, sed nimis dure. 2) suis,  
om. 1552 seqq., non autem G.

1) *Iunxisse videtur Matth. 9, 8 et Luc. 7, 16.*

bus diebus et tribus noctibus (Ion. 2, 2; Matth. 12, 40). Atqui Ionas de ventre piscis clamavit ad Dominum, et exauditus est. Venter ille mors est. Animam igitur salvam in morte habuit: secundum quam clamaret ad Dominum. Isaac quoque, qui figuram Christi gessit, et a morte patri redditus est, quodam, ut ait apostolus, resurrectionis typo, nobis veritatem in figura aperit (Gen. 22, 10; Hebr. 11, 19): quum enim impositus esset altari parata victima et alligatus esset, postea iussu Domini solutus est. Sed aries, qui inter vepres haeserat, in vicem Isaac suppositus est. Quid est autem quod Isaac non moritur, nisi quia quod proprium est hominis, immortale Christus praestitit, hoc est, animam? Aries vero, animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est. Quod autem alligatur Isaac, animam repraesentat: quae in morte Christi speciem morientis dedit: et dat etiam quotidie in vulgari morte hominum; ubi omnia, humana opinione, creduntur extincta: quum tamen ex vinculis soluta sit Christi anima, et nostrae quoque solvantur, antequam pereant. Perfricit frontem nunc quispiam ex vobis, et iactet mortem Christi somnum<sup>1)</sup> fuisse: vel omnino in castra Apollinaris transfugiat. Ille quidem vigilavit, dum incumberet in salutem vestram: vos autem dormitis somnum vestrum, et tenebris caecitatis obruti vigilias non exauditis.

Praeterea non hoc tantum nos consolatur, quod Christus, caput nostrum, in medio umbrae mortis non periiit: sed ad hanc securitatem accedit eius resurrectio, qua mortis Dominum se constituit, ac nos supra mortem extulit, quicunque partem in ipso habemus. Ut non dubitaverit Paulus dicere, vitam nostram absconditam esse cum Christo in Deo (Col. 3, 3). Et alibi: Vivo ego, iam non ego, sed vivit in me Christus (Gal. 2, 20). Quid superest, nisi ut aperto ore Christum in animis dormientibus dormire et desidere clament? Si enim Christus est qui in illis vixit, idem est qui in illis moritur. Si vita Christi nostra est, qui vitam nostram finire vult morte, detrahatur Christum e dextra patris, et in secundam mortem deturbetur. Si mori ille potest, certa mors nos sequitur: si nullum habet vitae finem, neque animae nostrae, quae illi insitae sunt, finiri ulla morte possunt. Et quid adhuc laboramus? An vero sunt obscura eius verba: Quia ego vivo, et vos vivetis (Ioann. 14, 19). Si vivimus, quia vivit: ergo si morimur, ipse iam non vivet. An obscurum est quod promisit, eum in se mansurum, et se in eo, qui per fidem sibi iunctus fuerit (Ioann. 6, 56)? Avel-

lamus ergo a Christo membra sua, si volumus ipsis vitam adimere. Nostra haec confessio est, [fol. 16] quam suis armis satis instruximus: In Adam quidem omnes nos esse mortuos: sed in Christo vivere (1 Cor. 15, 22). Haec splendide et magnifice a Paulo tractantur: nempe, quod si Christi spiritus habitat in nobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, at spiritus vita est propter iustitiam (Rom. 8, 10). Corpus scilicet vocat massam peccati, quae ex carnis nativitate in homine residet: spiritum vero, partem hominis spiritualiter regeneratam. Quare, quum paulo ante (Rom. 7, 24), ob peccati reliquias in se haerentes, miseriam suam deploraret, non simpliciter optabat tolli, et nihil esse, ut ex illa miseria evaderet: sed liberari a corpore mortis, hoc est, massam peccati in se interire: ut spiritus purgatus, et quasi defaecatus, pacem cum Deo haberet: hoc ipso declarans, meliorem sui partem corporis vinculis captivam teneri, ac per mortem liberatum iri.

Utinam recta fide percipere possemus quale sit regnum Dei, quod est intra fideles, etiam dum hanc vitam vivunt. Nam simul facile esset intelligere, inchoatam vitam aeternam. Promisit hoc nobis qui fallere non potest. Qui verba, inquit, mea audit, habet vitam aeternam, et in condemnationem non venit: sed transivit a morte in vitam (Ioann. 5, 24). Si transitus factus est in vitam aeternam, cur eam morte interrumpunt? Alibi: Haec, inquit, est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam aeternam: et ego suscitabo eum in novissimo die (Ioann. 6, 40). Rursum: Qui edit carnem meam, et biberit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego suscitabo eum in novissimo die (Ioann. 6, 54). Non sicut comederunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui ederit panem hunc, vivet in aeternum. Nolite huc vestra commenta ingerere, de die novissimo. Duo nobis pollicetur, vitam aeternam, et illam resurrectionem. Duo quum audiatis, alterum tantum amplectimini. Magis etiam vos convincit altera Christi vox. Ego sum, inquit, resurrectio et vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum (Ioann. 11, 25). Nec evident si dixerint, non mori eum in aeternum, qui suscitat: quoniam non id tantum voluit Dominus, sed nunquam accidere posse, ut moriantur. Quem sensum melius exprimit graeca phrasis, ubi legitur, εἰς τὸν αἰώνα: quod Latinis in saeculum significat. Qua loquendi forma significamus nunquam fore, id quod in saeculum futurum negamus. Sic alibi: Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum (Ioann. 8, 51). Hoc invictum stat argumentum contra eos, non visurum mortem eum, qui sermonem Domini servaverit. Quod unum satis esse possit Christianis ad

1) Sic 1542 et 1545, quas sequitur Gallus (un songe). Gallassius bene emendavit somnum, quem sequuti sunt reliqui. Facile ex hoc loco efficeris versionem non ab ipso Calvinio factam esse.

armandam suam fidem, contra eorum pravitatem. Hoc credimus, hoc exspectamus. Illis autem quid reliquum, ~~illis~~ <sup>ut</sup> fortiter dormiant somnum suum, donec eos expergeficiat [fol. 17] clangor tubae, qui, ut fur, deprehendet in tenebris dormientes?

Et si fidelis animae vita, Deus est, perinde atque ipsa, vita est corporis: quid est quod anima, quamdiu in corpore est, ipsum agitat, nec unquam ita otiosa est, intentionemque suam remittit, ut non aliqua officii parte fungatur, Deus autem velut agendo fatigatus cessat? Si tanta est vis animae, in massa terrae sustinenda, movenda, impellenda: quanta vis erit Dei in anima, quae natura agilis est, movenda et agenda? Et audent alii dicere, animam evanescere: alii, vi sua non exerceri post dissolutam compagem corporis? Quid ergo respondebunt ad carmen Davidis (Ps. 84, 8), quo principium, medium, et finem viae beatorum describit? Ibunt, inquit, de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion: vel (ut habent hebraica) de abundantia in abundantiam. Si crescunt semper donec Deum videant, et ab illo incremento transcunt ad Dei visionem, quomodo eos sepeliunt isti in ebrietate et alta socordia?

Id ipsum testatur apostolus (2 Cor. 5, 1 ss.), et multo apertius: ut si rumpantur, spiritui Dei amplius resistere non possint. Scimus quod si terrenum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, aedificationem habemus ex Deo, domicilium non manu factum, aeternum in coelis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro, quod est e coelo, superinducientes: si tamen induiti, non nudi reperiemur. Etenim, qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quod nolumus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas a vita. Post paulo: Itaque bono animo sumus semper, et scimus quod quum domi sumus, in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem); confidimus autem et magis probamus, peregre abesse a corpore, et praesentes esse apud Dominum. Hic rimam inveniunt: in diem iudicii conferenda apostoli verba, quo et superinduimus, et absorbetur mortalitas a vita. Proinde haec, inquiunt, <sup>1)</sup> una clausula comprehendit apostolus: Manifestari omnes oportere coram tribunal Christi. Verum, cur illud superindui magis ad corpus referunt, quam ad Dei benedictiones, quibus a morte luculenter abundamus? Quis cogit vitam illam accipere de resurrectione? Quum simplex et promptus sit sensus apostoli, nos quidem cupere egredi ex hoc corporis ergastulo, sed non ut <sup>2)</sup> vagemur incerti sine hospitio. Esse enim meliorem domum, quam nobis Dominus praeparavit: si tamen induiti, et non nudi reperiemur. Indumen-

tum si quidem nostrum Christus est, et armatura illa, qua nos induit apostolus (Ephes. 6, 11 ss.). Et scriptum est (Psal. 45, 12), quod rex concupiscat decorem coniugis suae, quae fortis erit in munib; cuius omnis gloria intrinsecus. Denique signavit suos Dominus, quos et in morte, et in resurrectione agnitus est (Apoc. 7, 3). Cur non potius respiciunt ad id quod [fol. 18] proxime dixerat, et cui hanc ipsam sententiam connectit? Licit is qui foris est homo noster corruptatur, eum tamen, qui intus est, renovari de die in diem (2 Cor. 4, 16). Quod autem apostolus clausulam illam subdidit, de manifestatione coram tribunal Christi, magis eos stringit: quum prius dixisset nos et domi et peregre agentes contendere ut illi placeamus. Quum per domum, corpus intelligat, quid est illud peregre? Ut ergo nihil addamus, verba sine interprete hoc loquuntur: nos, et in corpore, et extra corpus, contendere ut placeamus Domino: deinde, nos sensuros Dei praesentiam, quum ab hoc corpore separabimur. Iam non per fidem ambulatuos, sed per speciem: quoniam hoc terrae pondus, quo preminimur, nos a Deo, quasi maceris, longo intervallo separat. Isti nugatores contra, nos per mortem longius a Deo discessuros garriunt, quam dum sumus in hac vita. De quibus enim scriptum est: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt (Psal. 89, 16); item: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus (Rom. 8, 16), et multa eius generis: his et lumen vultus Dei, et spiritus testimonium adimunt. Quod si verum est, feliores nunc sumus, quam post mortem. Etsi enim sub elementis huius mundi vivimus, habemus tamen habitacionem et politiam in coelis, ut ait Paulus (Phil. 3, 20). Ubi autem veterus ille, et rerum omnium oblivio animas a morte exceperit, perdunt quamecumque habent suavitatem gustus spiritualis. Melius nos docent sacrae literae. Corpus, quod corruptitur, aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem (Sap. 9, 15). Si corpus animae est carcer, si terrena habitatio, compedes sunt: quid anima soluta hoc carcere, exuta his vinculis? nonne sibi redditur, et quasi se colligit? Ut dicere liceat, tantum illi accrescere, quantum decrescit corpori. Velint nolint, hoc semper in confessio est. Ubi molem hanc corporis abiicimus, cessare pugnam illam spiritus adversus carnem, et carnis adversus spiritum. Denique mortificationem carnis, esse vivificationem spiritus. Tum igitur anima, excussis sordibus, vere est spiritualis, ut consentiat voluntati Dei, nec sentiat carnis tyrannidem sibi repugnantem: ut in hac tranquillitate resideat, nihil aliud quam Deum cogitans. Et tunc scilicet dormit, quum elevare se, nullo pondere aggravante, potest? Tunc stertit, quum multa percipere sensu et cogitatione potest, nullo impedimento interpellante?

1) inquiunt, *om.* 1542. 2) ut, *omittunt* 1576 *seqq.*

Haec non solum errorem istorum produnt, sed etiam malignitatem contra Dei opera et virtutes, quas eum in sanctis suis ~~operari~~ scripturæ praedicant. Nos agnoscimus Deum velut nascentem in electis suis, et de die in diem crescentem: quod nos docet sapiens (Prov. 4, 18): Iustorum, inquit, semita, quasi lux crescens in perfectum diem. Et affirmat apostolus (Phil. 1, 6): Quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Domini Iesu. Isti non solum opus Dei ad tempus intermittunt, sed etiam extingunt. [fol. 19] Qui prius ibant de fide in fidem, de virtute in virtutem, et beatitudinis gustu fruebantur, quum se in Dei cogitatione exercent, eos et fide, et virtute, et omni Dei cogitatione exiunt: desides tantum et veternosos in stratis collocant. Quomodo enim profectum illum interpretantur? An existimant animas perfici, quum dormiendo saginantur: ut pingues et nitidae offerantur in conspectum Dei, quum ad iudicium sederit? Si micam salis haberent, non ita crasse balbutirent de anima: sed quantum distant coeli terra, coelestem animam a terreno corpore discernerent. Ergo, quum desiderat apostolus dissolvi, et esse cum Christo (Phil. 1, 23), an illis videtur velle dormire, ut nullo amplius Christi desiderio teneatur? Nempe, hoc fuit eius desiderium, qui sciebat se aliam aedificationem habere ex Deo, domum non manu factam, si terrestris domus sui habitaculi dissolveretur. Pulchre vero esset cum Christo, qui desineret vivere vitam suam.

Quid? an non horrent ad vocem Domini, qui vocans se Deum Abraham, Isaac et Iacob, simul respondet, se Deum esse viventium non mortuorum (Marc. 12, 27)? Neque igitur ille est eis in Deum, neque illi sunt in populum. Sed aiunt haec tum demum vera fore, quum mortui suscitabuntur ad vitam, quum etiam verba sic habeant: De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est? Non tamen sic se explicant. Quum enim Christo negotium esset cum Sadducaeis, qui non resurrectionem modo negabant, sed animarum quoque immortalitatem: hoc uno verbo duos errores convicit. Nam si Deus viventium est Deus, non mortuorum: Abraham autem, Isaac et Iacob, defuncti erant hac vita, quum Mosi Deus loqueretur, dicens se eorum esse Deum, colligitur ergo eos aliam vitam vivere. Esse enim eos oportet, quorum Deus se Deum facit. Unde et Lucas addit: Omnia enim illi vivunt: non intelligens omnia vivere Dei præsentiae,<sup>1)</sup> sed eius virtute. Hoc ergo relinquitur, Abraham, Isaac, et Iacob, vivere. Cui sententiae accedit illud apostoli (Rom. 14, 8):

1) præsentiae, habent 1542—1563 assentiente Gallo (à la présence). Recentiores mentem autoris minus bene attingentes emendarunt: præsentia.

Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur: sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut vivis dominetur et mortuis. Quid poterat solidius erigi ad fulciendam fidem nostram, quam dicere, Christum mortuis dominari? Non enim dominari potest nisi his qui sunt: quum subiectos esse oporteat, ubi sit imperium.

Ecce etiam testimonium contra eos ferunt in coelo, coram Deo et angelis eius, animae martyrum, quae clament voce magna sub altari: Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra (Apoc. 6, 10)? Et datae sunt illis stolæ albae, et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus [fol. 20] modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut et illi. Clamat mortuorum animae, dantur illis stolæ albae. Quid o spiritus dormitorii vobis sunt stolæ albae? pulvinaria scilicet, in quibus ad somnum decubent. Videtis iam stolas albas somno non convenire. Vigilent oportet, quac sic induuntur. Quod si verum est, haud dubie stolæ albae principium gloriae designant, quod divina liberalitas martyribus impertit, donec exspectatur dies iudicii. Non enim novum est in scripturis stolam albam, gloriam et festivitatem figurare et gaudium. Nam in veste candida Dominus in visione conspectus est Danieli (Dan. 7, 9). Apparuit hoc habitu Dominus in monte Thabor (Matth. 17, 2). Apparet angelus Domini ad sepulcrum mulieribus in veste alba (Matth. 28, 3). Apparet eadem specie angeli discipulis in coelum respicientibus, post Domini ascensionem (Act. 1, 10). Eadem fuit species angeli apparentis Cornelio (Act. 10, 30). Et quum filio, qui dissipata substantia ad patrem reversus erat, redditæ est prima stola, symbolum fuit gaudii et festivitatis (Luc. 15, 22). Deinde, si clamabant mortuorum animae, non dormiebant. Quando igitur isto sopore perfundi coeperunt? Neque mihi obtrudat quispiam, quod sanguis Abel clamabat ad Deum. Vulgaris tropus est, fateor, rem ipsam loqui: sanguinis effusionem, vindictam postulare. Hoc vero in loco, affectum martyrum per clamorem nobis repraesentari certum est, quod eorum desiderium sine ulla figura exprimitur et petitio describitur. Usquequo Domine non vindicas, etc. Quare in eodem libro Ioannes duplēm resurrectionem prodidit, quemadmodum mortem duplēm (Apoc. 20, 5 ss.). Nimur priorem animae, ante iudicium: alteram, quum corpus suscabitur, et quum anima quoque suscabitur in gloriam. Beati, inquit, qui habent partem in resurrectione prima: in his, secunda mors non habet locum. Itaque vobis horrendum est, qui primam illum resurrectionem agnoscere non vultis, quae tamen unus ingressus est ad beatam gloriam.

Hoc etiam acerrimum telum est contra eos, quod responsum est latroni imploranti misericordiam (Luc. 23, 42 ss.). Rogaverat ille, Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Audit, Hodie tecum eris in paradyso. Ille se affuturum latroni promittit, qui ubique est. Et paradysum promittit, quia satis deliciarum habet, qui Deo fruitur. Neque illum reiicit in longam dierum seriem, sed eo ipso die vocat ad delicias regni sui. Iactatur istorum cavillum, quo Christi verbum eludunt. Unus, inquietus, dies sicut mille anni, in conspectu eius (2 Petr. 3, 8). Sed non meminerunt Deum humanis sensibus se accommodare, quoties hominibus loquitur. Neque legunt diem [fol. 21] unum in scripturis positum, pro mille annis. Quis ferat hunc interpretem, qui quum audierit ex Deo, aliquid hodie futurum, cogitet annorum millia? An vero, quum Ninivitis Ionas denunciaret, Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur: poterant illi exspectare Dei iudicium secure, donec quadrages mille anni effuerent? Neque hoc sensu dixit Petrus mille annos in conspectu Dei sicut diem unum. Sed quum pseudoprophetae aliqui dies et horas suppatarent, ut Deum mendacii arguerent, qui non ad primum eorum votum promissa solveret: admonet apud Deum esse aeternitatem, cui mille anni vix sunt unum momentum. Quoniam vero sentiunt se teneri adhuc implicitos, contendunt, hodie, in scripturis significare tempus novi testamenti, sicut heri, veteris. Huc torquent quod in epistola ad Hebreos legitur: Jesus Christus heri, et hodie, ipse in saecula (Hebr. 13, 8). Hic vero toto coelo errant. Nam si heritantum fuit, aliquando coepit esse qui non erat ante initium veteris testamenti. Ubi erit Jesus ille Deus aeternus, iuxta humanitatem etiam primogenitus omnis creaturae, et agnus ab origine mundi occisus (Coloss. 1, 15; Apoc. 13, 3, 8)? Deinde, si hodie id temporis designat, quod intercedit inter diem iudicii et Christi humanitatem, habemus paradysum obuenturum latroni ante eum diem, quo surgere animas a somno suo docent. Atque ita, eorum confessione, extorquebitur, impletam promissionem latroni datam, ante iudicium: quam, nisi post iudicium, implendam negant. Quod si verbum illud ad tempus trahunt, quod iudicium sequitur: cur addit autor epistolae, Et in saecula? Atque, ut palpare possint suas tenebras: si respiciebat Christus in ea promissione tempus iudicii, non debuit dicere hodie, sed futuro saeculo. Quemadmodum Iesaias, quum vellet significare resurrectionis mysterium, vocavit Christum, patrem futuri saeculi (Ies. 9, 6). Quum autem heri et hodie et in saecula dixerit apostolus, pro eo quod dicimus, fuit, est, et erit (quae tria tempora nobis aeternitatem designant) quid aliud agunt suis argutiolis, quam sensum apostoli pervertunt? Hanc esse proprietatem primi vocabuli, ut tempus

aeternum contineat, licet ex propheta discere, qui scribit praeparatam ab hesterno impiis gehennam (Ies. 30, 33): quum sciamus, ex Christi verbis, praeparatum ab aeterno ignem diabolo et angelis eius (Math. 25, 41). Vident hic, quibus est aliquid iudicii aut sanae mentis, nihil futurum illis reliquum, quo eludant manifestam adeo veritatem. Est tamen adhuc quiddam quod obstrepunt: sic promissum fuisse paradysum latroni eo die, quemadmodum indicta mors primis parentibus, quo die gustarent de arbore scientiae boni et mali. Quod ut illis concedamus, hoc tamen extorquebimus, latronem eo die restitutum a miseria, in quam [fol. 22] inciderat Adam, quo die legem sibi dictam praevericatus fuerat: fuisse igitur redditam latroni immortalitatem. Deinde quum de morte statim disseram, satis (ni fallor) explicabo, quomodo eo die mortui fuerint primi parentes, quo die se a Deo abalienaverunt.

Nunc mihi ad eos sermo convertatur, qui bona pace conscientiae, promissorum Dei memores, in illis acquiescent. Haec inquam, fratres, haec vobis fides non excutiatur, etiamsi omnes inferorum portae insultent, ubi Deum habetis sponsorem, qui veritatem suam abnegare non potest. Vox eius est minime obscura, ad ecclesiam adhuc in terris peregrinantem: Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunae illuminabit te, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam (Ies. 60, 19). Quod si suo more ad ultimam resurrectionem nos trahunt, promptum erit refellere vanitatem<sup>1)</sup> ex singulis verbis capitum: quibus nunc Dominus promittit suum Christum, nunc gentes in fidem cooperandas, etc. Semper in memoriam nobis redeat quod spiritus docuit per os Davidis: Iustus ut palma florabit, sicut cedrus in Libano multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt, adhuc germinabunt, in senectute pingues et virides erunt (Psal. 92, 13 ss.). Ne vos terreat quod omnes naturae virtutes deficere creduntur: quum auditis senectutem viridem, pinguem et germinantem. Haec vobiscum reputantes exemplo Davidis occinite animae vestrae: Benedic anima mea Domino, qui satiat bono os tuum: renovabitur, ut aquilae, iuventus tua (Psal. 103, 5). Caetera Domino permitte, qui custodit introitum nostrum, et exitum nostrum, ex hoc nunc, et usque in saeculum (Psal. 121, 8). Hic est qui pluit imbre matutinum et serotinum, super electos suos (Iocel. 2, 23). De quo nobis dictum est: Deus noster, Deus salutis est: et Domini Dei egressus mortis (Psal. 68, 21). Hanc patris bonitatem exposuit nobis Christus, quum dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et

1) *Edd. 1576—1611 mendose:* unitatem.

illi mecum sint, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi (Ioann. 17, 24).

Hanc igitur fidem, omnibus prophetiis, evangelica veritate, Christo ipso subnixam, teneamus. Spiritum imaginem esse Dei, instar cuius vigeat, intelligat, aeternus sit. Quamdiu in corpore est, virtutes suas exserere: quum ex illo ergastulo egreditur, ad Deum migrare, quius sensu interim fruitur, dum in spe beatae resurrectionis requiescit. Hanc requiem, illi esse paradisum. Spiritum vero reprobi hominis, dum terribile iudicium in se exspectat, torqueri illa exspectatione, quam Paulus<sup>1)</sup> ob id *goθε-*  
*paν*, id est, formidabilem vocavit (Hebr. 10, 27). Ultra inquirere, se immergere est in abyssum mysteriorum Dei: quum satis sit didicisse, quod satis habuit docuisse spiritus optimus magister. Cuius verbum est: Audite me, et vivet anima vestra. [fol. 23] Quam ille sapienter, prae istorum vaniloquentissima arrogantia: Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientum mori, illi autem sunt in pace, etc. Hic finis est nostrae sapientiae, quae, ut sobria est, et Deo subiecta, ita novit eos qui supra se nituntur, semper corrue.

Nunc cunas excutiēmus, in quibus sopitas animas componunt: et papaver diluemus, quod illis ad conciliandum somnum propinat. Circumferunt enim aliquot scripturae locos, qui videntur isti somno suffragari: tum, quasi ad liquidum dormitio probata sit, fulminant in eos, qui non statim errori suo consentiunt. Obiiciunt primum non aliam homini infusam animam a Deo, quam quae sit illi cum bestiis omnibus communis. Omnibus enim ex aequo scriptura attribuit animam viventem. Ut quum dicitur: Creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem (Gen. 1, 21). Item, Bina ex omni carne, in qua erat spiritus vita (Gen. 7, 15): et alia eiusdem generis. Et si nusquam sacrae literae meminissent, nos tamen liquide admoneri ab apostolo, animam illam viventem nihil differre a praesenti vita, qua corpus hoc vegetatur. Verba sunt: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale. Quemadmodum scriptum est, Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus in spiritum vivificantem (1 Cor. 15, 42 ss.). Fateor animam viventem non semel attributam bestiis, quia et ipsae vitam suam degunt: verum aliter illae vivunt, aliter vivit homo. Anima vivens est homini, qua sapit et intelligit: anima illis vivens est, quae motum et sensum dat corpori. Quum igitur animae hominis insit ratio, intellectus, voluntas, quae virtutes non sunt corpori adnexae:

1) Sic sola princeps. Caeterae: apostolus.

nihil mirum, si sine corpore subsistat, nec pereat instar brutarum, quae nihil aliud habent, quam sensus corporeos. Qua ratione non erubuit Paulus, post ethnicum illum poetam, genus nos Dei appellare (Act. 17, 28). Itaque iam, ut volent, communicent beluis animam viventem cum homine, quem eadem prorsus vita sit omnibus, quantum ad corpus attinet: verum ex eo gradum sibi facere non possunt ad confundendam cum beluis hominis animam. Neque mihi obtrudant apostoli verbum, quod magis nobiscum, quam contra nos pugnat. Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus in spiritum vivificantem. Est enim antypophora<sup>1)</sup> ad eorum quaestionem, qui de resurrectione persuaderi non poterant. Sic enim obiiciebant: Quomodo resurgent mortui? Quali corpore venient? Cui obiectioni ut occurrat apostolus, sic eos aggreditur: Si usu discimus, semen quod vivit, quod crescit, quod fructum reddit, prius mortuum esse: cur non instar seminis corpus quod mortuum fuerit resurgere potest? Et, si nudum ac siccum granum sementem [fol. 24] refert uberiorem, postquam mortuum fuerit, virtute mirabili quam illi Deus indidit: cur non eadem Dei virtute corpus suscitat melius quam mortuum fuerat? Et ne adhuc mireris: unde vivit homo, nisi quia formatus est in animam viventem? Haec tamen anima, tametsi ad tempus molem corporis agitat ac sustinet, non tamen dat illi immortalitatem aut incorruptionem: et quamdiu etiam suam vim exserit, non tamen per se ipsa sufficit, sine adminiculis cibi, potus, somni, quae signa sunt corruptionis: nec constantem illi ac continentem dat statum, quin aliis atque aliis inclinationibus subiectum sit. Ubi autem Christus nos secum assumpserit in gloriam, non solum erit animale corpus, ab anima vivificatum: sed spirituale, quale nec mens nostra cogitare, nec lingua exprimere potest. Vides igitur nos non aliud futuros in resurrectione, sed tamen alios: detur verbo *venia*.<sup>2)</sup> Atque haec quidem de corpore dicta sunt, cui anima sub elementis huius mundi vitam administrat: ubi autem figura huius mundi praeterierit, participatio gloriae Dei id supra naturam evhet. Habemus verum ac germanum apostoli sensum. In quo explicando quum lapsus esset Augustinus (ut nunc isti), errorem postea agnovit, ac correxit inter suas retractiones:<sup>3)</sup> et alibi etiam multo apertius id ipsum tractat. Ex quo loco pauca transscribemus. Anima in corpore animali vivit quidem: sed non vivificat usque ad auferendam corruptionem. In corpore vero spirituali, quando adhaerens perfecte Do-

1) Recentiores (1576 seqq.) hoc vocabulum rarius obvium ignorantes scripserunt: antipophora, quum emendare debuisserint: anthypophora. Gallus bene vertit: C'est une response à l'objection. 2) Sic loquitur Tertullianus et Augustinus epist. 3. ad Fortunat. 3) Cap. 10. Epist. 146. Consentio.

mino vivus<sup>1)</sup> spiritus efficitur, sic vivificat, ut spirale corpus efficiat: absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem. Denique, ut omnia illis concedam de anima vivente (in quo nomine, ut iam dixi, non haereo) illa tamen sedes imaginis Dei semper salva consistit: sive animam, sive spiritum, sive quidvis aliud nominent. Nec magis ad refellendum difficile est quod ex tricesimo septimo Ezechielis capite obiiciunt: ubi propheta quandam resurrectionis hypotyposin faciens, vocat spiritum a quatuor ventis, qui vitam inspirat aridis ossibus. Inde optime sibi colligere videtur, hominis animam nihil esse aliud, quam vim facultatemque motionis sine substantia: quae vis in morte quidem evanescat, in resurrectione vero iterum recolligatur.<sup>2)</sup> Quasi vero mihi etiam non liceat eodem modo colligere, spiritum Dei aut ventum aut evanidam motionem<sup>3)</sup> esse, quum in prima sua visione Ezechiel ipse ventum nominet, pro aeterno Dei spiritu. Sed homini non prorsus stupido facilis erit solutio huius nodi,<sup>4)</sup> quam boni isti viri, pro sua vel inscribia, vel ruditate, non observant. Utroque enim loco factum est, quod fieri subinde solet a prophetis: qui res spirituales ac humano sensu altiores, corporeis ac visibilibus symbolis figurant. Quum ergo Ezechiel expressa et quasi eiconica<sup>5)</sup> [fol. 25] visione et spiritum Dei et hominum spiritus sub oculis quoddammodo repraesentare vellet, idque esset a spirituali natura alienum: similitudinem sumpsit a rebus corporeis, quae imaginis vice esset.

Obiiciunt secundo, animam, tamen si immortaliitate donata esset, in peccatum tamen prolapsam: qua ruina immortalitatem suam obruerit ac perdidit. Haec constituta erat poena peccato, et denunciata primis parentibus: Morte moriemini (Gen. 2, 17). Et Paulus ait, stipendium peccati, mortem esse (Rom. 6, 23). Et propheta, animam quae peccaverit, morituram clamat (Ezech. 18, 4). Haec illi aut similia. Sed quaero primum, annon etiam diabolus redditum est idem peccati stipendium? nec tamen ille sic mortuus est, ut non semper vigilet, ut non circumeat, quaerens quem devoret (1 Petr. 5, 8), ut non operetur in filiis diffidentiae (Ephes. 2, 2). Deinde, an omnino aliquis finis futurus est eius mortis, an non? Si enim nullus est, ut certe fateri eos oportet: igitur illi, quantumlibet mortui, ignem tamen aeternum sentient, et vermem qui non moritur. Haec nobis clarum faciunt, suam animae immortalitatem, quam asserimus, quamque boni vel mali sensu constare dicimus, etiam tum

1) Sic sola princeps. Caeterae: unus. 2) colligatur, 1576 seqq. 3) motionem, 1576–1611. 4) Sic sole edd. primariae (G. difficulté). Iam apud Gallarium legitur: huiusmodi et sic habent omnes recentiores. 5) 1552 et 1563: eiconica; 1576 seqq.: iconica (G. une vision pourtrai au vif).

esse, quum mortua est, mortemque illam aliud quidpiam esse quam (quod obtinere volunt) in nihilum redigi. Neque id etiam tacuerunt scripturae, si animum inducerent, illis potius sensum suum accommodare, quam arroganter affirmare, quidquid cerebrum adhuc a somno fumosum dictaverit. An vero quum Deus adversus hominem peccatorem sententiam hanc pronunciat: Pulus es, et in pulverem revertaris (Gen. 3, 19), aliud dicit, quam quod sumpturn e terra est, in terram redditurum? Quo igitur anima? an in sepulcrum descendit, ad marcorem et putredineum? Atque ista quidem paulo post apertius. Nunc quid tergiversantur? Audivimus, quod terrae est, terrae etiam reddendum. Cur spiritum hominis sub terras demergimus? Non dicit hominem in terram redditum, sed qui pulvis est, reversurum in pulverem. Is vero pulvis est, qui formatus est de limo terrae: ille in pulverem revertitur, non spiritus, quem aliunde quam e terra acceptum Deus homini dedit. Ad hunc modum legimus in libro Iob: Memento quia sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me (Iob. 10, 9). Hactenus de corpore. Paulo post subdit de spiritu: Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum (ibid. v. 12). Illa igitur vita non erat redditura in pulverem. Mors animae longe alia est: iudicium scilicet Dei, cuius gravitatem misera anima ferre non potest, quin tota confundatur, concidat et dispereat: ut et scripturae nos docent, et usu ipso experti sunt, quos Deus horrore illo aliquando perculit. [fol. 26] Ut enim ab Adam incipiamus, qui primus exitiale illud stipendium meruit, quo animo putamus fuisse, imo quid omnino fuisse, quum horribilem illam vocem audivit: Adam ubi es? Facilius sane est cogitare, quam dicere: quanquam ne cogitari quidem potest, nisi sentiatur. Et quemadmodum maiestas Dei quam sit sublimis, verbis explicari non potest: ita nec quam terribilis sit ira iis, quibus incumbit. Vident praesentem Dei omnipotentis gravitatem: quam ut effugiant, in mille abyssos se demergere parati sunt, effugere tamen non possunt. Et quis non fateatur hanc esse veram mortem? Hic rursum dico, verbis opus non habere eos, qui aliquando conscientiae cauterio compuncti sunt: qui vero experti non sunt, audiant scripturas: quibus Deus noster, ignis consumens est: qui dum in iudicio loquitur, occidit. Talem noverant, qui dixerunt: Non loquatur Dominus nobiscum, ne forte moriamur (Deut. 5, 25; 18, 16; Ex. 20, 19). Vultis scire quae sit animae mors? Deo carere, a Deo desertam esse, sibi relictam esse. Si enim Deus eius vita est, perdit vitam suam, quum perdit Dei praesentiam. Atque ut quod dictum est in universum, partibus ostendatur: si extra Deum lux non est, quae nocti nostrae luceat: ubi lux illa se subduxerit, anima certe in tenebris suis sepulta, caeca

est. Tunc muta est, quae confiteri non potest ad salutem, quod crediderit ad iustitiam. Surda est, quae vivam illam ~~vocem non audit~~. Cluda est, imo se sustinere non potest, ubi non habet cui dicat: Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Nullo denique vitae officio fungitur. Sic enim loquitur propheta (Bar. 3, 14), quum vult ostendere fontem vitae esse apud Doum: Disco ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ubi sit diuturnitas vitae et virtus, ubi sit lumen oculorum et pax. Quid ultra ad mortem requiritis? Et ne hic aqua nobis haereat, nobiscum cogitemus, qualem vitam nobis attulerit Christus: et succurret, a quo genere mortis nos redemerit. Utrumque nos docet apostolus (Ephes. 5, 14): Surge, inquit, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Ubi non cinerem alloquitur: sed eos qui involuti peccatis inferos et mortem secum ferunt. Alibi (Ephes. 2, 1; Coloss. 2, 13): Et vos, quum essetis mortui peccatis, convivificavit vos in Christo, donans vobis omnia delicta. Ergo quemadmodum apostolus nos mori peccato dicit, dum extinguitur concupiscentia in nobis (Rom. 6, 2): ita et Deo morimur, dum viventi concupiscentiae nostrae in nobis subiecti sumus. Imo vero (ut uno verbo complectatur quod de vidua delitante ait) viventes, morimur (1 Tim. 5, 6): hoc est, immortales sumus ad mortem. Quia licet anima sensum suum retineat, tamen mala concupiscentia quasi stupor quidam est mentis. Iam vero qualis qualis erat illa animae mors, Christus tamen pro nobis ea defunctus est. Quod enim prophetiis [fol. 27] promissum erat, de eius victoria contra mortem, ipse morte sua praestitit. Prophetae pronunciabant: Praecipitabit mortem in aeternum (Ies. 25, 8). Item, Ego mors tua, o mors: morsus tuus, o inferne (Os. 13, 14). Item: Ante faciem eius ibit mors (Hab. 2, 5). Apostoli iam facta denunciant. Destruxit quidem mortem: illuminavit autem vitam per evangelium (2 Tim. 1, 10). Rursum: Et enim si per unius delictum mors regnavit per unum, multo magis ii qui exuberantiam gratiae acceperunt, per vitam regnabunt in Christo (Rom. 5, 17). Haec fulgura, non verba, si possunt, sustineant. Quum enim ex Adam dicant esse mortem, quod fatemur, non quam ipsi fingunt, sed eam quam in animam cadere nuper docuimus, nos rursum vitam a Christo: quod infitari non possunt. In comparatione Adae et Christi, totius controversiae cardo vertitur. Concedant primum apostolo necesse est, non modo instauratum in Christo id omne quod in Adam collapsum fuerat, sed quanto fuerit effusior gratiae quam peccati virtus, tanto Christum fuisse potentiorum in restituendo, quam Adam in perdendo. Palam enim praedicat, non esse donum ut peccatum: sed longe exuberasse: non quidem in plures homines, sed abundantius, in quibus exube-

ravit. Respondeant, si volent, exuberasse, non quia abundantiorum vitam dederit, sed quia multa peccata deleverit: quum unicum Adae peccatum nos in ruinam detraxisset. Hoc ego demum postulabam. Deinde, quum alibi tradat, aculeum mortis esse peccatum (1 Cor. 15, 56), quid habet mors quo nos pungat, ubi aculeus mortis retusus, imo consumptus est? Atqui nihil aliud agit multis capitibus epistolae ad Romanos, quam ut plane declararet, peccatum esse penitus abolitum, ne in fideles imperium suum exerceat. Iam vero si virtus peccati lex est (ibid.): quum occidunt eos qui in Christo vivunt, quid aliud quam in maledictionem legis eos retrahunt, quae e medio sublata est? Quamobrem confidenter iactat apostolus, nullam esse damnationem iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed iuxta spiritum (Rom. 8, 1). Scilicet in eos, quos apostolus ab omni condemnatione liberat, gravissimam sententiam pronunciat: Morte moriemini. Ubi autem gratia, si mors adhuc regnat inter electos Dei? Iam (ut ait apostolus) peccatum quidem regnavit in mortem: gratia vero regnat in vitam aeternam (Rom. 5, 17): quae si peccatum superat, nullum morti locum relinquit. Ergo, quemadmodum mors per Adam ingressa regnavit, ita nunc per Iesum Christum regnat vita. Scimus autem quod Christus excitatus a mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur (Rom. 6, 9). Quod enim mortuus fuit peccato, mortuus fuit semel: quod autem vivit, vivit Deo. Atque hic videre est, ut suum errorem suo ipsi gladio confondiant. Dum enim poenam peccati mortem esse dicunt, simul profitentur hominem, si lapsus non esset, futurum [fol. 28] fuisse immortalem. Nam et quod coepit, aliquando non fuit: et quod poenae est, non est naturae. Contra apostolus, peccatum absorberi a gratia clamat (Rom. 5, 21), ut adversus electos Dei agere amplius non possit. Obtinemus igitur, electos Dei tales nunc esse, qualis fuerit ante peccatum Adam. Et ut ille creatus est inexterminabilis, ita et nunc eos esse, qui per Christum in meliorem naturam recreati sunt. Neque obstat illud apostoli: Tunc fiet verbum: absorpta est mors in victoria (1 Cor. 15, 54). Quando Fieri, pro Imploeri dictum, neino infitari potest. Imploebitur enim in corpore, quod nunc inchoatum est in anima. Vel potius, in anima simul et corpore implebitur, quod in anima duntaxat inchoatum est. Nam et mors hacc communis, qua velut communi naturae necessitate omnes defungimur, magis est electis naturalis quidam transitus ad summum gradum immortalitatis, quam aut malum, aut poca: atque, ut ait Augustinus,<sup>1)</sup> nihil aliud quam carnis occasus, qui

1) De discrimine vitae humanae et brut. c. 43.

non consumit coniuncta, sed dividit: quum origini suea utrumque reddit.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Tertio loco afferunt, quod toties dormire legantur, qui mortui sunt. Ut de Stephano, Obdormivit in Domino (Act. 7, 60). Item, Lazarus noster dormit (Ioann. 11, 11). Item, Nolite solliciti esse de dormientibus (1 Thess. 4, 13). In libris vero Regum saepissime, ut vix alia phrasis scripturae sit familiarior. Maxime vero instant, quum arripiunt sententiam ex libro Iob (14, 7 seqq.): Lignum habet spem: si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant. Homo vero ubi mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est? Quomodo si recedant aquae de mari, et fluvius vacuefactus arescat: sic homo quum dormierit, non consurget, nec evigilabitur de somno suo, donec atteratur coelum. Si animae ideo vobis dormire credantur, quia mors vocatur dormitio: primum, anima Christi eodem somno correpta est. Sic enim in persona ipsius loquitur David (Psal. 3, 6): Ego dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi, quia Dominus mecum est. Et audit ab inimicis sibi insultantibus verbum iniquum: Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurget (Psal. 41, 9)? Si autem nihil tam humile atque abiectum de anima Christi suspicandum est, ut disputatum est fusius, nemo ambigat, quin scriptura externam duntaxat corporis compositionem spectaverit: et illud dormire ab hominum aspectu duxerit. Haec enim duo promiscue leguntur: Dormivit cum patribus suis: et, Appositus est patribus suis. Quum anima non apponitur animis patrum, sed corpus in sepulcrum patrum deferatur. Est etiam secundum me, quod impiis quoque regibus attribuit Samuel hanc dormitionem in Regum historia: quod idem videre est in posterioribus libris Regum, et libris Paralipomenon. Quum auditis dormire impium cogitatis animae somnum? quae peiores habere carnificem non potest, a quo torqueatur, quam malam conscientiam. Ubi somnus inter tales angustias? Impii enim sicut [fol. 29] mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant in conculationem fluctus eius et lutum.<sup>1)</sup> Non est pax impiis, dicit Dominus (Ies. 57, 21). Et tamen David quum vellet exprimere conscientiae aculeum acerlime pungentem: Illumina, inquit, oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem (Psal. 13, 4). Ecce fauces inferorum miserum obsident, vis peccati exagit, et tamen dormit: imo vero ideo dormit, quia haec patitur. Hic etiam ad prima discendi elementa reiiciendi sunt, qui necdum didicerunt *xata συνερδοχην* a parte interdum totum intelligi, interdum a toto

1) *Quod sic vertit Gallus*: ses flots regorgent en foulement et iettent de la fange et des ordures. *Gallarius scriptus*: redundant fluctus eius in conculationem et lutum. *Quem deinde caeteri sequuti sunt*.

partem: quum haec figura toties usurpata sit in scripturis. Nolo mihi fidem haberi, nisi prius locos aliquot protulerim, qui evincant synecdochen esse in usu illius verbi, quoties pro morte legitur. An vero quum Iob diceret: Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane mo quaeasieris non subsistam (Iob. 7, 21): existimabat animam somno perfusum iri? Atqui, non erat coniicienda in pulverem: ergo non in pulvere dormitura erat. Alio etiam loco, quum diceret: Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos (Iob. 21, 26); et David (Psal. 88, 6): Sicut vulnerati dormientes in sepulcris: an videntur vobis animas vermis exposuisse, quas arroderent? Idem nos docet propheta, qui scripturus exitium Nabuchadnesar: Conquievit, inquit, et siluit omnis terra, abies quoque laetatae sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos (Ies. 14, 7 ss.). Et paulo post: Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in sede sua: tu autem projectus es e sepulcro. Quae omnia de cadavere dicta sunt: ut dormire, sit iacere et prosterni: a more dormientium, qui humili prostrati iacent. Hanc loquendi formam poterant eos docere ethnici, quorum unus:<sup>1)</sup> Nobis quum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda. Alter vero: Stulte, quid est somnus, etc. Alibi: Dicite, Nasonis molliter ossa cubent. Atque haec quidem loquuntur, qui multa fingunt de inferis portenta, multasque et varias passiones, quibus mortuorum umbrae afficiantur. Qua ratione a veteribus impositum nomen loco, qui mortuorum sepulcris destinaretur, *κοιμητήριον ἀπὸ τοῦ κοιμᾶσθαι*, quod dormire significat. Non quod intellegenter illic mortuas animas ad quietem reponi, sed corpora. Iam satis evanuisse arbitror ipsorum fumos, quibus animarum dormitionem involvebant, ubi probatum est, nusquam inveniri in scripturis, dormiendi verbum attributum animis, quoties pro morte legitur positum. Caeterum de animarum quiete fusius alibi disseruumus.

Quarto, locum Solomonis in nos, quasi fortissimum arietem, impellunt. Ubi ille in Ecclesiasta suo scribit: Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, ut ostenderet similes esse [fol. 30] bestiis. Idecirco unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati, et pergunt in unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit an spiritus filiorum Adam ascendet sursum, et spiritus iumentorum descendat deorsum (Eccles. 3, 18 s.)? Quid si uno verbo Solomon ipse hic illis respondeat? Vanitas vanitatum, dicit Ecclesia-

1) *Catullus* carm. 5. *Caetera Ovidii*. *Vernio gallica haec omnia omitti*.

stes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid enim aliud agit, quam ut sensum hominis vanum, et rerum omnium incertum ostendat? Videt homo se mori instar beluarum, sibi vitam et mortem cum illis esse communem: conditionem igitur sibi aequam cum illis, colligit. Et quemadmodum post mortem illis nihil superest, ita sibi nihil facit reliquum. Haec mens hominis, haec ratio, hic intellectus. Animalis enim homo non percipit ea quae sunt spiritus: stultitia est illi et non potest intelligere (1 Cor. 2, 14). Homo videt oculis carnis, spectat mortem praesentem, hoc unum secum reputat de terra omnia orta esse, et in terram pariter reverti: interim animae nulla ratio. Atque id est quod subiicit: Quis novit, an spiritus filiorum Adam ascendat sursum? Quod si ad animam veniatur, humana ratio tota in se contracta nihil statum aut liquidum, studendo, meditando, ratiocinando comprehendet. Quum igitur Solomon humani sensus vanitatem ex eo ostendat, quod in animi consideratione varius sit et suspensus, minime errori eorum patrocinatur: sed fidem nostram praecclare sustinet. Quod enim humanae mentis captum excedit et modulos, hoc nobis explicat Dei sapientia: spiritum scilicet filiorum Adam sursum ascendere. Proponam simile ex eodem scriptore (Eccl. 9, 1 s.), quo duram istam cervicem paulum illis inflectam. Non intelligit homo odium vel amorem Dei erga homines, sed omnia servantur incerta, eo quod universa aequa eveniunt iusto et impio, bono et malo, immolanti victimas et non immolanti, etc. Si omnia servantur incerta in futurum: ergo fidelis, cui omnia in bonum cooperantur, afflictionem interpretabitur esse Dei odium? minime: fidelibus enim dictum est (Ioann. 16, 33): In mundo pressuram habebitis, in me consolacionem. Cui verbo dum incumbunt, non modo infracta animi aequitate perferunt quidquid evenerit, sed etiam gloriantur in tribulationibus, confitentes cum beato Iob: Etiamsi occiderit nos, in ipso sperabimus (Iob. 13, 15). Quomodo igitur in futurum servantur incerta omnia? Haec secundum hominem. Verumtamen vanitas omnis homo vivens. His subiicit (Eccl. 9, 3 ss.): Hoc est pessimum quod vidi sub sole, quia eadem cunctis eveniunt: unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu, in vita sua: et post haec, ad inferos deducuntur. [fol. 31] Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis vivus leone mortuo. Viventes enim sciunt se esse morituros: mortui vero nihil neverunt amplius. Nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria ipsorum, etc. Nonne haec loquitur de eorum crassitia, qui cernunt tantum ante pedes, nec futuram vitam, nec resurrectionem sperantes? Nam etsi verum esset, nihil nos esse post mortem: superest tamen resurrectio, in cuius spem si intuerentur; non imbuerentur contemptu Dei, nec

replerentur malitia: ut omnia alia omittam. Constituamus ergo post Solomonem, haec omnia non cadere sub sensum rationis humanae. Quod si certum aliquid habere volumus, ad legem curramus et ad testimonium (Ies. 8, 20): ubi veritas et viae Domini. Haec lobis loquuntur: Donec revertatur pulvis in terram unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum (Eccl. 12, 7). Nemo ergo dubitet, qui verbum Dei audierit, quin spiritus filiorum Adam ascendat sursum. Ascendere autem sursum, simpliciter illic accipio pro consistere, et immortalitatem retinere: quemadmodum sursum<sup>1)</sup> descendere, dixisse mihi videtur, pro collabi, decidere, disperdi.

Quintum argumentum pleno adeo atque aperto gutture intonant, ut profundissimum somnum dormientibus excutere possint. In eo enim meliorem suae victoriae partem constituunt. Et quum fucum suis neophytis facere volunt, id potissimum arripiunt, quo fidem eorum et sanam mentem labefacent. Unum, inquiunt, iudicium, quod reddet omnibus suam mercedem, piis gloriam, impiis gehennam. Nihil ante illum diem statuitur, aut beatitudinis, aut miseriae. Sic ubique scripturae testantur: Mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis coelorum, usque ad terminos eorum (Matth. 24, 31). Item: In consummatione saeculi mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol, in regno patris sui (Matth. 13, 41 ss.). Item: Tunc dicet rex his qui a dextris erunt: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi: discedite a me maledicti in ignem aeternum. Et ibunt, hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam (Matth. 25, 34 ss.). Simile est apud Danielem (Dan. 12, 1): Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Haec omnia, inquiunt, si de die iudicii scripta sunt, quomodo vocabuntur tunc ad regni coelestis possessionem electi, si nunc possident? Quomodo dicetur illis ut veniant, si iam sunt? Quomodo salvabitur populus, si nunc salvus est? Quamobrem fideles, qui nunc etiam in fide ambulant, non alium exspectant salutis suae diem, ut ait [fol. 32] Paulus: Scientes, quoniam qui suscitavit Iesum a mortuis, et nos cum Iesu suscitat (2 Cor. 4, 14). Et alibi: Exspectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem, in diem adventus, etc. (1 Cor. 1, 7 s.). Verum, ut haec omnia illis concedamus, cur addunt de somno suum? Non enim in

1) *Sic libri nostri omnes praeter Amst. qui habet: deorsum. Nobis vocabulum omnino delendum videtur.*

tot locis ac similibus, syllabam unam de somno proferre possunt. Atqui, etiamsi vigilent, carere possunt gloria. Quare quum insanii sit hominis, nondum temerarii, sine scriptura definire de iis, quae subsensum hominis non cadunt: quo tandem vultu pergunt temulentii isti et novi dogmatistae in defensionem somni, quem non accepserunt ex ore Domini? Hoc sanis et sobriis satis esse possit: quo agnoscant somnum istum improbe confungi, qui aperto Dei verbo probari non possit. Sed age, hos locos obiter disseramus,<sup>1)</sup> ne quid simpliciores moveant, quum audiunt salutem animarum in diem iudiciorum differri. Primum illud quidem in confessio esse volumus, quod iam ante explicatum a nobis est, beatitudinem nostram semper in cursu esse, usque ad diem illum, qui omnem cursum claudet et terminabit: ita electorum gloriam, et ultimac speci finem, ad eum ipsum diem spectare, ut impleantur.<sup>2)</sup> Nam hoc satis inter omnes convenit, nullam esse vel beatitudinis, vel gloriae perfectionem, nisi perfectam cum Deo coniunctionem. Huc omnes tendimus, huc properamus, huc omnes scripturae mittunt, et Dei promissiones. Quod enim semel Abrahae dictum est, ad nos etiam pertinet: Abraham, ego merces tua magna nimis (Gen. 15, 1). Haec ergo quum sit constituta omnibus merces, qui cum Abraham partem habent: Deum possidere, et eo frui, praeter quam, et ultra quam, nullam aliam appetere liceat: coniiciendi sunt illuc oculi, quum de exspectatione nostra agitur. Hactenus, ni fallor, assentiuntur nobis adversarii nostri. Atque istud rursum nobis, ut spero, concedent, regnum illud, ad quod fideles possidendum vocantur, quod et salus alibi, et merces, et gloria nuncupatur, non aliud esse, quam illam cum Deo unionem: ut scilicet in Deo plene sint, a Deo impleantur, ipsique vicissim Deo adhaereant, Deum plene possideant, unum denique cum Deo sint. Sic enim dum in fonte sunt omnis plenitudinis, ultimam metam attingunt omnis iustitiae, sapientiae, gloriae: quibus benedictionibus constat regnum Dei. Nam id esse ultimum punctum regni Dei insinuavit Paulus, quum inquit: Ut sit Deus omnia in omnibus (1 Cor. 15, 28). Si Deus illo demum die vere erit omnia in omnibus, et suos fideles ad iustum modum implebit, non absque causa dies illa salutis nostrae dicitur, ante quem non omnes salutis nostrae numeri implentur. Quos enim Deus implet, ii implentur omnibus divitiis, quas neque lingua eloqui, nec auris percipere, nec oculus videre, nec mens cogitatione assequi potest (1 Cor. 2, 9). Hacc duo si extra controversiam [fol. 38] sunt, frustra nituntur nostri hypnologi convincere sanctos Dei servos, hac vita defunctos, nondum ingressos esse in regnum Dei, ex eo quod illis dicetur: Ve-

nite, possidete regnum, etc. (Matth. 25, 34) et similibus. Promptum enim nobis est respondere: non ideo nunc nullum esse regnum, quia nondum perfectum est. Sed contra dicimus tunc perficiendum esse, quod iam inchoatum est, cuius rei fidem tunc demum factam a me volo, ubi planam fecero, ex certis scripturarum argumentis. Nam et dies ille regnum Dei dicitur, quia tunc vere subiicit sibi protestates adversarias, Satanam interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, ipse vero totus in electis suis habitabit et regnabit (1 Cor. 15, 24; 2 Thess. 2, 8). Nequo enim aliter regnare olim in se Deus potest, quam regnavit ab initio: cuius maiestati nihil accedere aut decedere potest. Sed regnum eius dicitur, quod omnibus manifestabitur. An vero dum oramus ut regnum eius adveniat, cogitamus nunc nullum esse? Et ubi erit illud? Regnum Dei intra vos est (Luc. 17, 21). Regnat igitur Deus iam nunc in electis suis quos agit spiritu suo. Regnat et contra diabolum, peccatum et mortem, dum iubet e tenebris lucem splendescere, qua confundantur error et mendacium: et dum prohibet, ne noceant protestates tenebrarum iis, qui signum agni in fronte gerunt. Regnat, inquam, iam nunc, cuius ut regnum adveniat, oramus. Regnat quidem dum operatur virtutes in suis, dum Satanae legem dicit. Sed tunc regnum eius adveniet, quum implebitur. Implebitur autem, quum plane manifestabit gloriam maiestatis suae electis suis ad salutem, reprobis ad confusionem. Quid autem aliud vel dicendum vel credendum est de electis? quorum regnum est et gloria, in regno Dei gloriose esse, et cum Deo veluti regnare, et in eo gloriari: denique divinae gloriae participes esse. Hoc quidem regnum, tametsi nondum advenisse dicitur, tamen aliqua ex parte spectare licet. Nam in regno Dei incepint esse, qui regnum Dei quodammodo intra se habent, et cum Deo regnant: adversus quos portae inferorum praevalere nequeunt (Matth. 16, 18). In Deo iustificantur, de quibus dictum est: In Domino iustificabitur et laudabitur omne semen Israel (Ies. 45, 25). Ut prorsus regnum istud sit ecclesiae aedificatio, seu profectus fidelium, quem nobis describit Paulus: qui per omnes actatum gradus adolescent in virum perfectum (Ephes. 4, 13). Vident boni isti viri huius regni principia, vident iurementa: statim atque haec abeunt ex oculis, non dant fidei locum, nec sustinent credere, quod non habent praec oculis carnis. At vero longe aliter apostolus: Mortui, inquit, estis: et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos simul cum ipso apparetis in gloria (Coloss. 3, 3, 4). Vitam quidem absconditam nobis tribuit cum Christo, capite [fol. 34] nostro, apud Deum: gloriam differt in diom gloriae Christi, qui ut caput est ecclesiae, trahet

1) edisseramus Amst.

2) impleatur, 1552 seqq.

secum sua membra. Idem prorsus Ioannes aliis verbis: Carissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (1 Ioann. 3, 2 s.). Non dicit, nos interea, aliquo temporis intervallo, nihil futuros: sed quum simus filii Dei, qui exspectamus haereditatem patris, sustinet ac suspendit exspectationem nostram in diem illum, quo in omnibus gloria Dei manifestabitur, et nos in eo gloriamur. Hic rursum mirari subit, quum audiunt Dei filios, qui non redeant ad sanam mentem, et sentiant hanc generationem immortalem esse, quae ex Deo est, et qua divinae immortalitatis sumus participes.<sup>1)</sup> Sed ad institutum pergamus. Clament quantum volent, non vocari benedictos Dei ad rognun ante diem iudicii, nec ante promitti salutem populo Dei. Respondeo, Christum caput nostrum esse, cuius regnum et gloria nondum apparuerunt: si membra caput praecedant, perversum ac praeposterum esse ordinem. Tum vero nos sequuturos principem nostrum, quum ille veniet in gloria patris sui, et sedebit in sede maiestatis suae (Matth. 16, 27; 25, 31). Interim tamen vivere, quod ex Deo in nobis est, hoc est, spiritum nostrum, quia Christus vivit vita nostra: absurdum enim esse, ut vivente vita nostra, pereamus ipsi. Vitam autem hanc et apud Deum, et cum Deo esse, et beatam esse, quia in Deo sit. Haec omnia sibi constant, et veritati consentiunt. Cur enim nondum salvati esse dicuntur, aut regnum Dei possidere, qui in Domino mortui sunt? Quia exspectant, quod nondum habent, nec finem suae felicitatis attigerunt. Cur nihilominus beati sunt? quia et Deum agnoscent sibi propitium, et futuram mercedem eminus vident, et in certa exspectatione beatae resurrectionis acquiescent. Quamdiu certe habitamus in hoc carcere luteo, speramus quae non videmus: et praeter spem, credimus in spem: quod ait apostolus de Abraham (Rom. 4, 18). Ubi autem oculi mentis nostrae, qui nunc sepulti in hac carne hebetes sunt, absterserint hanc velut lippitudinem, videbimus quae exspectabamus, et in ea requie delectabimur. Neque enim veremur id post apostolum dicere, qui e converso dicit (Hebr. 10, 27) *μοθεράν την ἐδοχὴν κρίσεως*,<sup>2)</sup> manere reprobos, id est, formidabilem exspectationem iudicii. Si haec terribilis, illa

1) *Hic locus ex iis est cuius interpretatio gallica Calvinum autorem agnoscere nullo modo poterit:* Ils s'embahiront ici derechef quand ils oyent, Les enfans de Dieu, qui ne retournent point à leur bon sens, et sentent ceste generation estre immortelle, laquelle est de Dieu, et par laquelle nous sommes faits participants de l'immortalité Divine. *Quae toto coelo a sensu latini textus absunt.* Multo melius reddit editio Bezae 1566: Ie m'esbahis derechef, quand ils oyent ici nommer, Les enfans de Dieu, qu'ils [i. e., quo pacto ipsi] ne retournent à leur bon sens et ne sentent que etc. 2) Autor fortasse scriptit: *μοθεράν τινα έ.* x.

sane et laeta et beata merito vocabitur. Et quoniam consilium est docere adversarios magis quam cogere: commodent nobis paulisper aures, dum ex figura veteris testamenti eruimus veritatem, neque id sine autore. Quemadmodum Paulus in transitu filiorum Israel tractat allegorice submersum Pharaonem, viam liberationis per aquam (1 Cor. 10, 1 s.): permittant etiam nobis dicere, in baptismo submergi Pharaonem nostrum, crucifigi veterem hominem, mortificari membra nostra, nos sepeliri cum Christo, [fol. 35] migrare e captivitate diaboli ac imperio mortis: sed migrare duntaxat in desertum, terram aridam ac inopem, nisi Dominus pluāt inan e coelo, et aquam scaturire faciat e petra. Anima enim nostra, sicut terra sine aqua illi,<sup>1)</sup> quae rerum omnium penuria premitur, donec ille pluit gratias spiritus sui. Transitur postea in terram promissionis, duce Iesu filio Nave, terram abundantem lacte et melle: hoc est, gratia Dei nos liberat e corpore mortis, per Iesum Christum Dominum nostrum, non tamen sine sanguine et sudore. Si quidem caro tum maxime resilit, et vires suas ad pugnam exscrit, ut configitat adversus spiritum. Postquam in terra residetur, tunc pasciuntur in abundantia. Dantur enim stolae albae, et requies. Sed nondum erecta est Ierusalem, caput ac sedes regni. Nondum Solomon rex pacis sceptrum tenet, omniaque moderatur. Sunt ergo sanctorum animae post mortem in pace, quae extra manum hostis evolarunt. Sunt in opulentia, de quibus dictum est: Ibunt de abundantia in abundantiam. Ubi vero surrexerit in gloriam: suam coelestis Ierusalem, et verus Solomon Christus, rex pacis, sublimis sederit in tribunali, regnabunt cum suo rege veri Israelitae. Quod si libet a rebus hominum petere similitudinem: pugnamus cum hoste, quamdiu conflictatio est nobis adversus carnem et sanguinem: vincimus hostem, dum exuimur hac carne peccati, ut toti Dei simus. Agemus triumphum, et fructu victoriae potiemur, quum caput nostrum supra mortem, vere erigetur in gloria: hoc est, quum mors in victoria absorbebitur. Haec meta, hic scopus noster, de quo scriptum est: Satiabor, quum evigilavero, aspectu gloriae tuae (Psal. 17, 15). Haec ex scripturis facile discere possunt, quicunque Deo auscultare, et vocem eius exaudire didicerunt. Haec etiam nobis per manus tradiderunt, qui parce et reverenter tractarunt Dei mysteria. Sic enim permisserunt sibi loqui veteres, ut dicentur animas quidem in paradiso et in coelo esse, nondum tamen gloriam aut mercedem percepisse. Nam Tertullianus:<sup>2)</sup> Et merces, inquit, et periculum, in resurrectionis pendet eventu: qui tamen, sine ulla ambage, docet ani-

1) *G. vertit:* Nostre ame est comme une terre sans eau laquelle basille de secheresse devant Dieu. *Nihilominus in latino textu sana omnia, si Psal. 143, 6 ex quo desumptus est relegeris.* 2) Libro de resurr. carnis c. 21.

mas cum Deo esse, et in Deo vivere, ante eventum illum. Alibi: <sup>1)</sup> Cur non capiamus sinum Abrahæ diei, tempore aliquod fidelium animarum receptaculum, in quo delineetur fidei imago, ac candida utriusque iudicij prospiciatur? Irenaeus vero: <sup>2)</sup> Quum Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter surrexit, et post resurrectionem assumptus est: manifestum est, quia et discipulorum eius, propter quos haec operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum, definitum illis a Domino: et ibi, usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post, recipientes [fol. 36] corpora sua, et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient in conspectum Dei. Nemo enim discipulus supra magistrum (Matth. 10, 24), etc. Et Chrysostomus: <sup>3)</sup> Intelligite quale et quantum est, Abraham sedere, et apostolum Paulum, quando perficiatur, ut possint tunc mercedem recipere. Nisi enim nos illuc venerimus, tunc praedixit eis pater, non se datum <sup>4)</sup> mercedem: sicut bonus pater amator filiorum, et probabilibus filiis et opus perficientibus dicit, se non daturum cibum, nisi venerint alii fratres. Tu autem anxius es, quia neendum accipis? quid autem faciet Abel, qui ante vicit, et adhuc sine corona sedet? Quid Noe? quid caeteri illorum temporum? Quia ecce exspectaverunt, et alios exspectant, qui post te futuri sunt. Paulo post: Praevenient nos in certaminibus, sed non praevenient in coronis: quia unum definitum est tempus omnium coronarum. Augustinus autem multis in locis <sup>5)</sup> secreta receptacula describit, quibus piorum animæ contineantur, donec coronam et gloriam recipient: quum interim reprobi poenas huius, exspectantes iustum iudicij poenam. Et quadam ad Hieronymum epistola: Anima, inquit, post mortem corporis requiem est habitura, et corpus tandem ad gloriam receptura. Alibi tamen tradit post ascensionem Christi eas animas in coelum ascendere, quibus Christus via est. <sup>6)</sup> Nam quum certum sit, nunc torqueri malos daemones (ut Petrus affirmat 2 Petr. 2, 4) ignis tamen

ille, in quem mittentur reprobi in die iudicij, dicitur præparatus diabolo. Utrumque ille expressit, qui scripsit reservatos sub aeternis vinculis, in iudicium magni diei (Iud. 6). Ubi per reservationem, poenam significavit, quam nondum sentiunt: per vincula, præsentem, quam sustinent. Et Augustinus ipse alio loco <sup>1)</sup> se exponit, quum inquit: Tuus certe dies ultimus longe abesse non potest. Ad hunc te præpara. Qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitae. Post vitam istam non statim eris ubi erunt sancti, quibus dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Nondum ibi eris, quis nescit? sed iam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem, dives ille superbus et sterilis, in mediis suis tormentis, vidit a longe requiescentem. In illa requie positus, certe securus, exspectas iudicij diem, quando recipias et corpus, quando immuteris, ut angelo aequeris. Neque displicet, quod alicubi docendi causa traditum est ab eodem, <sup>2)</sup> si tamen sanum et modestum interpretem habeat; multos esse gradus animae: primum, animationem: secundum, sensum: tertium, artem: quartum, virtutem: quintum, tranquillitatem: sextum, ingressiōnem: septimum, contemplationem. Seu quis malit: primum, de corpore: secundum, [fol. 37] ad corpus: tertium, circa corpus: quartum, ad se ipsam: quintum, in se ipsa: sextum, ad Deum: septimum, apud Deum. Quae verba huc accersere visum est magis, ut sancti viri sensum hac in re ostenderem, quam ut quemquam, aut me etiam ipsum, ad huius distinctiunculae legem adigam. Id enim ne ipse quidem Augustinus, opinor, optavit: sed quam potuit crassissime, enarrare voluit quandam esse animae profectum: qui non ad ultimam metam perveniat, usque ad diem iudicij. Postremo succurrit, ex hoc iudicij die, cui <sup>3)</sup> tantopere incumbunt, errorem eorum posse revelli. In symbolo namque, quod est fidei nostræ compendium, confitemur non animae, sed carnis resurrectionem. Neque erit locus cavillo, ut dicant, carnis nomine, totum significari hominem. Quod quidem illis interdum esse concedimus: sed hic minime admittimus, ubi rudi populo admīdum significantia et simplicia verba expressa sunt. Certe Pharisæi, egregii resurrectionis assertores, et semper in ore habentes eius nomen, simul tamen credebat non esse spiritum. <sup>4)</sup>

Initiunt tamen adhuc nobis manus, et nos haerere cogunt ad hunc scopulum. Verba Pauli citant quibus testatur nos esse omnibus hominibus miserabiliores, si mortui non resurgunt (1 Cor. 15, 19). Quorsum, inquiunt, resurrectione opus est, si ante

1) *Idem, adv. Marc. IV. 34.* 2) *Libr. IX. adversus haeres. (nobis lib. V. c. 31).* 3) *Hom. 28. in 11. ad Hebr. 4) se non daturum, 1552 seqq.* 5) *Libro XII. de civit. c. 9; lib. XIII. c. 8. et alibi.* 6) *De eccles. dogmatibus. Haec verba: Alibi . . . via est, leguntur in sola ed. principe. Caeteræ eorum loco habent haec:* Bernardus vero, homiliis duabus habitis in festo omnium sanctorum, ubi ex professore hanc quaestionem tractat, sanctorum animas corporibus exutas, adhuc in atriis Domini stare docet, ad requiem admissas, non autem ad gloriam. In illam, inquit, beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Et multa alia in hanc sententiam. Qui autem in coelo eas collocant, modo non attribuant illis resurrectionis gloriam, nihil ab ea sententia dissident: sicut Augustinus ipse facere alicubi videtur.

1) *In Psal. 36.* 2) *Idem de quantit. animae.* 3) *qui, 1576 seqq.* 4) *Sic legitur ubique.*

resurrectionem beati sumus? Imo vero quae tanta est christianorum hominum miseria, quae omnium hominum miseriam superat, si verum est eos esse in requie, dum interim alii torquentur, et miris modis cruciantur? Hic eos admoneo, si eludendi consilium esset (quod ipsi unum moliuntur) patere mihi elabendi locum. Quid enim prohibet, sanos quosdam homines sequi qui disputationem illam accipiunt, non de ultima modo resurrectione, qua ex corruptione recipiemus corpora incorruptibilia, sed de vita, quae nobis superest post hanc vitam mortalem, quam nomine resurrectionis in scripturis designari usitatum est? Quum enim dicitur, Sadducaeos negare resurrectionem, non refertur ad corpora: sed simpliciter dicitur, ex eorum opinione, nihil superesse homini post mortem. Cuius rei probabile est argumentum, quod omnia, quibus ibi sententiam suam adstruit Paulus, uno verbo elevari poterant, si responsum esset, animas quidem vivere: corpora vero, quae in pulverem evanescerent, nullo modo suscitari posse. Exempla subiiciamus. Quod ait: Ergo qui in Christo dormierunt, perierunt: refutari poterat a philosophis, qui animae immortalitatem fortiter asserebant. Ad id quod dicit: Quid facient qui baptizantur pro mortuis (1 Cor. 15, 29)? facile erat respondere: quia animae post mortem superstites. Ad illud vero: Ut quid nos periclitamur omni hora (ibid. 15, 31)? nos exponere fragilem hanc vitam pro immortalitate, in qua meliori [fol. 38] nostri parte vivemus. Iam multum verborum posuimus, quorum nullus usus fuisset inter dociles. Ipse enim apostolus nos esse miseros dicit, si in hac tantum vita in Christo speramus. Quod sine controversia liquidum est: vel eo teste, qui fatetur motos sibi paene pedes, et paene effusos gressus, dum videt pacem peccatorum in terra (Psal. 73, 2 ss.). Et sane si ante pedes respicimus, beatum dicemus populum, cui omnia ex sententia affluunt. Si vero longius extendimus oculos, beatus erit populus, cuius Dominus Deus est, penes quem est exitus mortis. Nos tamen certius aliquid adferemus, quod non modo ipsorum refellat obiecta, sed germanam apostoli mentem explicet iis, qui citra verborum contentionem discere volent. Nam si non est carnis resurrectio: merito, vel ob hoc unum, infelices vocat pios: quod tot vulnera, flagella, tormenta, contumelias, ultimas denique necessitates in corporibus suis perforant, quae putant destinata ad immortalitatem, quando quidem hac spe sua falluntur. Quid enim magis, non iam dico miserum, sed ridiculum, quam spectare eorum corpora, qui in diem vivunt, omnibus delitiis delibata, Christianorum corpora, fame, frigore, plagis, omni contumeliarum genere confecta: si et horum et illorum corpora ex aequo intereunt? Possem enim id ex eius verbis confirmare, quae subiicit: Ut quid periclitamur omni hora? Quotidie morior per vestram gloriam fratres,

etc. Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Satius, inquit, esset illud valere inter nos, Manducemus, etc. si haec quae patimur in corporibus nostris opprobria, non ea, quam speramus, gloria mutarentur. Quod non futurum est, nisi in resurrectione carnis. Deinde ut hoc praesidio cedam, possum hic alteram rationem addere. Ideo nos esse omnibus hominibus miserabiliores, si non sit resurrectio. Quia tametsi ante resurrectionem beati sumus, non tamen sine resurrectione. In hoc enim beatos esse sanctorum spiritus dicimus, quia acquiescunt in spe beatae resurrectionis: quae si non esset, periret haec omnis beatitudo. Est igitur verum illud Pauli, nos esse miserabiliores omnibus hominibus, si non sit resurrectio. Nec cum illis verbis pugnat hoc dogma: beatos esse sanctorum spiritus, ante resurrectionem, sed propter resurrectionem.

Proferunt etiam quod in epistola ad Hebreos legitur, de veteribus patribus (Hebr. 11, 13 ss.). Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus: sed a longe eas salutantes, quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique potestatem revertendi: nunc autem meliorem [fol. 39] appetunt, id est, coelestem. Unde in hunc modum ratiocinantur: Si appetunt patriam coelestem, ergo non possident. Nos vero sic: Si appetunt, ergo sunt: non enim cadit appetitus, nisi in subiectum. Et, quod ab illis solum exprimere conor, convenit esse sensum boni et mali, ubi est appetitus, qui aut sequatur, quod boni speciem praefert, aut refugiat, quod malum visum fuerit. Appetitus ille, dicunt, iacet in Deo. Quo nihil magis ridiculum cogitari aut fingi potest. Siquidem e duobus, alterum evincimus: aut Deum quidpiam appetere melius quam habet: aut aliquid esse in Deo, quod non sit Dei. Quae res mihi conjecturam facit, in re seria eos ludere. Atque ut haec omittamus, quid vult sibi revertendi potestas? Redeat itaque ad cor, et aliquid melius audiant, quam hactenus senserunt. Si tamen persuasum habent, quod in primis labris circumferunt. Loquitur apostolus de Abraham et eius posteritate, qui inter extraneos habitarunt in terra aliena: tantum non exsules, certe inquilini, vix corpora tegentes humilibus tuguriis: iuxta Dei praeceptum quod Abrahae datum fuerat, ut exiret de terra sua et de cognatione sua. His promiserat Deus, quod nondum exhibuerat. Salutaverunt ergo eminentes promissiones, et in certa fide defuncti sunt, fore olim, ut praestaret Deus missa sua. Iuxta quam fidem confessi sunt, non esse sibi statam sedem in terris, et extra terram sibi esse patriam, quam appetenter: nempe in coelo. In fine vero capitinis significat eos omnes, quos recensuit, non adeptos esse

ultimam repromotionem, ne sine nobis perficerentur. Cuius verbi si proprietatem observassent, nunquam ~~conceperant~~<sup>concepissent tantas turbas. Mirum quomodo caecutiant in tanta luce. Sed hoc magis mirum, quod panem nobis pro lapidibus porrigit: hoc est, dum volunt impellere, sustinent.</sup>

Iam quod de Thabita narratur in Actis Apostolorum (Act. 9, 40), putant valde firmum sibi esse column. Quae quum discipula fuisse<sup>1)</sup> Christi, plena bonis operibus et eleemosynis, suscitata est ex mortuis a Petro. Iniuriam aiunt factam Thabitae, si verum dicimus, animas solutas a corpore cum Deo et in Deo vivere, quod revocata sit a consortio Dei et beata illa vita, in hoc mare malorum. Quasi vero non liceat idem contra eos retorquere. Nam sive dormiebat, sive nihil erat, quia tamen defuncta erat in Domino, beata erat. Non igitur expediebat illi redire in hanc vitam,<sup>2)</sup> quam confecerat. Hunc nondum quem colligarunt, priores ipsi dissolvant. Si quidem aequum est eos legi parere, quam aliis imponunt. Quanquam nobis dissolvere facile est. Quaecunque nos maneat sors post mortem, quod de se ait Paulus, transfertur ad omnes fideles: ut mori nobis sit lucrum, et esse cum Christo melius (Phil. 1, 21). Et tamen Paulus dicit, *Epaphroditum*, qui certe in numero [fol. 40] fidelium erat, misericordiam consequutum a Domino, quod infirmatus ad mortem, revaluisse<sup>set</sup> (Phil. 2, 27). Isti quidem, qui tam irreverenter et parum sobrie tractant Dei mysteria, misericordiam istam interpretarentur crudelitatem. Nos vero misericordiam sentimus et fatemur, quum sint gradus misericordiae Dei, sanctificari electos, glorificari sanctificatos. Nonne igitur misericordiam suam exercet Dominus, quum nos magis ac magis sanctificat? Quid si voluntas Dei est magnificari in corpore nostro per vitam, ut ait Paulus (Phil. 1, 20), nonne misericordia est? Quid quod Deo legem miraculorum dicere non nostrum est? Satisque est, si in illis eluceat autoris gloria. Quid si dicamus Deum non consuluisse Thabitae commodis, sed pauperes respexisse? ad quorum certe preces suscitata est, flentium et ostendentium vestes, quas consuebat illis Thabita. Hanc enim rationem vivendi sufficere sibi credebat Paulus, quum multo melius esset illi, ad Deum migrare. Et quum Deum misertum esse Epaphroditum dixisset, subiecit: Non solum autem eius, sed et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Ite nunc, et Deo dicam dicite: quod mulierem in ministeria pauperum sedulam reddidit pauperibus. Nam ut constet nobis operis ratio, hoc certe Christus meruit, ut glorificetur in vita nostra, et in morte: qui

mortuus est et resurrexit, ut vivis dominetur et mortuis (Rom. 14, 9).

Vocant et Davidem in causae suae patrocinium, nostrae optimum patronum: sed adeo sine pudore, aut etiam sensu communi, ut pudeat ac pigate multa quae ab eo argumenta mutuantur, referre. Omnia tamen quae ab illis usurpari audivimus, bona fide a nobis referentur. Audent primum istud citare (Psal. 82, 6): Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes: vos autem, sicut homines, moriemini, etc. Ac interpretantur, deos quidem et filios Dei esse fideles, sed mori et cadere cum reprobis: ut aequa sit sors utrorumque, donec separabuntur agni ab hoedis. Respondemus, quod a Christo accepimus (Ioann. 10, 34): illic vocari deos, ad quos sermo Dei factus est: hoc est, Dei ministros: iudices scilicet, qui gladium in manu gerunt, acceptum a Deo. Et si deesset nobis Christi interpretatio, ususque scripturae, qui ubique concinuit, locus ipse per se satis clarus est, quo obiurgantur qui iudicant iniuriam, et facies peccatorum sumunt. Hi dicuntur dii, quod personam Dei sustinent, quum aliis praesunt. Sed admonentur, futurum sibi iudicem, cui rationem reddant functionis. En specimen.

Audiamus alterum: Exibit spiritus eius, et revertetur in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. 146, 4). Ubi accipiunt spiritum pro vento, hominem abitum in terram, [fol. 41] nihil futurum nisi terram, perituras omnes cogitationes, quae utique remanerent, si esset anima. Nos vero non ita subiles sumus: sed pro nostra crassitie, scapham, vocamus scapham, et spiritum, spiritum. Qui dum exit ab homine, ipse homo in terram suam revertitur, de qua sumptus est, ut diffuse explicavimus. Restat ut videamus, quid sit cogitationes perire. Admoneamus, ne constituamus fiduciam in hominibus, quae debet esse immortalis: foret enim incerta et parum stabilis, quum vita hominum cito pertranseat. Ad quod significandum, dixit perire eorum cogitationes: hoc est, quidquid moliebantur dum viverent, dissipari et in ventum abiire. Ut alibi (Psal. 112, 10): Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit: quod alias dicitur, dissipari. Dominus dissipat consilia gentium (Psal. 33, 10). Item: Inite consilium, et dissipabitur (Ies. 8, 10). Quod verborum periphrasi beata virgo in cantico significavit: Dispersit superbos mente<sup>1)</sup> cordis sui (Luc. 1, 51).

Tertium: Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens (Psal. 78, 39). Et spiritum pro vento positum, ut fere ubique, conten-

1) esset, 1576 seqq. 2) Sic restituimus lectionem poscente sensu et arguento. Gallica versio assentitur. Antiquiores tamen libri omnes 1542–1576 habent: viam.

1) Sic restituimus ex Vulgata. Princeps mendoce: mentis, quod caeterae mutarunt in: sensu.

dunt. In quo non intelligunt, se non animarum modo immortalitatem abolere, sed spem quoque resurrectionis praecidere. Si enim est resurrectio, spiritus certe reddit. Si non reddit, resurrectio tollitur. Quamobrem eos imprudentiae culpam hic magis deprecari convenit, quam fortius instare, ut obtineant tam perversum postulatum. Atque haec quidem in hoc tantum dicta sint, ut videant omnes, quantum pateat effugium, si de refutandis eorum argumentis tantum cogitaremus. Fatemur enim libenter, idque ex nostra ipsorum sententia, hic quadrare nomen venti. Concedimus homines ventum esse fugientem nec pedeuntem. Quod si ad sua sensa trahunt, errant, nescientes scripturas: quibus mos est, per id genus periphrasis designare, nunc humanae conditionis imbecillitatem, nunc brevitatem vitae. Quum de homine dicit Iob, florem esse, qui egreditur et conteritur, et velut umbram fugere (Iob. 14, 2): quid aliud, quam describere voluit, hominem esse fluxum et fragilem, et similem floris decidui? Iesaias vero clamare iubetur omnem carnem foenum esse, et omnem eius gloriam, quasi florem foeni: exsiccatum esse foenum, et cecidisse florem: verbum autem Domini aeternum permanere (Ies. 40, 6). Agendum, colligant uno verbo, animam hominis exarere et emarcere: et paulo acutius cernant, quam crassus ille piscator (1 Petr. 1, 24), qui ex eo probat fideles omnes immortales esse, quia renati sint ex semine incorruptibili, hoc est, verbo Dei, quod aeternum permanet. Eos vero scriptura florem fluxum vocat, et ventum praeterirentem, quibus fiducia est in hac vita. Qui quasi hic sedem permanentem fixerint, regnaturos se putant sine fine: nec eum finem [fol. 42] respiciunt, quo sit mutanda conditio, et alio demigrandum. De quibus etiam ait prophet: Pepiginus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum (Ies. 28, 15). Eorum vanam spem irridens, non deputat ad vitam, quod illis est initium mortis pessimae. Ac desinere et mori eos affirmat, quibus melius esset non esse, quam sic esse. Simile est quod alio psalmo legitur: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus omnium timentium se. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est quia pulvis sumus. Et homo, sicut foenum, dies eius tanquam flos agri, sic effloreat. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum (Psal. 103, 13 ss.). Ex quibus verbis si affirment spiritum perire et evanescere: iterum illis praedico, vi-deant ne fenestram aperiant Epicureis, si qui sint qui insurgant, ac nostram eorumque fidem de resurrectione labefacere conentur, ut certe multi sunt. Eadem enim ratione colligent, spiritum in corpus non redire, quum dicatur non cognitum amplius locum. Sed dicent, vitiose colligent. Quoniam huic ratiocinationi aperte reclamant loci de resurrectione.

Et ipsi vitiose colligunt, quibus est cum illis commune argumentum. Simile fere est illud Ecclesiastici: Numerus annorum hominis, ut multum, centum anni, quasi guttae aquae maris deputati sunt, et sicut calculus arenae, sic exigui anni in die aevi. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit in eos misericordiam suam (Eccles. 18, 8 ss.). Fatendum igitur illis, longe diversam fuisse prophetae sententiam, ab ea quam somniant. Dominum esse eorum misertum quos agnosceret, sola sua misericordia stare, a quibus si paulisper manum retraheret, eos in pulverem reddituros, unde sumpti essent. Deinde subiicit brevem humanae vitae descriptionem: eam flori comparans, qui dum hodie viret, nihil aliud est, quam crastinum foenum. Quod si pronunciasset spiritum hominis perire et decidere in nihilum, ne sic quidem armasset ipsorum errorem. Nam quum dicimus spiritum hominis esse immortalem, non affirmamus contra manum Dei stare posse, aut sine eius virtute subsistere. Absint a nobis hae blasphemiae. Sed dicimus, eius manu ac benedictione sustineri. Sic Irenaeus,<sup>1)</sup> qui nobiscum spiritus immortalitatem asserit, vult tamen, discamus, natura nos mortales esse, solum autem Deum immortalem. Et eodom loco: Ut non quasi ex nobis habentes vitam, inflamer aliquando, et extollamur adversus Deum: experimentoque discamus, quoniam ex illius magnitudine, et non ex nostra natura habemus in aeternum perseverantium. Haec igitur nobis pugna est cum Davide, quem faciunt nobis tantopere adversarium. Ille ait hominem, si ab eo auferat suam misericordiam Dominus, ruere ac perire (Psal. 104, 29). Nos docemus, Dei benignitate ac virtute sustineri: quoniam ipse solus habet immortalitatem (1 Tim. 6, 16): et quidquid est vitae, ab eo est.

[fol. 43] Quartum. Satiata est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit: aestimatus sum cum descendantibus in lacum, sicut homo sine adiutorio, sicut interficti dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, et qui de manu tua abscessi sunt (Psal. 88, 4 ss.). Quid, inquiunt, si abscessi sunt a virtute Dei, si providentia eius et memoria exciderunt, nonne esse desierunt? Quasi vero non liceat mihi retorquere: Quid? si abscessi sunt a virtute Dei, si memoria exciderunt, quomodo rursum erunt? Et ubi erit resurrectio? Rursum, qui convenient isthaec? Iustorum animae in manu Dei sunt (Sapient. 3, 1). Aut, ut certis Dei gracilis agamus: In memoria aeterna erit iustus (Psal. 112, 6). Non igitur exciderunt a manu Domini, nec memoriam eius fugerunt. Quin potius hoc loquendi

1) Iren. libr. V. adversus haeres.

genere percipiamus gravem sensum hominis affliti, qui apud Deum conqueritur, se paene desertum cum ~~impis in libertate~~<sup>in</sup> perditionem quos Deus non nosse, et oblitus esse dicitur, quia nomina eorum in libro vitae scripta non sunt: et de manu sua abiecisse, quia eos non regit spiritu suo.

Quintum. Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam? aut iustitiam tuam in terra oblivionis (Ps. 88, 12)? Item: Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos, qui vivimus, benedicimus Dominu, ex hoc nunc et usque in saeculum (Psal. 115, 17). Item: Quae utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciat veritatem tuam (Ps. 30, 10)? Quibus coniungunt illud prorsus simile, ex cantico Ezechiae (Ies. 38, 18): Quia infernus non confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Vivens, vivens, ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: pater filii notam faciet veritatem tuam. Et illud Ecclesiastici: A mortuo, quasi nihil, perit confessio: confiteberis vivens (Eccles. 17, 26). Nos respondemus, non simpliciter his locis vocari mortuos, qui communia naturae lege defuncti sunt, dum ex hac vita decedunt. Non simpliciter dici, laudes Dei a morte cessare: sed partim significari, non cantaturos Domino laudes, nisi qui eius bonitatem et misericordiam senserint: partim vero, non illustrari post mortem nomen eius: quia non annunciantur tunc inter homines eius beneficia, quemadmodum in terra. Haec singula expendamus ac ordine pertractemus, ut simul et singulis locis reddamus suum sensum. Primum, hoc discamus. Etsi per mortem praesentis vitae solutio significatur saepius, et per infernum, sepulcrum: usu [fol. 44] tamen scripturae non infrequent, haec nomina accipi pro ira Dei et abiectione: ut mori et in infernum descendere, vel in inferno habitare dicantur, qui alienati sunt a Deo, qui Dei iudicio prostrati sunt, et eius manu attriti: infernus ipse non sepulcrum, sed abyssum et confusionem significet. Propterea aperuit infernus animam suam et deglutivit multos<sup>1)</sup> (Ies. 5, 14). Atque hoc quidem schema, quum passim in scripturis se offerat, Psalmis tamen maxime est familiare: Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes (Psal. 55, 16). Item: Deus meus ne quando sileas, et assimilabor descendantibus in lacum (Psal. 28, 1). Item: Domine, eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendantibus in lacum (Psal.

1) Propterea . . . multos. *Hic versus omissus est 1576 seqq.*

30, 4). Item: Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Deum (Psal. 9, 18). Item: Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea (Psal. 94, 17). Item: Dissipata sunt ossa nostra secus<sup>1)</sup> infernum (Psal. 141, 7). Item: Collocavit me in obscuris, sicut mortuos saeculi (Psal. 143, 3). In novo autem testamento, ubi apud evangelistas est ἀδης, interpres redidit infernum: sicut Lucae sexto decimo, de impi divite: In inferno autem quum esset, etc. Item: Matthaei undecimo: Et tu Capernaum, numquid in coelum exaltaberis? Amen dico tibi, usque in infernum descendes. In his locis non tam locum, quam eorum conditionem, quos Deus damnavit addixit que exsilium, significat.<sup>2)</sup> Atque id est quod in Symbolo confitemur, Christum ad inferos descendisse: hoc est, in omnes mortis dolores pro nobis a patre coniectum esse: omnes eius angustias et terrores pertulisse, et vere afflictum esse: quum prius dictum esset, fuisse sepultum. Sic rursum vivere et victuri dicuntur, quos Deus sua benignitate prosequitur: Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum (Psal. 133, 3). Item: ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame (Psal. 33, 19). Item: Evellet te Deus de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra vivorum<sup>3)</sup> (Psal. 52, 7). Item: Placebo Domino in regione vivorum (Psal. 116, 9). Ut finem faciamus, unus nobis locus sufficiat: qui utrumque ita graphicè depingit, ut, nobis tacentibus, sensum nostrum abunde explicet: Qui confident in virtute multa, et in multitudine divitiarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo? num<sup>4)</sup> dabit Deo placationem suam? Et pretium redemptionis animae suae, et laborabit in aeternum, et vivet adhuc usque in finem? Non videbit interitum, quum videbit sapientes morientes? simul insipiens et stultus peribunt. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino: et auxilium peribit in inferno, a gloria ipsorum. Verum tamen Deus redimet animam meam de manu inferi, quum accepterit me. Haec summa: Qui spem in divitiis habent, et virtute sua, morientur, et in infernum descendunt: dives et pauper, stultus et sapiens, simul interibunt. Qui sperat in Domino, liberabitur a potestate inferni.

1) *G. vertut:* sur la gueule de la fosse, *ad hebraicam veritatem, ut illi dicebant.* Autor plerumque in Vulgata subsistit. 2) In novo autem testamento . . . significat. *Haec omnia desunt in Ed. 1542. Versio gallica habet quidem loca ex Luca et Mattheo petita sed praecedentibus e Psalmis allegatis presse iungit, omissa phrasè introductory. Caeterum Amst. emendat: exitio pro exsilio.* 3) *Versio gallica habet hic praeterea: Afin que ie chemine devant toy en la lumiere des vivans, quod petitum est ex Psal. 56, 14.* 4) *Edd. recentiores 1576 seqq. emendant non, ad hebraicam veritatem. Gallus facit cum antiquioribus.*

Haec nomina mortis et inferni non aliam habere posse acceptanceum, in versibus Psalmorum [fol. 45] quos obrudunt ~~in canticu illo~~ Ezechiae, contendio. Atque id certis argumentis evinci posse confirmo. In his enim versibus: Numquid mortuis facies mirabilia, etc., item: Quae utilitas in sanguine meo, etc., sive Christus, caput fidelium, sive ecclesia, eius corpus, loquitur: mortem, ut rem horribilem ac detestandam, refugit ac deprecatur. Quod etiam facit Ezechias in suo cantico. Cur sic horrerent ad nomen mortis, si Deum misericordem ac sibi propitium sentiunt? An quia amplius nihil futuri sunt? Sed evident ex hoc turbulentu saeculo, ex infestis temptationibus, ex inquietudine in summum otium et beatam requiem. Et quia nihil erunt, nihil mali sentient: excitandi suo tempore ad gloriam, quae et<sup>1)</sup> eorum morte nihil differtur, neque vita acceleratur. Convertamur ad aliorum sanctorum exempla, an tale aliquid eis acciderit? Quum Noe moritur, non deplorat miseram sortem suam. Abraham non lamentatur. Iacob etiam inter ultimos spiritus gratulatur sibi, quod salutare Domini exspectet (Gen. 49, 18). Iob non lacrymatur. Moses, quum audit a Domino, ultimam horam instare, non commovetur. Omnes, quantum videre licet, prompto animo mortem amplectuntur. Voces illae, quibus vocanti Domino sancti respondent, passim obviae sunt: Ecce, ego adsum, Domine. Oportet igitur aliud quiddam esse, quod Christum, et eius fideles compellat ad huiusmodi querimonias. Non dubium, quin Christus, quum se offerret pro nobis ac repraesentaret ad poenam, cum potestate diaboli, cum inferorum cruciatis ac doloribus mortis pugnaverit. Quae omnia in nostra carne vincenda erant: ut ius suum, quod in nos<sup>2)</sup> habebant, perderent. In hoc igitur agone, quum rigori ac severitati divinae iustitiae satisfaceret, quum adversus inferos, mortem ac diabolum congrederetur, invocavit patrem, ne se in tantis angustiis desereret, ne se potestati mortis permitteret: nihil aliud a patre petens, quam ut infirmitas nostra, quam in suo corpore sustinebat, a potestate diaboli et mortis solveatur. Haec est fides nostra, cui nunc incumbimus, quod poena peccati in carne nostra admissi, quae in eadem carne solvenda erat, ut divinac iustitiae satisficeret, soluta ac depensa est in carne Christi, quae nostra erat. Mortem igitur non deprecatur Christus: sed gravem sensum severitatis Dei, qua per mortem pro nobis corripiendus erat. Vis scire ex quo affectu haec vox prodierit? Non possum tibi melius exprimere, quam vox eiusdem altera: pater, pater, ut quid me dereliquisti? Hos igitur mortuos et sepultos, in terram oblivionis deportatos, vocat a

Deo derelictos. Ad hunc modum sancti, docente spiritu Dei, non usurpabunt has voces, quo a se avertant mortem, et<sup>1)</sup> Dei vocationem: sed quo iudicium, iram et severitatem Dei deprecentur: qua per mortem corripi se [fol. 46] a Deo sentiunt. Hoc ne comminisci videar, quaero, sitne fidelis vocaturus simplicem et naturalem mortem, iram et terrores Dei? Non arbitror illos eo usque impudentes, ut audeant affirmare. Atqui, mortem illam sic interpretatur propheta iisdem locis: In me transierunt, Deus, irae tuae, et terrores mortis conturbaverunt me (Psal. 88, 8, 17). Et multa alia subiicit, quae pertineant ad iram Dei. Alterius vero loci haec verba sunt: Quoniam momentum in indignatione eius, et vita in benevolentia eius (Psal. 30, 6). Sed lectores hortor, ad volumen se conferant: ut ex integris duabus Psalmis, et cantico illo, certiore fidem petant. Sic enim nec fucus illis fiet, et facile obtinebo apud eos, qui sano iudicio legent. Constituimus ergo, mortem illis locis esse, sentire iram ac iudicium Dei, hocque sensu perterriti ac conturbari. Sic Ezechias, quum videret se relinquere regnum expositum hostium probris ac direptioni, problem vero se non relinquere, a qua descenderet expectatio gentium: haec, quae signa erant irati et punientis Dei, sollicitabant animam eius, non mortis terror, quam postea nulla depreciatione subiit. In summa fateor, mortem ex se malum esse, quum sit maledictio et poena peccati: et, quum ipsam, per se, plenam esse terroris ac desolationis, tum vero in ultimam desperationem eos depellere, qui sentiunt eam sibi infligi ab irato et puniente Deo. Unum est condimentum, quod tantam eius acerbitudinem temperet: inter eius angustias cognoscere Deum sibi osse patrem, Christum habere ducem ac comitem. Hoc condimento qui carent, habent mortem pro confusione et perditione aeterna. Quare Deum laudare in morte non possunt.

Iam versus ille: Non mortui laudabunt te, etc. claudit laudes populi, gratias agentis Deo, quod eius manu protectus esset a periculo: in hunc sensum, si permisisset nos opprimi Dominus, ac venire in potestatem hostis, insultasset eius nomini ille, et gloriatus esset se superasse Dominum Israel. Nunc vero ubi Dominus eius ferociam repressit ac contudit, ubi nos ab eius saevitia eripuit, in manu potenti et brachio excuso: non poterunt gentes dicere: Ubi est Deus eorum? qui se vere Deum viventem ostendit. Nec poterit eius misericordia in dubium venire, quam adeo mirifice exhibuit. Et hic mortui appellantur, derelicti a Deo, et qui eius virtutem ac benignitatem erga se non senserunt: quemadmo-

1) 1542: neque. 2) nobis, 1552 *seqq.*

dum, si populum suum libidini ac ferociae impiorum tradidisset. Hanc sententiam plane confirmat oratio quae est in prophetia<sup>1)</sup> Baruch: Aperi oculos tuos, et vide: quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt gloriam et iustitiam Deo: sed anima, quae tristis super magnitudine mali, incedit curva et infirma, et deficientes oculi, et anima esuriens, [fol. 47] dabit gloriam (Baruch 2, 17 ss.). Ubi, citra dubium, videre est, mortuorum nomine contineri, qui afflitti et contriti a Deo in exitium abierunt: animam tristem, incurvam et infirmam, quae sua virtute defecta et sui fiducia non innixa currit ad Dominum, eum invocat, ab eo auxilium exspectat. Haec omnia si quis velit per prosopographiam accipere, facilem habebit methodum, ad eorum explicationem: ut in personis, rem ipsam accipiat; et dum mortuos audit, mortem intelligat, hoc sensu: Dominum misericordiae et bonitatis laudem non consequi, dum affigit, perdit ac punit: (tametsi iustae sunt poenae), sed tum demum creare sibi populum, qui laudem suae bonitatis concinat et celebret, dum afflictos, contritos et desperatos, liberat ac in spem erigit. Sed ne cavillentur, nos ad figuram et obliqua schemata confugere, citra figuram quoque accipi possunt.

Secundo loco dixi, perverse ex his locis statui, sanctos post mortem cessare ac desinere a laudibus Dei, sed laudare potius esse commemorare ac praedicare apud alias Dei beneficia in quibus laudetur: quem sensum non modo recipiunt verba, sed necessario exigunt. Nam annunciare, et narrare, et patrem notum facere filiis, non est animo menteque concipere Dei gloriam, sed ore celebrare, ut alii audiant. Hic si me interpellent, quod illis id ipsum agere liceat, si (ut credimus) in paradyso sunt cum Deo, respondeo: in paradyso esse, et cum Deo vivere, non est alterum alteri loqui, et alterum ab altero audiri: sed tantum Deo frui, sentire bonam eius voluntatem, in eo acquiescere. Si hoc illis Morpheus aliquis *κατ' ὄντας* revelavit, habeant sibi certum. Ipse mihi non adsciscam tortuosas illas quaestiones, quae ad contentionem valent, nihil ad pietatem conferunt.

Ecclesiasticus non hoc agit, ut ostendat mortuorum animas perire: sed dum hortatur, ut mature et per occasionem Deo confiteamur, simul docet, non esse confitendi tempus post mortem: hoc

1) Sic legitur in ed. 1542. *Gallus quoque habet*: Ceste sentence est pleinement confirmée par l'oraison qui est au livre du Prophète Baruch: O Seigneur, ouvre etc. Verum iam 1545 scriptum est: in libro Baruch (saltem qui eius nomine inscribitur): Aperi etc.

est, non esse locum poenitentiae. Quod si quis ipsorum adhuc obstrepit: quid perditionis filii futurum sit, nihil ad nos. Ego pro fidelibus respondeo: non morientur, sed vivent, ac narrabunt opera Domini (Psal. 118, 17). Qui habitant in domo eius, laudabunt eum in saecula saeculorum (Psal. 84, 5).

Sextum: Laudabo Dominum in vita mea, psalam Deo meo, quamdiu sum (Psal. 146, 2). Et in hanc formam argutantur: Si laudabit Dominum in vita, et quamdiu erit, non laudabit post vitam, et quando non erit. Quando haec per lusum iocunque ab illis iactari opinor, ipse quoque in corum gratiam ludam. Aeneas Vergilianus, quum hospitiae suae promittet animi gratitudinem, dum memor esset sui, an innuebat, aliquando se venturum in sui ipsius oblivionem? Quum dicebat: [fol. 48] Dum spiritus hos reget artus: an non cogitabat, et apud manes, in illis fabulosis campis, se gratiam habiturum? Absit, illis ut concedamus sic torquere hunc locum, ne simul et haeretico Helvidio succumbamus. Nunc serio loquar. Et ne obtendant, secum non paria fecisse me,<sup>1)</sup> quintuplum reddam: Deus meus, in aeternum confitebor tibi (Psal. 30, 13). Item: Benedicā Dominum in omni tempore, semper bona<sup>2)</sup> eius in ore meo (Psal. 34, 2). Item: Confitebor tibi in aeternum, quia fecisti (Psal. 52, 11). Item: Laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi (Psal. 145, 1). Item: Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi (Psal. 61, 9). Agnoscent illum Davidem nuper sibi amicum, sece tam acriter impetentem? Apagesis haec argumenta, quae ex atomis literarum conficiuntur.

Septimum: Desine a me, et roborabor, donec vadam, et non sim (Psal. 39, 14). Cui coniungunt illud Iobi: Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (Iob. 10, 20 ss.). Haec nihil ad causam. Verba enim sunt aestu et anxietate conscientiae plena, vere experientia, et quasi in tabula referentia affectum eorum, qui terrore iudicii Dei percussi, manum Dei iam ferre non possunt. Orant autem, ut si merentur a Deo abiici, saltem vel tantillum respirare licet ab ira Dei, qua concutiuntur, idque in ultima desperatione. Nec mirum est, sanctos Dei servos illuc adagi. Dominus enim mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit (1 Sam. 2, 6). Non esso autem, pro eo dicitur, quod est a Deo alienum

1) me deest 1542. 2) Sic 1542 et *Gallus* (benefices). Caeterae inde a 1545 ad hebr. fidem scribunt: laus.

esse. Si enim ille solus est, qui est: non vere sunt, qui in illo non sunt, propterea quod a facie eius perpetuo confunduntur ac deliciuntur. Deinde, non video, quid nos tantopere offendere debeat haec loquendi forma, si simpliciter non esse dicantur mortui, modo id ad homines referatur. Iam enim non sunt apud homines, nec coram hominibus: tametsi apud Deum sint. Ita (ut uno verbo explicemus) non esse, erit non exstare. Quale est illud Ieremiae: Vox in Rhama audit a est, Rachel plorantis filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (Ier. 31, 15).

Iam ad ea veniamus, quae supersunt ex historia Job. Quaedam enim sparsim, ut occurrerant, attingimus. Primum: Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus? nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem, cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solidines, aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento: aut sicut abortivum absconditum, non subsisterem: ut qui concepti non viderunt lucem: ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi [fol. 49] robore: et quandam vincti, sine molestia, non audierunt vocem exactoris: parvus et magnus ibi sunt: et servus, liber a domino suo (Job. 3, 9—11). Quid si decimum quartum Isaiae caput (vs. 9 ss.) retorqueam? ubi mortui describuntur prodeentes e sepulcris, ac obviam euntes regi babylonio: ubi eorum sermones referuntur: Ecce, tu humiliatus es quemadmodum nos, etc. Nihilo enim minore praetextu inde arguam, mortuos sentire atque intelligere, quam ipsi ex verbis illis colligunt, omni sensu excidisse: sed relinqu illis tales nugas. In loco autem, quem citant, explicando, non multum erit negotii, nisi volumus nobis ipsi fingere labyrinthos. Job enim pressus multa afflictione, et quasi fatigatus sub onere, praesentem duntaxat miseriā respicit: et eam non solum maximam omnium facit, sed paene solam. Mortem nihil horret, imo appetit: quod omnibus aequam afferat sortem: regum imperia finiat, et servorum pressuras: quae sit denique rerum omnium linea, in qua, quam quisque sortitus sit in hac vita conditionem, deponat. Sic enim sperat, ut et ipse suae calamitatis finem visurus sit: interim non respicit, quibus legibus illic vivatur, quid facturus, quid passurus sit. Tantum, omni animi ardore expetit mutari praesentem rerum statum, ut mos est eorum, qui vehementi doloris sensu urgentur, atque afflictantur. Nam si in magnis aestatis caloribus, benignam hyemem iudicamus: rursum, hyemis frigoribus puncti, omnibus votis ad aestatem aspiramus: quid faciet is, qui manum Dei sentit sibi adversam? Nihil malorum refugiet, modo praesens malum effugiat. Hoc si non illis persuadetur, nihil mirum. Concerpunt enim

minutas sententiolas, quibus se instruant: at summam totius operis non collimant. Qui vero recto oculo totam historiam persequuti sunt, iis me approbaturum meam rationem confido.

Secundum: Memento, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona: nec aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, et non subsistam. Sicut consumitur nubes et portransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet (Job. 7, 7 ss.). Quibus verbis Job deplorans apud Deum suam calamitatem, in hoc exaggerat: ut cui nulla spes exitus sit proposita. Habet prae oculis mala sua, quae se persequantur ad sepulcrum. Tum occurrit, ut mors misera sit exceptura vitam calamitosam. Non enim aliter potest cogitare, qui manum Dei sentit sibi adversam. Ab hac igitur amplificatione movet misericordiam, et se Deo miserabilem facit. Non video quid praeterea quaeratis in hoc loco nisi non exspectandam resurrectionem. Quod non est huius instituti, excutere.

Tertium: Solum mihi superest sepulcrum (Job. 17, 1). Item: In profundissimum inferni descendant omnia [fol. 50] mea (ibid. vs. 16). Istud quidem verissimum est. Neque enim quidquam satius restat ei, qui Deum propitium non habet, (qualem se esse Job tunc cogitabat) quam infernus et mors. Quum igitur percurrisset omnem fabulam suarum miseriarum, dicit extremum actum esse, confusionem. Atque hic est exitus eorum, quos Deus sua manu tangit. Mors enim in ira eius: vita autem in misericordia. Id non ineleganter explicavit Ecclesiasticus (Eccles. 37, 28) quum ait: Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles. Verum quia non est firmae autoritatis scriptor, omissio illo audiamus prophetam id suis verbis pulchre docentem: Affixit in cursu virtutem meam, inquit, abbreviavit dies meos. Dicebam autem: Domine mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum, in aeternum sunt anni tui. Peribunt coelum et terra, quae tu pridem fundasti: instar vestium corruptentur (Psal. 102, 25 ss.). Hactenus quam fragilis sit et fluxa hominum conditio exposuit, quamque<sup>1)</sup> nihil sit sub coeli stabile: quum ipsi quoque ad interitum vergant. Sequitur postea (ibid. vs. 28 ss.): Tu autem es, et anni tui non finientur: filii servorum tuorum habitabunt, et posteritas eorum coram te stabilietur. Hic videmus, ut piorum salutem cum Dei aeternitate coniungit. Quoties igitur mihi obiicient Job manu Dei afflictum et paene desperandum, nihil sibi reliquum facientem, praeter infernum et mortem: respondebo, irato Domino, hunc exitum nos manere,

1) quanquam 1542<sup>o</sup> Gallica versio etiam habet: com-bien que.

et hanc esse eius misericordiam, quod eripimur a mortis faucibus.

[www.libtoot.com.cn](http://www.libtoot.com.cn)

Quartum: Si direxerit ad eum cor suum, spiritum et flatum hominis ad se trahet, deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur (Iob. 34, 14). Quae verba si de iudicio accipiunt, quasi dicatur, hominem eius ira dissolvi, disiici, confundi, et in nihilum abire, plus illis concedam quam postulent. Si intelligunt spiritum, id est animam, per mortem ad Deum redire, et flatum, id est virtutem motus, seu vitalem agitationem, recedere ab homine: nihil reluctor. Si contendunt, animam perire, fortiter reclamo. Quanquam paulo etiam secus habent hebraica. Verum eorum cavilla contentus depulisse, non insequar longius.

Vibrant et alia quaedam, sed obtusa tela: quae nec feriunt, et terrent non multum. Citant enim nonnulla, minime ad rem facientia, eaque ex libris

incertae fidei, quarto Esdrae et secundo Machabaeorum, quibus nihil aliud responsum volumus, quam quod prius disseruimus de resurrectione. Quanquam hic omnibus se produnt, quam sint perdita fronte, qui Esdram, quem totus noster sit, ad se trahere audent. Machabaeorum libros pro se proferre non verentur: ubi Ieremias mortuus Dominum precatur, pro belligerante populo; ubi instituuntur pro defunctis orationes, [fol. 51] quibus a peccatis solvantur. Habent forte et alia: sed mihi incognita. Ut cui eorum commenta omnia videre non contigit. Nihil sane praeterii sciens, quod simpliciores vel de gradu deiicere, vel movere posset. Istud rursum lectores omnes (si qui tamen erunt) memoria tenere volo: Catabaptistas (quos, ad omne genus flagitorum designandum, nominasse satis est) esse praeclarri huius dogmatis autores. Merito enim debet nobis esse suspectum, quidquid a tali officina prodierit: quae tot portenta et fabricata est et quotidie fabricatur.

F I N I S.

IOANNIS CALVINI  
SACRARUM LITERARUM IN ECCLESIA GENEVENSI PROFESSORIS  
**EPISTOLAE Duae**  
DE REBUS HOC SAECULO COGNITU APPRIME  
NECESSARIIS.

*1 Regum 18.*  
*Usquequo claudicatis in duas cogitationes? Si  
Dominus est Deus, sequimini eum: si autem  
Baal, sequimini illum.*

BASILEAE  
M. D. XXXVII.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

IOAN. CALVINUS  
PIO LECTORI S.

Etsi iam eum fructum apud pios aliquot viros Epistolae istae nostrae ediderunt, qui spem aliquanto maiorem mihi in posterum faciat: quoniam tamen et familiares quosdam meos, et alios non paucos, a quibus lectae fuerunt, etiamsi mihi verbotenus assentiantur, non tamen magnopere hinc commoveri audio, quod duram asperamque nimium conditionem a me sibi causentur imponi: non minimum visus sum mihi operae pretium facturus, si paucis hic probos omnes obtestarer, ac per tremendum illud Dei nomen obsecrarem, ne quas e Dei verbo sumptas exhortationes hic habent, perinde accipient, ac si fabula sibi a poeta, aut a rhetore aliquo declamatio recitetur, quam plausu blandisque acclamationibus satis sit acceptissime: verum et vitae doctrinam tradi sibi meminerint, quae non aliter quam obtemperando rite approbetur: et eam ipsam doctrinam Dei verbum esse cogitent, quod impune ludibrio habituri non sint. Quam sententiam quia pluribus in praesentia verbis persequi non licet, uno Iezechielis prophetae vaticinio summatim complectar. Insignis est locus (33, 31 ss.) qui et in Iudeorum exemplo quandam infelicis huius saeculi effigiem repraesentet, et terribili divini iudicii exspectatione merito nos percellere debeat. Turmatim (dicebat prophetae Dominus) ad te veniunt, coram te sedent, verbaque tua audiunt, sed ea non exsequuntur. Ludibrium enim in ipsorum ore, et cor eorum in avaritiam inclinatum. Et factus es illis non secus ac ludicra cantio sonorae dulcedinis, quandoquidem verbis tuis intentas habent aures, quae exsequi non curant. Sed quum tempus venerit (quod certe iam instat) cognoscent apud se fuisse prophetam. Vale. Genevae, pridie Idus Ianuarii. Anno 1537.

## EPISTOLA PRIMA.

### DE FUGIENDIS IMPIORUM ILLICITIS SACRIS, ET PURITATE CHRISTIANAE RELIGIONIS OBSERVANDA.

Ioannes Calvinus optimo viro et amico singulari N. S.

Ego vero, amicissime frater, molestissime tecum fero, ac pro eo ut debo, vices tuas miseror: cui nondum ex illa Aegypto emergere liceat, in qua tot idolorum idolatriaeque portenta obversantur<sup>1)</sup> tibi assidue, ac oculis tuis ingeruntur: ad quorum famam quum piae aures perhorrescant, praesenti aspectu oculos (quorum scilicet et tenerrimus est sensus, et vehementius afficitur) supra quam dici potest, graviter offendi, par est. Cogeris spectare (ut narras) in monachis et sacrificulis foedas impietatis formas, in plebe mille genera superstitionum, plurima verae religionis ludibria: quibus omnia istic scatent et perspiciunt. A quibus spectaculis qui oculis suis parcunt, eos beatos existimo: praeut illa est tua, quam refers, vere misera necessitas. In primis vero, summum illud abominationum omnium caput, Missa, spectabilem se ac visendam exhibet, ac inter reliquas omnes nequitiae partes longe supereminet: in qua quidquid sceleratissimae impietatis cogitari potest, perpetratur. Huiusmodi spectacula si ludicra essent, possent forte abs te rideri: nunc autem ubi maxime seria sunt, cum gravissima Dei contumelia, non dubito (quae tua est pietas) quin bilem tibi magis quam splenem moveant, vel lacrymas potius eliciant. Quod autem mecum deliberas, qua te ratione, inter nefanda illa sacrilegia et Babylonis sordes, in quibus pro temporis rerumque tuarum conditione vivere nunc tibi necesse est, purum Domino atque impolutum conserves: id quidem ego perlubenter facio, tota ut ea de re animi mei sensum tibi exponam, eoque magis, quod quum multos hodie, qui gustum Dei aliquem percepisse videri volunt, professioni suaee

minime respondere conspiciam: hac tamen in parte [pag. 4] praesertim, plerosque, fere omnes a recta via decedere video. Neque valde sane impedita res est, consilium hac de re dare, si te in Dei disciplinam totum tradideris, tuosque affectus omnes eius verbo domandos permiseris. Sed nescio quomodo bona pars nostrum improba temeritate adversus eius imperia interdum exsultamus, ac iis contemptis, aut certe omissis, ideoque et contemptis, earum rerum quas acerrime prohibebant,<sup>1)</sup> licentiam, quoties libet, nobis facimus. Atque id potissimum in praesenti negotio usu venire solet. Quum enim ii, qui inter tales angustias versantur, quales te nunc circumstant, nec tranquillitatem se suam tueri, nec cum iis quibuscum vivunt, retinere se posse concordiam prospiciunt, nisi eorum idolatriae simulando indulgeant, tanta hac difficultate obsessi atque impliciti, magis quid sibi expediatur, quam quid Deo placeat: magis quod modo homines habeant propitios, quam quo Deo satisfiant, cogitant. Interim defensionem quoque meditantur, qua suas conscientias arment coram Dei tribunali: se minime consentire interiori cordis affectu in ullam impietatem: sed modica, eaque innoxia simulatione se inire rationem, qua imperitorum hominum ignorantiae cedant: quibus sic melius consulturi sint, si qua spes est eos erudiri posse: certe quos summo suo periculo, nullo fructu, maiori libertate irritare stultum sit. Verum talibus initii videmus ruinam suam auspicatos, quibus hac nostra memoria contigit, velis retrorsum datis, in naufragium recurrere, unde enatarant. Principio, quum magnum vcl in conspectu discrimin esset, si quibus in rebus oportebat ingenue profiterentur quod ha-

1) observantur, 1552. 1576. 1597, vous sont au devant G.

1) *Edd. 1576 seqq. emendant:* prohibeant. *Gallus:* qu'il nous defend.

bebant in animo, secum reputabant rem esse non magni momenti, si in populi gratiam paulum inepitarent: qua tamen ratione graves offensees redimere promptum esset. Itaque impii caeremoniis promiscue cum aliis defungebantur. Deinde quum ne sic quidem hominum suspicionem effugerent, pedem adhuc alterum progredebantur: satis esse, si bonos viros fidei suae conscientias haberent: aliorum opinionem quavis arte falli, nihil nocere. Hic, si quid ab adversariis Christi in veram doctrinam deblaterratum erat, vultu, nutu, totius corporis gestu, voce denique assentiebantur. Quum neque hunc sibi astum satis ex sententia succedere intelligerent, secreta ab omni hominum arbitrio conscientia contenti esse incipiebant: quod ut obtinerent, diligenter cavebant, ne quam darent christiani pectoris significationem. In hunc modum quum a recta officii [pag. 5] linea, quadam (ut sibi videbantur) temperata cautione defleterent paulatim, ac delaberentur, tandem caeci ac veluti sui oblii, sese in exitium praecepites dede- runt. Manifesta sane Dei vindicta: qua eos sensus sui vanitate deiici aequum fuit, qui praeponsta sua prudentia Deum fallere et homines cogitabant. Nam hic postremus fabulae actus illis fuit: non modo nullius aures atque oculos, cordis sui testes, ut prius solebant, admittere: sed quantum in se erat, omni studio contendere, ut omnes haberent earum rerum testes, quae quam longissime ab homine christiano abesse debent: et quod antea occultum saltem apud se retinebant, aversari palam ac detestari. Talibus scilicet documentis admoneri nos decet, ut omissa nostri ratione, solliciti ambulemus in conspectu Dei nostri, quemadmodum Propheteta (Mich. 6, 8) loquitur: ne, lasciviente quadam audacia, iis nos legibus solvamus, quibus nos Dominus alligavit: ac quod ille astringit, relaxemus: tum vero etiam terreri, ne si sapientes simus apud nos ipsos, comprehendat ille sapientes in astutia sua, et prudentium consilia subvertat (Iob. 5, 13; 1 Cor. 3, 19). Sed est illud scilicet, quod principio sum questus, verius quam vellem, bonam hominum partem nihil hic liquide perspicere, nihil recte iudicare, nihil sincere statuere posse: quod dum ab integra puraque divinae legis observatione videt imminere pericula, eorum metu perplexa et consternata circumspectat, quomodo cum Dei venia retinere possit hominum gratiam. Quia in consultatione nihil nisi ex sua anxietate caeca que perturbatione consulit: perverse omnino quidem utrumque, et praeponste. Nam et quod Dei voce decretum semel sanctumque est, deliberationi nostrae nefas est subiici: neque rursum quidquam bona spei reliquum sibi facit, qui de tanti momenti rebus, timiditatem pusillanimitatoremque suam in consilium mittit: ex quo affectu turpes semper (ut ille inquit) filii nascuntur. Itaque et hanc deliberandi perversitatem simile consilium sequitur. Siquidem

*Calvini opera. Vol. V.*

deflexis a verbo Dei oculis, nihil a se plus exigunt, quam quod incolumi salutis suae rerumque suarum statu praestari queat: quidquid discriminé aliquo nimiaque difficultate involutum est, id ut missum faciant, sibi facile permittunt, nec interim exaudiunt, quam horribilis edicta sit in eos vindicta, qui contemptis Dei praesidiis, quo meliora sibi comparent, suam stationem deserunt. Sic enim per prophetam Iudeos Dominus obiurgat, quod praeceptibus opibus, quibus eos acquiescere ipse iusserat, [pag. 6] diffisi, interdicta Aegypti subsidia sibi accerserent: Vae, inquit (Ies. 30, 1 ss.), filii desertores, ut agitare consilium, et non ex me: ut ordiremini telam, et non per spiritum meum: ut adderetis peccatum peccato: qui vos accingitis, ut descendatis in Aegyptum, et os meum non interrogastis: sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et fiduciam ponentes in umbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Quum vero tanta in eos asperitate feratur, quid indulgentius mitiusve exspectent isti, qui indigne ferentes, frementesque omnium sese odios, omnibusque perioulis Dei voluntate objectari, ea valere iussa, novas sibi illicitasque cautiones suo marte configunt? Neque vero ignoro, quanto suavius carnis nostrae mollitudini blandiantur suffugia, quae periculum aliquod submovere videantur: quam simplex istaec erga Dei verbum obedientia, cui tantum discriminum sit propositum. Verum nulla est tanta difficultas, quam non eluctetur, qui hac se cogitatione offfirmaverit: non posse gravius quidquam minari universum hominum genus, quam quod castrorum suorum desertoribus, in illa quam retulimus prophetia, Dominus denunciat. Non minimum operae pretium fuerit hic nobis succurrere, quod de Cypriano quodam loco narrat Augustinus.<sup>1)</sup> Postquam capite damnatus fuisset, datam illi optionem redimendae vitae, si verbo duntaxat abnegaret eam religionem, cuius causa mortem obiabat: nec illi factam modo potestatem, sed ubi iam in supplicii locum ventum esset, ambitiose rogatum a provinciae praeside, ut deliberaret, an non vitae suae (quoniam ita licebat per Caesarum clementiam) consultum mallet, quam poenam luere inepta per vicacie. Illum contra breviter ad omnia respondisse: In re tam sancta nullum esse deliberationi locum. Si quis sanctum virum, quum in conspectu essent tormentorum apparatus, instaret atroci trucidentoque vultu carnifex, cervicibus iamiam immiseret ictus gladii, dirae undique insanientis populi mixtae probris imprecations obstreperent, terriculamentis illis omnibus non fuisse deiectum miratur,

1) *Vide Augustini Sermonem CCCIX. in Natal. Cypriani. Opp. T. VII. P. 2. p. 1249 Bass.*

quominus sese velut devotam arae victimam in cruciatum alacriter daret, iure id quidem facit. Sed simul cogitet ipsum una hac cogitatione infractam illam animi magnitudinem ad extremum sustentasse: quod quum mentem in Dei mandatum, quo ad pie-tatis confessionem vocabatur, cogitationemque defixam penitus haberet: simul a talibus spectaculis, quorum terrore vacillare poterat, [pag. 7] totam avertebat. Vocem ergo edidit ad omnem quidem immor-talitatem consecrandam, sed non laude magis quam imitatione dignam. Ita est sane. Quaecunque sese nobis ingerat vel boni, vel commodi species, quae nos vel latum unguem a patris nostri coelestis obe-dientia subducat, confestim occurrere primae deli-berationi nos decet: quod res adeo sancta, quam nobis sanctum esse debet qualemque Dei mandatum, non extra omnem modo controversiam, sed delibera-tionem quoque posita sit. Quum enim primum de-lierare nobis permittimus, iam fines eo ipso trans-silimus: quibus refractis, nimirum procul evagari, longiusque aberrare, perquam proclive est. Haec contra communem omnium nostrorum timiditatem, non absque causa, antequam ad tibi respondendum aggrederer, praefari libuit: quod videam eius (ut ita dicam) lippitudine magis animos nostros impe-diri, ne verum hac in parte cernant, quam alia qua-vis ignoratione. Ac longius fortasse id quidem feci, quam res ferebat ipsa: at certe brevius etiam, quam huius postulent saeculi mores: quando plurimos ho-die video, qui nisi obiurgatorie aspereque ad san-guinem paene usque vellicentur, ad omnem doctri-nam obsurdescunt. Iam istud quoque nostri aequae ac saeculorum omnium vitium est, tam vafras esse, amabiles, captiosas, speciosisque praetextas nomini-bus, ad illudendum unumquemque, carnis suaे ille-cebras, ut illam arcere a consiliis nostris, abigere-que, primus sit sapiendi gradus. Neque vero adeo ingenio tuo diffido, ut tantum in exhortando verbo-rum positurus fuerim, si tui unius hic rationem du-cerem. Satis enim superque tam placidae mansue-taeque docilitati fuerit (quantam esse tuam permul-tis iamdudum argumentis sum expertus) simpliciter admonitam ac edoctam esse. Verum dum postulatis tuis privatum satisfacere instituo: quia tamen eius generis res est, de qua interrogas, in qua et peri-culose et vulgo peccatur, non frustra, nec sine fructu aliquo facturum me existimavi, si eadem simul opera compluribus me docendis accommodarem, qui in eo-dem versantur errore: ut si qui forte eorum in hanc Epistolam inciderint (ego autem omnes incidere non modo facile patiar, sed etiam vehementer cupiam) sibi quoque scriptam putent: et siquidem auscultare volent, habeant quam sequantur officii sui admonitionem: sin minus, testimonium saltem adversum se accipient, quo convincantur, scientes, prudentes, ac etiam volentes in exitium suum perrexisse.

[pag. 8] Principio in id nos, velut defixis ocu-lis semper intueri convenit, quod discipulis suis om-nibus proponit Christus, dum primo eos scholae suaे tirocinio initiat. Nam ubi a sui ipsorum abne-gatione crucisque tolerantia auspicari eos docuit, si-mul et hoc subiicit (Luc. 9, 26): Qui me et meos sermones erubuerit coram hominibus, hunc filius hominis erubescet, quum venerit in maiestate sua, et patris, et sanctorum angelorum. Hoc ergo nobis a Christo Domino, quum in eius familiam primum ad-scribimur, edici meminerimus: hoc perpetuum esse edictum, in omnem vitam iis promulgatum, qui in eius regno censeri volent: ut si vera cordis pietate eius amplexi sunt doctrinam, eam ipsam cordis pie-tatem externa professione declarent. Et sane, quanta fuerit improbitas, eum nolle inter homines profiteri, a quo se coram angelis agnosci velint: et quam sibi in coelo constare velint Dei veritatem, in terra ab-negare? Quare non est quod callida dissimulatione iam hic sibi quisquam placeat, aut falsa pietatis opiniōne blandiatur, eam se fovere in corde fingens, quam externis testificationibus prorsus evertat. Vera enim pietas, veram confessionem parit. Nec vanum haberi debet quod ait Paulus (Rom. 10, 10): Quem-admodum corde ad iustitiam creditur, ita ore fieri confessionem ad salutem. Denique suos ad confes-sionem vocat Dominus: quam qui detrectant, alium sibi magistrum quaerant oportet: quando ab eo ferri cum<sup>1)</sup> sua simulatione non possunt. Quaerat hic quispiam: Num igitur qui inter impiam ac super-stitiosam multitudinem pauci ac dispersi vivunt fide-les, iis, quo fidem suam rite testificantur, necesse sit opportune, importune, publice simul ac privatim in suorum popularium impietatem vociferari? ad praedi-candam Dei veritatem plateas occupare? suggestus condescendere? conciones advocate? Minime id vero. Quin potius quum peculiariter ad verbi sui mini-sterium accersat Dominus sive apostolos, sive pro-petas, sive nuncios, seu quo alio nomine appellare libet, quorum voces publice personare velit: idem ab omnibus passim tentari adeo necesse non est, ut nec omnino expedit, ac ne deceat quidem. Quam-obrem hoc agendum magis, ut singuli quid voca-tioni suaے, suoque ordini conveniat, pro se quisque cogitent: cui si optime respondeant, quod officii sui est praestabunt etiam optime. Quos verbi sui mi-nisterio Dominus destinat, iis veluti publicam per-sonam imponit, ut eorum vox in luce versetur, et super tecta, ac tanquam tubae clangor exaltetur. Cae-teris sic a publico apostolorum munere abstinentum est, ut privatae tamen vitae [pag. 9] officiis Chri-stianos se esse profiteantur. Hoc quia tanta brevi-tate commode explicari non potest, quale sit, plu-

1) cum, omittunt edd. rec. 1576 seqq.

ribus disseramus. At vero illam, quam ad certos homines peculiariter reiecamus, publicae professionis functionem omitemus in praesens: de qua erit forte alias opportunior dicendi locus: tantum quod peraeque ad unumquemque e populo pertineat, inquiremus, qualem scilicet confessionem exigat a suis Dominus, qui inter impios sparsi palatique degant<sup>1)</sup> eo in loco, unde verae religionis disciplina exsulet: tum qualibus in externa vitae actione notis eos ab idololatrarum turba, cui permixti sunt, differre velit. Neque rursum animus est certo definire, quando, et apud quos, et quo loco, et quam apertum fidei suae testimonium sit editurus homo christianus: nec limitare, quatenus progredi debeat, vel ubi consistere possit citra offensam, quoties propagandae Dei gloriae oblata occasio, aut spes quoquo modo proficiendi facta fuerit. Quae disputatio, praeter id quod prope immensa foret, etiam ab hoc docendi genere nonnihil est aliena: quod certis regulis includi comprehendique nequeat. Neque enim illi, quam a nobis requirit Petrus (1 Petr. 3, 15), promptitudini fines praescribere facile est, quum vult nos paratos esse ad respondendum cuilibet poscenti, ut loquamur de ea quae in nobis est, spe: nec item ingenti illi celebranda nominis Dei, regnique eius magnificentiae studio, quo exultantem aestuantemque Dei populum inducunt prophetae, quum ita loquentem faciunt (Ies. 2, 3; Mich. 4, 2): Venite, ascendamus in montem Domini, ad domum Dei Iacob: et docebit nos de viis suis, et ambulabimus in semitis eius. Quibus verbis (ut videmus) inest paene clamosa ad appetendam Dei cognitionem cohortatio. Iam vero tot Pauli de sectanda aedificatione praecepta quam late pateant, quis non videt? ut nullam certiorem legem exspectare debeant, qui vera erga Deum suum pietate sunt affecti, quam ut sanctam eius maiestatem (cui totos esse consecratos ac devotos ipsos decet) quacunque licebit commoda ratione illustrent: non alium sibi finem modumve eius illustrandae praestituant, quam ut omnibus occasionum articulis immineant, omniaque (ut ita dicam) continenter captent momenta, quamdiu aliquid se posse efficere confident. Alius quidem alio et praestantius, et fortius, et constantius: omnes tamen hoc singuli, secundum gratiae suae modum, simul contendant. Quare, ut diximus, in illam adeo fusam disputationem expatiari, non est huius loci proprium: quo non universum complecti [pag. 10] propositum est, quantum vel Domini gloriae, vel aedificationi hominum debeas, sed duntaxat breviter ostendere, quae tibi istic inter impios agenti, necessario tenenda sit cautio: et quam praetermittere, quin te profanis illorum sacrilegiis inquines, non possis.

Ac quoniam quidquid de hac re scripturis traditum est, eorum praesertim causa praeceptum fuisse videtur, qui inter gentes Dei ignorantes versarentur, plurimum autem inter illarum idololatriam, et eorum, quibuscum hodie nobis negotium est superstitionem interesse vulgo existimant, (quod hacc Dei et Christi nomine quodammodo obiecta fucum facit: illa paulo crassiore ignorantia summi Dei cultum palam aspernabatur) nos, illa prius proponemus, quae in scripturis exstant praecepta: deinde oculos ad nostra tempora referemus, et ex rerum similitudine, quid ad nos pertineant, dispiciemus. Quanquam non video cur aeterna Dei mandata ita unius saeculi spatio terminemus: sed hunc ordinem imperitis, ne quis in eorum animis scrupulus resideat, concedemus. Quum lege sua Dominus idola coli aut adorari vetuit (Exod. 20, 4), hoc capite totum illum externum cultum complexus est, quem deferre suis idolis impii solent. Nam et verbis, quibus usus est, ea inest proprietas: quorum alterum incurvari, alterum honorare significat: et eam adorationis speciem notatam esse constat, quae lignea lapideave simulacula corporis gestu coluntur. Haec itaque interdictio est, non qua simpliciter populum suum Dominus prohibeat in ligno aut lapide, gentium instar, obstupescere, sed ullo modo profanam earum stoliditatem imitari, coram simulacris sese honoris causa prosternendo, aut aliam quamvis observantiae significationem dando, qualem dare, aut nudato capite, aut genu flexo nobis in more est. Qua ratione ubi puros sui cultores describit, ab hac eos nota designat: Servabo,<sup>1)</sup> inquit (1 Reg. 19, 18), mihi septem millia virorum. Quid? an quorum corda non sunt vanitate ac mendaciis Baal infatuata? non id modo: sed quorum genua non sunt curvata ante Baal, et quorum ora non sunt osculata manum eius. Eodemque alibi symbolo, quum agnoscendam omnibus et coelestibus et terrestribus, et infernis, suam maiestatem affirmat, agnitionem ipsam exprimit: Mihi inquit (Ies. 45, 23), curvabitur omne genu, et omnis lingua in nomine meo iurabit. Quo contra efficitur, simulacrum ab iis Dei religione consecrari, qui ullo corporis gestu eius cultum significant. Neque ad eorum convincendam praevaricationem [pag. 11] interest, qua id vel<sup>2)</sup> simulatione, vel sinceritate faciant. Idolum enim quicunque est aliqua venerationis specie prosequutus, utunque sit animo persuasus, Deum esse confessus est. Divinitatis vero nomen idolo qui tribuit, Deo sustulit. Itaque tres illi Danielis comites, quanti eiusmodi foret simulatio, docuerunt (Dan. 3, 16): quibus corpus accensi fornacis flammis crudeliter absorbendum tradere, levius

1) *Edd. recd. omnes 1576 seqq. emendant: degunt.*

1) Sic edd. latinae omnes. Versio gallica bene archetypum veritatis: ie me suis reservé. 2) vel, omittunt omnes praeter Ed. principem.

visum est, quam paululum inflexis coram statua poplitibus, regis oculis satisfacere. Quorum aut nos insaniam rideamus, quod nullam adeo ob causam potentissimi regis iracundiam in se, magno capitinis sui discrimine, inflammariint: vel exemplo discamus, externae quoque susceptaeque in hominum gratiam idololatriae gravius omni morte subesse piaculum. Quare, quum e duobus eligendum esset alterum, aut ut excusso Dei timore scelerato edicto obsequerentur, aut homines prae Deo contemnere palam declararent, notum esse regi voluerunt, quod eius non colerent deos, nec quam exerxerat statuam, adorarent. Parem etiam Darielis ipsius in causa perquam simili constantiam, quicunque sit ille scriptor, qui ad eius prophetiam appendicem (Dan. 14) adiecit, commemorat: quum maluisse narrat leonum unguibus se disperendum permettere quam ad draconis cultum, qui pro Deo a caeteris colebatur, genu submittere. At quoniam non omnibus fidem facit historia, ex ea fidem dictis meis conciliare supersedeo. Porro ne qui ab adorandis statuis caput duntaxat, aut genu abstinuisset, ideo se perfunctum existimaret, plurima addidit praecpta Dominus de caeremonia suis sancte custodiendis, de viis gentium in totum fugiendis. Apud prophetam (Ies. 52, 11) autem uno verbo pronunciavit, quam procul ab omni impietatis communicatione abesse populum suum vellet, quum Iudeis Babylonem deportatis omnino interdixit, immundum ne attingerent. Qua<sup>1)</sup> clausula (ut Paulus interpretatur) summatim comprehendit, ne qua religionis suac sanctitate aliena indignaque caeremonia se contaminarent. Nam Corinthiorum ecclesiae de ea re praecipiens ad colligendam totius suae sententiae summam, hoc testimonio contentus fuit. Non est istud, mihi crede, leviter nec oscitantem praetereundum: sacrosanctam Dei religionem rite eos glos conservare, qui nullis ipsam perversarum superstitionum inquinamentis profanent. Eandem illos violare, polluere, lacerare, qui impuris ipsam impiisque ritibus misceant. Qua cogitatione qui se exercebunt fideles, tali sacrilegio ne quando se obstringant, [pag. 12] omni studio providebunt. In eum modum Abraham, Isaac, caeterique patriarchae, quum regionum essent earum inquilini quae idolorum abominationibus refertae essent, quanquam non sine gemitu spectabant hospitum suorum insanias, quia tamen mederi non poterant, ferebant quidem eas, sed se in puro illibatoque Dei sui cultu sollicite continebant. Atque ut ab eorum superstitionibus se dissidere, publice non proclamabant: ita nec ullam dabant significationem, qua se consentire simularent. Huius simplicitatis insigne exstitit in Daniele (Cap. 6, 11) documentum.

Nam quamvis Babylone in mediis idololatriae sorribus versaretur, quia tamen ab omni procul aberat communicationis simulatione, perinde ac si longo intervallo disiunctus esset, maculam nullam contrahebat. Quoniam autem in consessu populi verae pietati videbat non fore locum, ab eius conspectu subductus obductis coenaculi foribus, Deum suum, qua decebat puritate, seorsum colebat: ita in publico urbis ac gentis errore a via ipse non deflectebat. Huc et illa Iudeis in lege praecepta observatio spectabat, ut ne<sup>1)</sup> aurum vel argentum e gentium sculptilibus appeterent, ac inferrent in domos suas: sed quasi spurciam et sordes abominarentur, quod Domini forent anathemata. Sic enim ad detestandum id omne, execrandumque quidquid idioli nomine semel inustum fuisset, eos instituebat: quo ab omni gentilium superstitione immunditie animosius abhorrerent.

Quod si tanta externae professionis sinceritate religionem suam, obscuram adhuc et figuris dunataxat adumbratam, sub veteri testamento coli voluit Deus, quanto id christiana ecclesiae verius fuerit praestandum: cui ipse per unigenitum filium dum apparuit, sapientiae suae mysteria late reseravit, et toto veluti ambitu veritatem suam illucere fecit? Idque ipsum apostolorum doctrina confirmare promptum est: nam argumentum, quo Paulus adversus fornicationem utitur, quando huius quoque loci propriam habet rationem, hic accommodare minime absurdum erit: Nescitis, inquit, corpora vestra, membra esse Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit (1 Cor. 6, 15). Sic et ad eandem nobis formam ratiocinari licet: Membra nostra quum Christi membra sint, idolorum cultu vel immundis superstitionibus foedabimus? at quid hoc fuerit, nisi vel Christi gloriam tali subiicere ignominiae: vel corpus nostrum a Christi corpore absindere, ut cum idolis [pag. 13] fornicetur? Quam vero demum praceptionem subiicit, ad omnem externam moderationem generalis est: ut corpus nostrum meminerimus templum esse spiritus sancti: nos non esse nostros: emptos enim esse pretio magno, idcirco portandum et glorificandum Deum in corpore nostro. Ecquid elucebit in corpore nostro Dei gloria, si inter sacrilegorum sordes provolvatur? Ecquid sacra templi Dei sanctitas conservabitur, si alienis profanisque ritibus polluatur? Verum, si qua alia in parte vehemens est ad officium cohortator Paulus, in hac maxime causa vehementiae suae nervos omnes contendit, dum Christianos admonet, ne quid in hominum oculis fidei suae confessione indignum, pravas caeremonias usurpando, prae se ferant. Duabus autem propositis noxis, Dei inhonoratione, et hominum offensione, quas secum ferat

1) *Edd. recd. 1576 seqq. habent: Quae (1566: par laquelle clausule).*

1) non, 1576 seqq.

omnis idolatriae simulatio, vel quacunque ratione suscepta imitatio, ab ea nos longissime absterret. De divini nominis ac honoris profanatione, haec eius verba sunt (1 Cor. 10, 14 ss.): Carissimi, fugite ab idolorum cultu (sub cultus nomine, exteriore omnes ritus collegisse, qui impiorum sacris adhibentur, iam ex sequentibus manifestum erit), ut prudentibus loquor: vos ipsi iudicat quod dico. Cæli benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Ergo unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quod quae gentes immolant, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos participes fieri daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participare, et mensae daemoniorum. Initio in memoriam illis revocat, quam propinqua sit istaec illis cum Christo Domino societas, corporis et sanguinis ipsius participes fieri ut quanto eos proprius illi adiunxerit, tanto ab omni idolorum participatione longius abstrahat. Externa autem sacramenta quaedam quasi vincula esse, quibus cum Domino cohaerent: id ipsum igitur illis e converso accidere, qui immundis caeremoniis se admiscent, ut per eas idolorum societati se innectant atque inserant. Deinde omnem tergivationem praecedit, quum eorum obiecta occupat, qui praetendere possent, idolum nihil esse: idcirco carnem idolis immolatam, nihil a vulgari [pag. 14] carne differre. Quod illis, quantum ad carnis ipsius substantiam, concedit: sed aliam esse hominum opinionem excipit, quorum iudicium in factis nostris spectari debeat, quae ipsorum oculis subiiciuntur. Eos autem, qui carne idolis immolata vescantur, argumentum imperitorum errori præbtere, unde iudicent, eo modo idolis ipsos sacrificare, sic in hominum conspectu Deum inhonorari. Iam et asperiorem sententiam postea subiicit, tantum esse inter Christi et daemoniorum mensam dissidium, ut altera se abdicet, qui delibet quidquam ex altera. Hac demum clausula exhortationem suam absolvit: Num provocamus Dominum? Num fortiores illo sumus? Cuius tanta vis est, ut magis acriter, ac magis paene dixerim tragicè, exagitare sceleratum ullum facinus non potuerit, quam illam exagitavit superstitionum fictionem: quae vix pro levissima culpa hodie a multis ducitur. Alibi (2 Cor. 6, 14 ss.): Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae pars fideli cum infidi? Quae societas luci cum tenebris? Quae concordia Christi cum Belial? Quis porro consensus templo Dei cum idolis? Vos enim

estis templum Dei, sicut dicit (Levit. 26, 11): Quoniam inhabitabo in illis, et inter eos inambulabo, et ero illorum Deus, et erunt mihi populus. Non vult usque eo Christianos ab omni infidelium necessitudine abhorrire, ut nulli inter eos intercedant civiles contractus, nulla commercia, nulla denique colloquia. Nam alicui, ut ipsemet ait (1 Cor. 5, 10), exeundum esset ex hoc mundo: sed nullam coire societatem permittit, quae horum imitandis superstitionibus fideles irretiat. Post Iesaiæ (Ies. 52, 11) subnectit testimonium: Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit<sup>1)</sup> Dominus, et immundum ne tetigeritis. Quo non ab incredulorum corporibus, locorum spatiis procul esse dissitos, sed a pollutis eorum sacris longe diremptos esse inbet. Quod vero prophetæ verbis, sive de suo, sive aliunde attexit Paulus, quod tum sit recepturus nos Dominus, et patrem nobis præstaturus, nosque agnitus in filios et filias, valde percellere nos debet, ne si, contra quam præcipit, immundorum attractatione non prorsus abstinerimus, abiici ab ipso repudiarique mereamur. Proximi offendionem quum alias saepe, tum in priore ad Corinthios epistola abunde tractat, ad hunc modum (1 Cor. 8, 1 ss.): De epulis quae idolis immolantur, scimus quod idolum nihil est, et quod nullus est nisi unus Deus: nam tametsi multi nominantur, sive in coelo, sive in terra, dii, nobis tamen unus Deus [pag. 15] pater, ex quo omnia, et nos in illo: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum: sed non est in omnibus scientia. Hic etiam ab anticipatione exorditur, qua eos qui interioris conscientiae innocentiam obtendendo cavillantur, talibus subterfugiis exclusos, ad hominum opinionem revocat: quos factorum suorum testes dum adhibent, ad eadem audenda exemplo suo invitant. Audent vero, non quia licere intelligent, sed quod autorem vident quem imitentur: tametsi ex adverso haesitante, imo reclamante conscientiae iudicio. Ac vide, quam severa hac una exceptione omnes tergiversandi ansas circumcidat. Idolatriæ speciem quandam et simulationem habebat ille ad sacrum idolorum epulum accubitus. Accumbebant nihilominus ex fidelibus quidam, hoc prætextu, quod puras et sanctas Dei creaturas ederent, quae etiam si millies idolis essent consecratae, contaminari tamen sacrilega huiusmodi consecratione non possent: quandoquidem nihil sit idolum, nisi vanum indoctorum figuratum. Futilem hunc prætextum quo illis tollat apostolus, illam nimium versutam prudentiam, qua praeteritis neglectisque fratribus sibi duntaxat sapient, acerbe castigat. Scientia, inquit, inflat, caritas aedificat. Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum

1) *Edd. recd. inde a 1552: dixit.*

quidquam intelligit, qualiter nosse oportet. Ac simulacrum quidem nihil esse concedit: sed contra obiicit, aliquid esse simulacrorum cultum: cuius ob-eundi indoctis ipsi autores essent. Non est, inquit, in omnibus scientia. Quidam vero cum idoli conscientia, quasi simulacris consecratum manducant, et conscientia ipsorum quum sit infirma, polluitur. Si quis eum viderit, qui scientiam habet, in simulacrorum epulo recumbentem, nonne conscientia eius, quum sit incertus, aedificabitur ad manducandum? et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et vulnerantes infirmas eorum conscientias, in Christum delinquitis. Ac si diceret: Quod omnes gentium de diis suis persuasiones, vana esse ac frivola commenta (ut re vera sunt) ducitis, vobis id solis sapere est: quod p[ro]ae vobis palam fertis, ad falsorum deorum cultum quod pertinero videri possit, id vero facitis multorum periculo. Nam qui eiusmodi spectaculo rudes adsunt, et simplices, quum nondum vestram illam prudentiam sint assequunti, qua intelligent idola nihil esse, vos autem idolorum sacris communicare videant: quid concipere aliud animo possunt, nisi [pag. 16] vos idolorum esse cultores, ac proinde vestro exemplo confirmari ad id perpetrandum, quod conscientia sua iudice damnatum habeant? Quare illam, quam obtenditis, prudentiam nihil moror: quae ut captiosa est fratribus, errandique materiam praebet, ita indigna est hominibus christianis. Quin illa quae ab indoctis ad imitationem vestram committitur, impietas, quando vestra culpa contrahitur, vobis praestanda est. Iam ergo satis perspicuum est, tametsi publico profitendae religionis munere non omnes pariter Christiani defungi necesse habeant, esse tamen privatam quandam confessionem, quae a singulis circa exceptionem postuletur: quae intra quos consistere fines debeat, nullo modo definire licet. Propterea quod nec eadem omnes ad ipsam edendam gratia praediti sunt, et eius ratio bona ex parte ab occasionibus pendet, quae non omnibus similes obveniunt: eatenus certe progredi debet, ne quid fidei veritate indignum, ne quid religionis nostrae integritate alienum, a nobis vel dicatur, vel fiat. Eius confessionis exempla, quantum coniicere partim ex apostolorum scriptis, partim ex vetustis historiis possumus, in primis illis bene institutis ac moratis ecclesiis praecclare elucebant. Nam ut non leguntur eius saeculi fideles in viis ac locis publicis de sua religione declamitasse: ut etiam Christianos se esse dissimulasse coram iis, quibus evulgari periculosum esset, leguntur: ita non minore studio rursum observabant, ne vel adversus suam religionem quidquam designarent, vel alios simularent se esse quam Christianos. Et sane quo numero habeat Dominus eos, qui fidem omni confessione vacuam intus con-

tinent, animadvertere ex elogio licet, quo ab evangelista describuntur: Multi, inquit (Ioann. 12, 42), ex principibus crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ne eiicerentur e synagoga. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. O exitialem gloriae appetentiam! Nam si ab hominum probris auspicanda est gloria, quam apud Deum exspectamus, quid iis futurum est, qui hominum se quam Dei iudicio approbare malunt? Et si Domini sententia pronunciatum est, eos in futurum saeculum animam suam perdere, qui in hoc salvam habere velint (Matth. 10, 39; Luc. 9, 24): quanto id in gloriam cadit aptius, cuius longe sit facilior quam vitae iactura? Porro si ab iis se velle sanctificari declaravit (Ies. 8, 13), quibus se in sanctificationem pollicetur futurum: quid de se sperare ausint, qui eius non tanti dignantur sanctificationem, quam vel [pag. 17] mediocrei opinionis suae immunitio redimant? Quod vero de hac confessione ad praesentem locum proprie attinet, sit extra controversiam istud positum, quod minime dubiis verbi Dei testimonii luculent evictum est: non oris modo abiuratione violari ipsam ac labefactari, sed externa quoque omni impiarum superstitionum simulatione: ac quavis verae religionis profanatione. Quamobrem eum qui sincero pietatis studio afficiatur, non linguam modo ab impiis vocibus, sed partes omnes corporis, a sacrilogo omni ritu continentes habere oportet. Verum quoniam permulti (ut supra commemoravimus) qui christianam pietatem, si ullis idolorum abominationibus commisceatur, dissipari atque everti nihilo minus quam nos fatentur, a papisticis tamen sacris (sacrilegis quidem illis et profanis, sed quae, ut aiunt, Dei, non idolorum titulum p[re]se ferunt) non perinde hodie nobis abhorrendum censem: refellendus est hoc loco nobis eorum error, et quod polliciti sumus, ex rerum praesentium collatione, cum eorum temporum statu, quibus illa quae ex divinis literis protulimus scripcebantur, ostendum, non minus esse in caeremoniis quibusdam papisticis anathematis, quam in ullis unquam idolorum abominationibus. Ac de ea quidem, quam causantur, discriminis ratione, postea viderimus: hoc modo inter nos, quod dico, prius constiterit, nullum unquam in gentium superstitionibus magis execrabile extitisse sacrilegium, et quod veram pietatem vel oppimeret gravius, vel contumeliosius afficeret, quam sunt hodie nonnulla quae passim in regno papae visuntur. Quanquam autem, si aliquando deridit Dominus ut ad plenum repurgentur ecclesiae, quas praestigiarum ille antistes suis imposturis corruptit, non alia melior futura sit moderationis ratio, quam ut a radice evellantur universa, et una (ut dicitur) litura corrigantr, quae ex eius disciplina prodierunt. Non tamen sunt eiusmodi ex iis quae-dam, quin tu ea ad tempus tolerare, atque una cum

aliis citra piaculum aliquod exsequi possis. Verum enim prudentia hic et diligentia animadversione opus est, qua quae <sup>wins</sup> ~~notae sunt et~~ formae, discernere ab iis noveris, quae cum Dei verbo non obscure pugnant, et velut impressam in fronte gerunt manifestam impietatem. Quod totum exempla et sub oculos subiiciunt melius, et brevius expedient. Carnium esum religionis nomine interdicere, hocque interdicto fidelium obligare conscientias, plane tyrannicum, atque ~~etiam~~, ut apostolus loquitur (1 Tim. 4, 1), diabolicum fuit. [pag. 18] At quum sit istud Domini permisso tibi in medio relictum, vescarisse omni die carnisbus, an in totam vitam abstineas, illis diebus quin te abstineas, nihil prohibet. Cur enim non interdum liceat, quod semper liberum est? Ita scelerato imperio absque scelere parebis, animus sit tibi modo, rudium ignorantiae in hoc concedere,<sup>1)</sup> non etiam animam in illos traditionum laqueos tuam inserere. Arcere coniugio eos, qui carnis incontinentia exagitantur, ex eodem est tyrannidis genere: nec tamen eadem tibi parendi fuerit facultas, siquidem illo ardoris aculeo pungeris, quod non ut carnium, ita uxoris abstinentiam libertati tuae permisserit Dominus. Hunc, quem in caeremoniis vestratis, quarum causa baec instituta est disputatio, pro eo tempore quo istic tibi vivendum est, semper intuearis, scopum tibi propono: ut quae nulla sunt impietate notabilis, iis sobrie quidem et parce, sed tamen quum usus postulabit libere secureque defungaris: facile ut appareat, nullam esse tuam nec in affectando, nec in refugiendo superstitionem. Quae vel minima sacrilegii<sup>2)</sup> nota sunt aspersae, eas non magis quam venenatum serpentem attingas: esse enim re vera quovis serpente solo attactu pestilentiores, quin tibi sim probaturus, nihil diffido. Earum vero in numero simulacrorum venerationem, unctionis susceptionem, indulgentiarum emptionem, irrigationem ex aqua exsecrandis illis exorcismis incantata, similesque alios per se damnabiles ritus repono. Quid enim tandem afferri queat, quod in eorum omnium excusationem satis valeat, quo minus tanti a nobis maleficii damnari debeant? Scio enim quosdam esse moderatores, quibus ad exagitandas leves istas, ut credi volunt, et nihili nugas, videmur nimium asperi: sed quid illi, inquam, ad diluendam nimiam hanc nostram (quando ita vocari placet) acerbatem tandem afferunt? Negare certe non audebunt ubiunque ad cultum prostant in templis simulacula, maximam et prope universam hominum multitudinem divinis ipsa honoribus prosequi: ac in eo in secundum legis praeceptum, quod est de non colen-

dis idolis, impingere. Non stolidum hominum vulgus, sed prudentissimos quoque, et summis ingenii doctrinaeque dotibus praeditos, hoc errore captos involutosque esse dico: ad ipsorum opinionem (quod apostolus fieri, ut meministi, iubet) te revoco. Si, quo illis testatum facias, religione te ab ipsis non discrepare, caput coram simulacro detegis, aut genu curvas: quid aliud quam diserta testificatione idololatram te esse profiteris? [pag. 19] At utut<sup>1)</sup> simulacro te honorem deferre hominibus fingas, Dei tamen unius cultum cogitatione complecteris. Quasi vero tuum sit, honorem ad arbitrii tui modum inter simulacrum et Deum viventem partiri: Deoque omnia intuenti periinde palam illudere, ac si eius oculos, quod omnium hominum perspicuunt oculi, praeteriret. De chrismate quid dicam aliud? in quo suscipiendo si te nihil peccare defendis, quod hominum iniquitati ut satisfacias, membra duntaxat inungi, nulla conscientiae religione patiaris: ego contra graviter te delinquere arguo, qui vel frontem afferas, in quam inscribatur, quae in sua confirmatione ab illis usurpatur blasphemia, te salutis christmate confirnari; vel manus porrugas, in quibus illa insculptatur, qua sacerdotes suos peragunt, sacrificandi te potestate donatum: vel omnes corporis partes exhibeas non minori execratione inurendas, qua in extrema (quam vocant) unctione utuntur, per oleum tibi remitti peccata. Quod quidem vel leve, vel nullum esse delictum tibi concedam, nisi tua ipsius confessione obtinuero, rem esse plus quam indignam, quae ad incorruptionem regni Dei destinata sint corpora, tanta blasphemiarum foeditate conspurcari, quam in conspectum Domini afferant, quo die ad recipiendam immortalem gloriae coronam eius tribunal sistentur. Sic qui in arculam stipem conicerit, ubi venales prostent veniae, aut quidquam omnino ex illo plus satis foecundo ac liberali indulgentiarum dispensationumque thesauro sibi redemerit, in nefandas illas nundinationes nomen inscripti suum, ac in eas consentire se, velut data tessera, comprobavit. Neque illam, quae vulgo iactatur, excusationem accipio: non secus ac injecta offa maleficæ beluae compescuntur, ita vel pauculis nummis, vel etiam largiore interdum nummorum copia deliniendam esse sacrificiorum rabiem: qui quum de lucro agitur, sic praedae inhiant, quovis ut famelico leone sint rabidores, praelium (quem morem pseudopropheticis ac pseudosacerdotibus semper fuisse, testis est propheta) (Mich. 3, 5) super unum-

1) *Edd. rec. 1576 seqq. legunt: ut. Sensum subobscurredum non attigisse videntur. Calvinus scilicet alterius excusationem praesumit mox refutandam. Quod Gallus multo lucidius expressit: Combien que ie face semblant . . . de porter honneur à l'image, ie garde neantmoins en mon cœur le service du vray Dieu.*

1) *Editio princeps:* concredere (*versio gallica* habet: ceder). 2) *Edd. rec. 1576 seqq.:* sacrificii. *Versio gallica:* sacrilegio.

quemque sanctificantes, qui non illis aliquid in os dederit. Hanc, inquam, accipiendam esse excusationem nego. Quid enim diplomata illa, quorum te gratiam appetere simulas? An non edita voce clament, ut nummis relicitis plenas anathemate atque omni execratione dignas indulgentias tibi auferas? Hoo qui intelligunt (nemo autem non intelligit) ac nummum te offerre vident (videri autem nisi cuperes, non faceres) num parum luculentam [pag. 20] habent abs te testificationem, indulgentiarum participatione velle te uti frui? Atqui earum latebras si excusseris, nusquam prolixius quam illic Christum cum sua cruce irrideri comperies. Aqua denique illa, diabolicis exorcismis consecrata, frontem qui aspergunt, quam omnino frontem habent, ut impune id licere contendere ausint? Quid enim tali sibi aspersione volunt? an ut putidae aquae guttula faciem in publico emaculent? an ita in celebri hominum coetu sine causa lascive ludunt? Neutrum istorum est, nec quidquam simile. Verum spectantem populum eo symbolo attestantur, exorcismi sanctitatem se contemptui non habere. Quo simul haud dubie omnes, quae ab exorcismis evomuntur, blasphemias obsignant: virtutem illi aquulae infusam esse, qua<sup>1)</sup> daemones pellat, curet morbos, abigat phantasmata, noxas omnes dissolvat. Ac ne calumniose me criminari sua facta queri possint, quae procul absint ab ea, quam illis affingo, impietate, eorum conscientiam semper appello, eiusmodi ritibus dum perfunguntur, an aliquid minus, quam quod reprehendo, populo persuadere velint? Illum igitur ipsum populum, cuius satisfacere iudicio hic student, illis iudicem fero: e quo nemo erit, qui non pronunciet, idem sibi videri. Iniquum si esse dicant, ad hanc se exigi regulam: cum apostolo, cuius istaec est severitas, non mecum, expostulent.

Video nullum fore, nec mihi dicendi exitum, nec iis finem tergiversandi, qui repugnare velint: nisi certa una in re constiterimus, in qua planius ac penitus evidenter, id quod docere volumus, perspici possit. Sit igitur missa nobis exempli loco, in quam nisi plusquam iusto iure conferri possit, quidquid de idolatria vel scripturis traditur, vel dici potest, quo minus caeremoniis istis omnibus, a quibus tantopere fugiendum censeo, vel rebus mediis indifferenter abutaris, causam non dico. Ipsam autem eligere ex omnibus potissimum libet: quod una prae omnibus usque adeo sancta observatione colitur, ut quem in aliis praetereundis hominum fallere animadversionem quoquo modo liceat, hac te eximere, quin multorum oculis observeris, haud facile queas. Quo fit, ut in caeteris quantum insit mali

qui videant, ac illis se ideo abstineant, satis multi reperiantur: qui vero fateantur, quanta scateat abominatione missae cultus, vel ab eo sese plane exticare ausint, perpaucos offendas: sive terrore occaecati verum non cernunt, sive animi deiectione magis et languore, quam mentis errore, labuntur. Quamobrem sic existimo, [pag. 21] totam praesentem causam solo hoc capite, quodammodo contineri, hac ut hallucinatione discussa, qua maxime perstringuntur, de reliquis partibus, in quibus non ita graviter caecutiunt, ultra mihi sint omnes concessuri. Omnes, intelligo tui similes, qui sancto Dei verbo parere auscultareque didicorint: quales, ut sum praeformatus, tecum hic docendos suscipio. Quale ergo sit istud, ne sacrosancta<sup>1)</sup> missae maiestas ludibrio tibi despectuque esse videatur, eius peragendis mysteriis interesse, atque adorantis ritu inter eorum cultores stare, paululum perpendamus. Primum omnium tametsi quid missa ipsa sit, non ignorant quicunque vel mediocri Dei cognitione sunt imbuti: id tamen ipsum quod norunt, ut probe teneant, mihi sunt monendi. Siquidem bonam eorum partem ex eo labi video, quod totam eius vim quum domi luculenter meditatum habeant, ad ipsam dum accedunt, quam horrendae tragoeiae futuri spectatores veniant, obliviscuntur. Verum ne longam ac alte repetitam disputationem ordiri mihi necesse sit, de missae sacrilegiis ad Institutionem nostram lectores mittam: ubi satis explicate pro operis duntaxat brevitate, expediisse me arbitror, quum universum eum locum, tum quidquid ex eo huc pertinebit. Tantum dico, quod fidelium neminem latere debet unum sacrificii nomen (ut ipsum quidem missarii sacrifici accipiunt) et Christi crucem prorsus abolere, et sanctam eius coenam, in qua mortis sue memoriam consecravit, evertere. Nam et sua gloria, ut scimus, Christi mors penitus spoliatur, nisi unicum habetur aeternumque sacrificium: et si ullum adhuc sacrificium restat, tota corruit atque a radice labefactatur Christi coena: quae non aliud est, quam unicae illius oblationis testimonium, et quedam veluti obsignatio. Haec autem duo, quae ita continent missae sunt affixa, ut avelli ab ea nullo modo queant, si sola essent, quibus omnem missae communicationem facere tibi execrabilem conarer: quid posses, nisi uno mecum ore ipsam detestari? Quid enim? An tu, cui nulla alia in re quam in Christi cruce gloriari licet, quum ad extinguendam eius gloriam, ad concidendum evertendumque eius testimonium coniuratos convenisse videoas, illis te socium adiungas? Atqui si recto oculo rem intueri volumus, quid aliud, quam ad talis coniurationis so-

1) *Edd. recd. 1576 seqq. quae (par laquelle G.).*

1) *Edd. recd. 1576 seqq. legunt: sacrosanctae (la sainte maiesté d'icelle G.).*

cietatem profitendam digitum tollunt, qui se quavis missae participatione illigant? Est tamen istud etiam num tertium, quod quo est manifestius, eo pios animos afficere pressius potest: nempe nefanda [pag. 22] idolatria, dum panis divinitatem induere fingitur, proque Deo in sublime adorandus tollitur, sublatus ab omnibus colitur. Quae tanta atrocitate, tanta que indignitate referta res est, ut vix, nisi spectetur, credi queat: sic omnium oculis subiecta patet, ut argumentis opus minime habeat. Pro Deo, inquam, ostentatur, adoratur, invocatur panis crustulum: Deus denique esse creditur: quod de suis simulacris nullis unquam gentibus persuasum fuit. Neque hic mihi quispiam obstrepat, non panem, sed Christum adorari, qui in panis locum subierit, ex quo legitimo sit ritu consecratus. Quod etiamsi sanctae Christi coenae convenire demus, quanquam nihil minus concedimus, ad missam tamen nihilo pertinet magis, quam ad veteres Pontificum coenas, aut Saliorum epulum. Id quidem si inter nos conveniret, quod certo constare debuerat, Dominum in mystica sua coena corpus praebere non quod adoremus, sed quod edamus: praesentiamque non illam naturalem, quam loco illo contineri oporteat, sed spiritualem, quam nullum loci intervallum, nulla distantia impeditre possit, proponere: aut, si mavis, non naturam sui corporis praesentem illic et circumscriptam exhibere, sed efficaciam et virtutem, ne in ipso quidem coena hic scrupulus resideret. Verum quoniam nondum id videre omnibus datum est, rem dubiam ac controversam pro confessa certaque me praesumere ne quis cavilletur, illa parte non instabo. Adsit sane in sua coena praesens vero ac naturali corpore Christus, manibus attrahetur, dentibus atteratur, faucibus deglutiat, divinitatem illic praeterea suam sistat, qualiter in eius carne ineffabili modo habitavit, quam ius fasque sit adorari (quorum tamen utrumque vanissimum esse, alibi demonstratum abunde a nobis est) verum utrumque ubi concessum fuerit, quid tamen inde ad panis frustulum accesserit, extra Christi coenam? Non enim si Dominus suis fidelibus, mortis suae memoriam pie coentibus, corpus suum sub pane edendum praebet, protinus etiam consequitur, impuris ipsum sacrificulis immolandum se mactandumque, quoties illis libeat, tradere: nisi forte tantam putido oleo subesse virtutem arbitramur, qua omnes quas in unixerit<sup>1)</sup> manus, peritas Christi formandi reddat artifices: aut sacrificuli libidinem, coelestis decreti pondus habere credimus, ut quoties e coelo Christum deducere decreverit, praesentem ad nutum extemplo habeat: aut Christi verbis vim quandam magicam affingimus, quae articulate tantum demurmum-

rata, energiam suam explicit. Talibus enim ineptiis e pane Christum se educere, nobis persuadere contendunt. [pag. 23] Quidquid ergo illi de sua potestate, consecrandi intentione, verborum pronunciatione stolidi garriunt, valere sinamus. Nos promissionem quam falso iactant, primum esse coenae propriam: deinde piorum fidei datam, non impiorum irrisioni scimus. Quod si extra coenam locum nullum habet, in missa, quæso, quem habebit, quanihil usquam coenae magis aduersum est? Etsi non nisi piis ad alendam confirmandamque suam fidem proposita est, qui unica Christi oblatione, quam in cruce peregit Deo patri, aeternum sanctificatos se credunt: qui praestaretur iis, qui nec ipsam intelligunt, et ipsius praetextu ad illudendam eius veritatem scelerate abutuntur? Illum igitur Deum, quem ludibundus sacerdos quaquaversum circa suum altare ventilat, non e coelo, ut credi volunt, clicitum: sed talē esse, qualis e pistrino sit extractus, palam est. Nam promissionem quae Christi corpus sub panis symbolo fidelibus præbet, non ad eos magis, quam ad pecudes: nec ad missas magis, quam ad bacchanalia aut Turcarum prandia spectare, nihil est iam ambigendum. Quid? histrioniae illæ gesticulationes, ita indecorae prorsus et immodestæ, ut a sanis sobriisque hominibus proficiisci non debeant, dum in Christum conferuntur, sacrosancto eius nomini videnturne tibi leviter contumeliosae? A morionibus forte talia tolerari ludicra poterant. Dominum vero illis inscribi, ut graviter eius sanctitati iniurium est, ita indignissime, aut (quod verius dixerim) nullo modo nobis est ferendum. Praesertim quum eo recta tendere videamus, ut institutam divinitus spiritualis coenae caeremoniam, sepultam subversamque penitus extinguant. Agedum, ad simulandam missae religionem, qua conscientia peragendis eius mysteriis intersis, mecum nunc recognosce. Primo statim ingressu sese in conspectum infert altare, parum illud quidem a mensae compositione differens, sed quod ipsa tamen nuncupatione sacrificando se destinatum clamet. Iam hoc certe solum blasphemia non caret. Vides prodeuntem sacrificum, qui quatuor digitorum unctione pacificatorem se inter Deum et homines constitutum glorietur: qui Christi promissionem, qua corpus et sanguinem suum sub panis et vini symbolis servis suis edendum bibendumque proponit, creptam fidelium ecclesiae, atque ab ipsa coena abreptam, sibi similibusque sui carnificibus vendicat: qui coelestem eius coenam missae nomine, in qua tota ipsa invertitur ac deformatur, inhonorat. Adstat populus, nihil non eorum divinum esse persuasus: cui permixtus, eadem te<sup>1)</sup> teneri religione simulas. Ubi ad altare

1) *Edd. rec. 1576 seqq. inunxerint* (quelle a oinct G.).  
*Calvini opera. Vol. V.*

1) *te omittunt omnes praeter ed. principem.*

propius ille accessit praestigiator, fabulae suae actus partim motorios, partim statarios orditur, magicasque *villas susurrantes*, quibus e coelo Christum sibi videtur evocaturus, aliis quidem certe [pag. 24] videri vult, quibus evocatum, ad immolationem devovet: quibus Dei erga hominum genus reconciliacionem, ac si in demortui Christi locum subrogatus esset, molitur. Haec cum simili, qua superiora illa, veneratione excipi ab universa multitudine vides, ad eam quoque ipsam imitandam vultum assimulas, in quem (ut minimum) inscriptam esse eiusmodi spectaculi acerrimam abominationem decebat. Et adhuc mihi negabitur, qui missam religionis specie audiat, eum totidem, quot in ea perpetrantur, sacrilegiorum consortem se apud homines, quidquid animus Deo intus canat, profiteri? Ecce demum idolum illud, corporis quidem specie pusillum, aspectuque candidum, sed omnium longe et pestilentissimum et tetterimum, ad tangendos superstitione spectatorum animos attollitur. Huic dum sese omnes stupefacti advolvunt, tu simul converso in ipsum intuitu, venerabundus prosterneris. O perditam nostram impudentiam: si quidquam eorum, quae sacris literis adversus idololatriam prodita sunt, ab ista sic deprehensa coniunctaque<sup>1)</sup> deprecamur? Quid enim? an hoc est aliud idoli genus, quam quod adorare secundo legis capite vetamur? Quod si ita est, cur eius cultum minore delicto, quam babylonicae illius statuae censemus? quem tamen tres illi, quos supra retulimus, Israelitae, et morte, et exquisito ad saevitiam mortis genere, gravius exhoruerunt? Si vulgaribus ac quibuslibet gentium superstitionibus subesse pronunciat Dominus immunditiam<sup>2)</sup> non tangendam, in tanta sordium congerie, quanta hic constat, tot sacrilegiorum cumulis voluntari qui liceat? Ut autem omnes apostoli sententias, quibus in idololatriam invehitur, uno isto verbo complectamur, non posse nos mensae daemoniorum et Christi mensae una fieri participes, quis ad missam id spectare neget? cuius altare eversa Christi mensa erigitur: cuius epulum diremptis, laceratis, sordidatis mensae Christi epulis instruitur: in qua Christus traducitur, eius mors illuditur, exsecrabilis pro Deo idolum supponitur, eam vocare daemoniorum mensam suppudebit? ac non potius, quod tantae impietatis meretur insolentia, novum excogitamus aliquod nomen, quo detestabilius quiddam (si fieri possit) exprimatur. Et sane de eo haesitare quomodo hominibus non prorsus caecis in mentem veniat, valde miror, an daemoniorum mensam appellare missam debeant, ad quam exaedificandam

sternendamque, omnes daemonum technas, machinas, copias concurrisse, plane conspicunt.

[pag. 25] Verum novae rursum ambages ab aliis mihi obtenduntur. Nam eorum nonnulli, qui olim, quem in communī errorum labyrintho versarentur, sacerdotii papalis oleo inuneti fuerunt, in veteris etiamnum harae stercoribus considunt: et quanquam de unico aeternoque Christi sacerdotio, Dei beneficio, praecclare sunt edocti, sacrificare nihilominus pergunt: idque ut impune sibi liceat, postulant. Impudens sane postulatum. Nempe ut missae praeesse sibi concedatur: cui ne interesse quidem christianis hominibus, iamdiu validissimis rationibus contendeo. Quas tamen ad elabendum argutias nectant, audiare refutareque obiter operae pretium est. Quando, inquiunt, neque sacrilega illa immolandi Christi cogitatio, nec vana de panis in Deum transitione opinio, neque earum superstitionum quae missam ipsam impiam faciunt animis nostris ulla insidet, externi ritus, quorum repraesentatione indoctorum iniquitati satisfacere cogimur, quales sint, non magnopere refert: nec vero possunt, quo minus pro missa sanctam Domini coenam celebremus, impedire. Nam nimium perversa ista fuerit morositas: missam externa caeremoniarum larva levibusque duntaxat inceptis aestimare, non pravis opinionibus ac sacrilegis mendaciis, quibus in rebus sitam esse eius impietatem omnes fatemur. Omissa igitur offerendi mentione, superstitionum omnium vanitate sublata, si coenam Domini, quo modo per iniquos saeculi mores licet, colere nos nihil ambigitur, frivolas quasdam caeremoniarum nugas, ingentis sceleris instar, insectari perquam indignum est. At si eorum quempiam ex adverso aggrediar: coenam Domini suis et ipsam caeremoniis, nequaquam negligendis, constare, quod et a coelesti magistro sint institutae, et sic institutae, ut propria essent germanaque coenae symbola, quibus sublatis, agnosci iam illa non posset: cuius permisso tantum se ausum esse respondebit, illud ut nescio quid omnibus coenae symbolis exutum ac deformatum, fabulaeque magis quam ullius divini mysterii simile, coenam nuncuparet. Coenam esse Domini nego, ad cuius spirituales epulas, non in commune omnes qui adsunt fideles invitentur, nisi in qua et sancta panis ac calicis symbola ecclesiae proponantur, et promissiones, quibus obsignandas data est, enarrentur, et acquisita nobis per Domini mortem vitae gratia praedicetur. Horum tu<sup>1)</sup> mihi vel minimum apicem in missa ostendes? ac non potius adversa contraquo pugnantia omnia? Tu igitur aut Dei nomine stolida hominum [pag. 26] temeritate excogitatam insulsitatem insignies, aut coenae nomen ad circulatorios lusus, in quibus nul-

1) *Sic sola princeps. Caeterae omnes emendant: convicataque. Gallus etiam habet: convaincue.* 2) *Sic princeps. Caeterae: immunditium.*

1) tum 1576. 1597. 1611. *Gallus: toy.*

lum eius vestigium appareat, transferes? Tu denique sub diabolicae missae imagine Domini mensam repraesentabis? Tu in quo Domini mortem ignominiose traducas, in eo te eius coenam colere persuadebis, qua nos ad praedicandam mortem suam nominatum exhortatur? Quid tecum tacite demur mures, a nemine exauditur. At quum totius corporis actione sacrificium esse, quod peragis, diserte pronuncies, idne est mortem Domini adnunciare? quam, si sacrificiis locum post se reliquit, vanam fuisse consequitur. Et cur non semel cavillis eorum omnibus, quod facile est, viam praecludo? Populum enim, quem fabulae suae spectatorem admittunt, ad sacrificii celebritatem convenisse sciunt. Huic quod exspectat sacrificium praestent re vera, necne, ad rem nihil pertinet: certe quod eius opinione sacrificium haberi velint, exhibit. Ad flagitiosam idoli adorationem paratum vident. Adorandum, propriis manibus, ipsi excuso in loco statuunt, quasi easdem simul manus et ad Deum viventem extendere, et ad prostituendum idololatrae populo, quocum fornicetur, idolum attollere possint. Non hic dico, quod si dixerim, an refellere ipsi sat probe queant, nescio: ne minimam quidem pietatis scintillam fovere eos, quibus ad nefandi adeo flagitiis gestionem manus suppetant, quos non inter medios saltem conatus vires omnes ac nervi deficiant, quibus non membra omnia horrore tremant ac labascant. Sed id solum dicam, cui posthac infitiando non erunt: viam illam, qua se accedere ad Domini coenam iactabant, ab eius accessu tantum abducere, quam haec inter se duo longe differunt, divinae gloriae strenuum praestare animosumque praecomenem, et perpetrandis sacrilegiis ducem, praesidem, auspicem se praebere. Simil etiam reliquos obtestor: quibus (si quis eos, quod ad audiendas missas ingrediantur, accuset) respondere mos est, missae dum intersunt, sibi quid sacrificulus seorsum deblateret, curae non esse: sed eam symboli tantum loco se accipere, quo perinde ac si sanctae Domini coenae intersint, mortis eius memoria exerceantur. Eos, inquam, obtestor, posthac nulla ut potius, quam hac misera excusatione utantur. Neque (ut spero) utentur. Siquidem quum animis suis recte reputent, quam sit utrumque multis modis absurdum, et monumentum mortis Christi facere missam, quae nullam, nisi omni oblivione peiorum eius recordationem hominum [pag. 27] animis afferat (utpote quac vim eius universam oblitteret ac sepeliat, cum summa praeterea Christi ipsius contumelia coniuncta sit) et eandem dicere sibi propemodum coenae esse loco, in qua tantum ab adnuncianda Domini morte absunt, ipsam ut propemodum abiurent. Nam primum quantum ad missam attinet, quoquo vertant oculos, quid spectare possunt, quod sibi aeternae illius sanctificationis, iustitiae, redemptionis per unicum Christi sacrificium

partae, memoriam subiiciat? quod unicum sacerdotem esse Christum, nullo consorte, nullo successore, doceat atque ostendat? quod eius morte perfecta, quae in salutem nostram erant omnia, testetur? Et quo igitur iure missa eius mnemosynon censeatur, cuius nec apiculum proferat? Porro quod sese aiunt eundem fere inde usum, quem e coena capere: amplissimum ipsi de se testimonium ferunt, nihil se illuc meditari minus, quam ut gloriae confessionem Christo Domino tribuant, ad quam praescriptis verbis in coena vocantur fideles.

Eius autem discriminis, cuius specie praesentis idolatriae rationem, a veteris illius causa disiungere vulgo conantur, quanquam exemptam iam plane bonis viris omnem dubitationem arbitror, quale id tamen sit, quando ita nos facturos recepimus, et quorundam forte frangendae obstinationi expedit, consideremus. Cur tot execrationibus sanctum sit olim a Domino, ne gentium superstitionibus servi sui ullo se modo commiserent, causam fuisse aiunt, quod ille idolis habitus honor quum falsis diis manifeste tribueretur, divinitatis quoque honorem a vero Deo ad illos transferebat: mundum quidem non minus abominanda hodieque superstitione insanire, caeremonias ineptire aequae prope stolidis et fatuis: verum hoc interesse, quod quales tandemcunque caeremoniae istae sint, quia tamen Dei nomen pae se ferunt, eiusque sunt cultui destinatae, eas si quis perversa superstitione vacuus solitusque usurpet, nihil de vera Dei religione sit derogaturus. Haec si de mediis ritibus, quos docendi causa indifferentes nuper vocabimus, disputarent, eorum permissioni non vehementer reclamarem. At quum eas quoque caeremonias complectantur, quae manifesta sunt impietate ac non ferendo Dei opprobrio insignes, quam inscite ratiocinentur, paucis e scriptura petitis exemplis ostendemus. Serpentem illum aeneum (Num. 21, 8 ss.), qui postquam usum praestare desiisset, cuius causa fuerat excitatus, posteris etiam, quo aeternum esset [pag. 28] saeculis omnibus divini beneficij monumentum, relictus fuerat: quum praepostera patrum imitatione a filiis postea coli coepitus esset, eundem semper optimae religionis practextum retinuisse quis dubitet? passimque et vulgatum fuisse, et obtinuisse, illam summi Dei esse imaginem, quae in eius gloriam adoranda foret? Quod si eorum quempiam, quos tum Dominus prolabi in tantam caecitatem passus non erat, narrarent historiae (2 Reg. 18, 4), procul omni superstitione, tantum ut publicae populi insaniae se accommodaret, genu coram idolo illo incurvasse: nostrum opinor nemo fuerit, qui non confessim illam simulandi improbitatem detestetur: et sane communi piorum omnium abominatione digna esset. At nisi nobis frustra blandimur, nihilo nunc leviore flagitio genua coram panis crusta incurvamus, quam tum inflectere coram serpente licuisset.

Quid? Aaron quum vitulum a se conflatum populo Israel ostenderet (Exod. 32, 4), ac irrisorie diceret eos esse deos, a quibus educti essent e terra Aegypti, nonne ille serio assentiebatur? nempe Deum, quem redemptorem suum libertatisque nuper acquisitae vindicem non abnuebant, in vitulo tamen cernere volebant: quod prope sibi adesse non confidebant, nisi praesentibus ipsum oculis intuerentur. Itaque solenne Dei sacrum quum ab Aarone indictum<sup>1)</sup> esset, nihil restabant, nec deprecabantur: sed quam Deo viventi gloriam dare volebant, eam coram vitulo ceu spectro eius quodam, persolvebant. Tollant utrinque, ut libet, superstitionem omnem: non tamen satius idcirco fuisse, aut tolerabilius, coram hoc vitulo honoris causa procidere, quam coram bove aegyptiaco, dicere certe sustinebunt. Iarobeam quoque quo vitulos suos consilio sit fabricatus (1 Reg. 12, 26), si quaerimus, neque novos sibi deos asciscere in animo habebat, neque sic a Deo plane se desciscere cogitabat, neque Dei modo religionem non aspernabatur, sed ne sanctas quidem caeremonias, quas pessundare conabatur, improbat: sola erat diffidentia, quae hominem in hanc amentiam praecipitem ferret. Nam quum illa, quam nobis refert sacra historia, anxietate misere aestuaret, ne templi religione sanctaque maiestate tacti plebis animi, ad Davidis domum, unde defecerant, rursum inclinarent, novos excogitare ritus voluit, quibus a templi conspectu abstractos simul a regno iudaico paulatim alienaret. Vitulos ergo quum proferret, non a priore Deo ut ad illos deficerent hortabatur, quod futurum erat omnium auribus nimis asperum: sed veterem assuetumque Deum [pag. 29] ut in illis colerent, edocebat. Huc enim illa spectabat oratio: Vobis ultra modum in Ierusalem ascendere grave est: o Israel, hi sunt dii tui, qui te eduxerunt e terra Aegypti: illis ut persuaderet, non se exterminato priore Deo, novitum aliquem inferre Deum: sed modum tradere duntaxat, quo minore molestia illum ipsum adorarent, cuius virtute quondam fuissent e misero Aegypti servitio liberati. Ille vitulorum cultus, quantumvis aeterni Dei nomine praetexeretur, qualis fuerit, abunde testantur prophetae. Ut cunque abesset supersticio, ut cunque a vituli veneratione interior cogitatio abhorret, innoxius esse non poterat, quicunque in Bethel ad sacrificandum ascensisset: quam 'dei verbum Bethaven'<sup>2)</sup> pronunciabat. Quod si scelesti illi: nos iusti scilicet, qui panis micam, simulatque impii sacrificuli destinatione devota immolationi fuerit, nobis pro Deo esse profite-

mur? Iam et Samaritanorum religionem non ob id imitari non licebat omnino, quod deorum esset alienorum cultu implicata, sed quod pravo illegitimo que Dei cultu polluta foret. In hoc, mi frater, in hoc fallimur, quod dum immundas per se et sacrilegas caeremonias esse non putamus, nisi quae gentilium deorum nominibus palam sint insignitae, sacrosanctum Dei nomen profanare, summum esse sacrilegium obliviscimur. Profanatur autem non magis, dum suppositis aliis diis, plane ipse repudiatur: quam dum commentitium illi quidpiam, quod eius maiestatem in honoret, affingitur. Eant nunc, qui ad missalis illius e panario Dei conspectum genua simulandae religionis causa inclinant, et levius se delinquere iactant,<sup>1)</sup> quod sub Dei nomine idolum adorent. Ac si non illa potius nefaria sui nominis usurpatio bis irrideretur Dominus: quod et eo nihilo secius relitto, ad idolum curritur, et transire ipse in panem fingitur, obscuro ac velut magico murmure incantatum.

Porro quod omni impiarum superstitionum communione ita praecise interdico, id in eam partem nolim accipias, quasi earum rerum tibi religionem iniiciam, quas vel effugere omnino non sit in tua possum facultate, vel liberas alioqui esse conveniat. Neque enim si intra templorum omnium, quae quidem istic sunt, parietes, infinita quotidie impietatis exempla eduntur, idcirco te a primis eorum limitibus arceo, nec si simulacra omnia nefandis sacrilegiis sunt dedicata, ideo ea protinus aspicere te<sup>2)</sup> veto. Quando alterum sine noxa est: alterum, praeter id quod nihil obest, simul ac pedem domo extuleris, (tanta idolorum multitudine refertae [pag. 30] sunt viae omnes) tui arbitrii esse desinit. Te ergo usque adeo superstitionum esse nolo, ut templi magis ingressu pedem, aut simulacri aspectu magis oculum pollui existimes, quam si vel illum in vulgarem quavis locum inferas, vel hunc in rudem informemque aliquem lapidem coniicias. Verum enim, ut illa tibi esse permissa audis: ita ne ultra eius libertatis modum licentia progrediaris, etiam atque etiam reputes. Hunc modum definire non improprie mihi videor, quum ab omni in universum sacrilegiorum communione abstinentum tibi doceo. Siquidem per communiohem, non simplicem loci propinquitatem (quae minime nos illis implicat) sed tum interiorem consensionem, tum externam quamvis testificationem, qua<sup>3)</sup> in illorum approbationem subscribatur, intelligis. Consensu ne illis adhaerescant, qui modica veritatis luce sunt irradiati, vix est timendum. Illis illis<sup>4)</sup> testificationibus scelestae participationis laqueis

1). Sic quoque Gallus: quand Aaron eust publié la feste et solennité de Dieu. Caeteri libri latini omnes, uno Amstelodamensi excepto, adeoque Ed. 1550 habent: indictum. 2) Dueae editiones principes male habent: Bethanem. Gallasius 1552: Bethauen. Gallus optime: Beth-aen.

1) Ed. princeps: iacent. 2) Ita sola princeps. Cae-terae omittunt: te. 3) Edd. rec. 1576 seqq. quae (Gal-lus: par laquelle). 4) Alterum illis omitunt 1576 seqq. Gallice vertitur ad literam: par ces par ces attestations.

sese induunt: nec intelligunt, superstitione id, an calida simulatione faciant, ad rem non pertinere. Quando utroque pariter modo et sacram Dei religionem ludibrio habent inter homines, et exemplo suo partim rudium inscitiam, ad obstinatiorem per vicaciam confirmant, partim imbecillum dubias haesitantesque conscientias labefactant. Communicare ubi vetuit apostolus (Ephes. 5, 11) operibus infructuosis tenebrarum, simul adiicit ut potius a nobis redarguantur. Quia posteriore particula, quid per illam priorem voluisse, explicavit: nempe tum nos flagitiosis ac iniquis facinoribus communicare, quum illa nobis placere quoquo modo<sup>1)</sup> significamus. Unde profecto absque dubio perspicis, ab istarum abominationum, de quibus nobis sermo est, inquinantis eum se demum praestare immunem, qui nullam earum, ne fictam quidem, imitationem in se suscipiat. Caeterum, qui se ad eum modum abstinentem praestiterit, eum nec aspectu, nec ingressu, nec vicinitate ullam adeo vel noxam, vel maculam contrahere, ut ex eo constantiam suam Domino magis approbet, quod hostilibus copiis circumcessus, expugnari tamen se non patiatur. Hac ratione Paulo (Act. 17, 23) licuit, illaesa pietate, non modo circum omnes Atheniensium aras obambulare, eaque loca pedibus terere, quae essent mille impiatum notata vestigiis et recentium forte sacrificiorum odorem adhuc referrent: verum oculos huc atque illuc circumferre, et quid in unaquaque ara inscriptum foret, curiose contemplari. Non enim ad singula deorum nomina sese religiose inclinabat, nec quos in salutandis suis simulacris ritus observabant idololatrae repraesentabat: [pag. 31] sed superstitionum omnium neglectum prae se ferens, requirebat quod fandem reperit, unde ad illustrandam Domini gloriam, velut ex adversariorum tabulis argumentum proferret. Eadem ratione periculum non fuit, ne consensa navi, quae insigne haberet Geminorum (Act. 28, 11), aliquid ex ea dedicatione piaculi in se susciperet, quum ita se generet, nullum ut superstitionis ritum cum impiis ipsum communicare facile appareret. Neque enim, quod alias ex more egisse verisimile est, arbitrari possumus ipsum, aut sub primum ingressum deos tutelares salutasse, aut solventem a portu, secundam ab illis navigationem petiisse aut potentibus succinuisse, quasi in eorum precationem consentiret. Quare ne quo scrupulo vanae gentium dedicationes animos nostros impedirent (ac si efficere possent, ne iis rebus uti pure liceret, quas in usum nostrum Dominus sanctificavit, modo ne perperam abutamur) nominatim expressit Lucas, Paulum illos Castoris et Pollicis titulos, quo minus traiiciendi causa navem illis consecratam concenderet, nihil reformidasse. Quod

dubium nemini futurum erat, tacuit: diligenter hoc cavisce ac praestitisse, ut, quod christiani hominis erat, ab omni idolatriae specie quam longissime abesset.

Quanquam autem (quae tua est erga Dei veritatem observantia) sententiam, quam tot divinis testimoniis obsignatam videas, tibi iam plane probatum esse confido: quando tamen non tibi haec uniscribuntur, aliorum ut me rationem simul habere patiaris, abs te peto. Quos ad concedendum veritati aliquanto esse in hac causa difficiliores quam oporteat, minus idcirco miror, quod insuave illis ingratumque esse non dubito, ab ea, cui diu placideque indormierint, indulgentia excitari. Ac mihi sane videre iam quosdam videor, frivola intempestivamque hanc meam morositatem irridentes, qui rem non ita magni ponderis perinde urgeam, ac si in eo cardine tota religionis summa verteretur. Nam et ipse quosdam memini, quibuscum de hac re mihi olim sermo fuit, quum pressius me insistere viderent, quam ut suam causam recta ratione tueri possent, ad hunc configere locum solitos. Ut nunc temporum foret ratio: nondum a rescindendis gravioribus vereque seriis malis tantum esse otii nobis, ut de frivilis istis delictis, et velut minutis naeniis valde sollicitos esse oporteret. Primum hanc decere esse curam, ut vera in hominum animis inseratur ac coalescat pietas, ut mores ad pietatis regulam [pag. 32] exigantur ac formentur: ut denique tota caritate, mansuetudine, patientia, caeterisque spiritus donis vita intingatur. Id ubi consequuti fuerimus, tum fore idoneum tempus ad haec leviora descendendi. Tanta contra perversitate esse hodie quosdam, ut quum una missarum ac caeremoniarum abominatione totam religionis nostrae vim describant, quidvis in homine christiano ferant potius, quam missam unam auditam: eum vero qui a missa strenue abhorruerit, etiam si nulla in reliquis vitae partibus mica pietatis eluceat, solum Christiani nomine dignum et agnoscent, et praedicent. Talibus objectis quid tum responderim, testes illi mihi sunt, quos dico. Verum quonsam nonnullos, ut dixi, fore prospicio, qui nunc quoque non dissimiliter nos accipiant, hac sua ratiocinatione parum se proficere, ut intelligent, facturum me spero. Eos igitur omnes hortor, primum, ut omni contentione posita, secum dispiciant, num pro facili levique delicto sit ducendum, quo Paulus (1 Cor. 10, 20 ss.) Dominum ad pugnam provocari, quo adversus Christum peccari, quo mensae daemoniorum communicari, quo Christi mensam repudiari tradit. Si leves illi, facilique digni venia lapsus: flagitiis ac sceleribus definiendis, quae digna tandem verborum gravitas reperietur? Huc si oblique illas Pauli obiurgationes detorqueraiunt, quo igitur dirigi possunt, non video. Acerbum illum stilum in eos stringebat, qui ad edendas

1) quomodo 1576—1611.

hostiarum reliquias, festis idolorum epulis assidebant. Deum ipsi de conscientiae suae innocentia testabantur: quandoquidem contempta gentium vanitate, nihil aliud quam vescerentur puris Dei creaturis, quas oratione ac gratiarum actione sanctificari in fidelium usum nossent. Excipiebat ille contra, consessum illum infidelium ad simulacri cultum convenire: solenne illud epulum idoli nomine gratiaque institutum. In ea ergo et conventus et epuli celebritate qui sederet, utunque animatus apud se esset, id tamen committere, unde et idololatrarum ludibrio Dei gloria exponeretur, et imbecillae fratrum conscientiae subverterentur: quod et illi consortem ad simulacri sui cultum habere se christianum hominem autumarent, ac gloriarentur: et hi eius exemplo ad idem agendum, quanquam nutante vacillanteque conscientia, audaces fierent. Quid autem isti nostri? Ad missam, quam longo varioque sacrilegiorum apparatu instructam vident, convenient: et convenient cum multitudine, quam perniciosa missae persuasione misere infatuatam norunt. Cuius tamen sic caecitatem superstitionemque [pag. 33] intus miserantur, ut exterius imitentur. Panem quem idolum reliquis esse sciunt, simul cum illis unoque gestu venerantur. An non hic et Christi crucem apud eius inimicos deridiculo prostituunt, et infirmorum fratrum haesitantem simplicitatem exemplo suo ad imitandum concutiunt? Non est igitur cur hinc suae praevicationi molliter blandiantur, adversus quam tanto verborum fulmine exardere apostolum vident. Quid, quod a professis iuratisque Christi et evangelii eius adversariis, hoc veluti pignus abnegandae verae pietatis de se exigi intelligunt? Hic enim illis hodie ad explorandam uniuscuiusque fidem lapis lydius est, curiose observare quis missam audiat, necne: ut in uno missae cultu tacitam nescio quam professionem accipient, qua in universas suas abominationes semel iuretur: unius missae contemptu, corruere easdem et interire existiment. Respondeant nunc mihi bona fide isti missarum alumni, quibuscum mihi quaestio est, dum capitalibus verbi Dei hostibus id concedunt, quod illis abiurandae verae religionis symbolum esse non ignorant: an non hoc, ceu dato pignore, illorum sese exsecrabi religioni obligant ac devincunt? Non enim iam qualis ipsa per se sit missae audientia, considerandum solum dico, sed quantum ponderis cum suis circumstantiis appensa secum ferat. Aestimandum<sup>1)</sup> autem tanti censeo, quantum impiorum improbitati in ea dare volunt. Sit nobis ille in exemplum Eleazarus, de quo Machabaeorum narrat historia:<sup>2)</sup> illa item, quae ibidem refertur, mu-

lier cum septem suis filiis. Omnes quum pauxillum suillae carnis gustando vitam redimere possent, extremos subire cruciatus maluerunt, quam eius saeporem linguae admovere. Quorum omnium si factum per se ipsum spectes, parum aberit quin tibi in oppetenda usque eo temere morte, insanisse videantur: sin causam diligenter expendas, gravissimam fuisse rationem invenies, cur ad saevissima quaeque perferenda supplicia darent potius sese, quam interdicti cibi gustu contaminarent. Fateor in suillae esu nihilo fuisse alioqui plus religionis, quam in manducandis panibus propositionis: quibus tamen urgentem famem depellere Davidi nullo piaculo licuit (1 Sam. 21, 7). Verum quum impius tyrannus, qui non Dei legem modo abolitam sed nomen quoque penitus extinctum cupiebat, illis instaret, ut hoc symbolo ab observatione mosaicae legis deficere se testarentur, reputabant id quod res erat, non in una duntaxat caeremoniola, si obsequerentur, violatum iri a se legem: sed editum iri testimonium, quo [pag. 34] Deum cum universa sua lege abnegarent. Quo factum est, ut quum sancto illi viro ab amicis carnes aliae supponerentur, quas pro suillis ederet, ne ea quidem simulatione elabi sustinuerit, quod videbat eandem semper Dei adversariis blasphemiae tesseram se daturum. Non est, aiebat, aetati nostrae decorum, fingere: quo multi adolescentes Eleazarum nonagenarium, ad vitam alienigenarum transisse arbitrati, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitae tempus decipientur, atque ita maculam et execrationem meae senectuti acquiram. Nam etsi in praesenti tempore hominum suppliciis eripiari, manum tamen omnipotentis nec vivus nec mortuus effugiam. Quapropter vita fortiter excedendo, agam quod aetate mea dignum est: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac constanter pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte perfungar. En profecto, non dicam appositissimum exemplum, sed expressam imaginem quae nobis ad vivum referat, quid sit, ad placandos evangelicae veritatis adversarios, missam audire. Ad haec, utut istud vitii in minimis malis habeant: si tamen et vitium esse, et divinae voluntatis transgressionem fatentur, quod negari non potest, non adeo nihilo aestimare debent, ut nobis prope permissum faciant. Quanquam enim si inter se ipsa conferantur Dei mandata, alterum altero praeponderatur: ubi tamen ab illa collatione discessimus, nihil tanti esse nobis debet, quod non eorum postremo facile cedat. Sic enim ipse quoque magister sua voce docet: Qui unum, inquit (Matth. 5, 19), ex minimis istis mandatis solvit, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Dei. Videmus hac oratione genus illud doctorum directe peti, qui sic inter Dei leges distinguunt, quasdam ut leviores esse doceant, quarum

1) Gallassii editio emendat: Aestimandam, quod recentiores omnes recipiunt. Versio gallica habet: il est à estimer. 2) Iosephus in libello de Machabaeis et 2 Mach. 6. 7.

contemptui facilius sit indulgendum. Nullum fore numero in regno coelorum quum audiunt eum, qui vel<sup>1)</sup> minimum ex Dei praexceptis contemptibile sua facilitate fecerit, qua confidentia dictitare adhuc audent, omittendam in praesens eius mentionem, in quo vulgo ab omnibus fere delinquatur? Nimirum haec humani iudicii est pravitas, quale ipsum sit quod iubetur, opinione sua, non Dei voluntate expendere: deinde in solum praexceptum intueri: non advertere interim (quod maxime referebat) Deum esse legislatorem, cuius maiestas levibus etiam illis, si ita volunt, transgressiunculis minuatur. At vero Dominus, ut huic pravitati obviaret, doceretque quam nulla legis suae particula elevanda esset a nobis, volumen maledictionis in universam faciem terrae egressum prophetae (Zach. 5, 3) in visione ostendit, quo [pag. 35] furtum omne et omne perjurium pariter condemnaretur. In eandem quoque sententiam ab Iacobo (2, 11) dictum est: Qui vetuit occidere, vetuit et adulterari, et furari, et aliena concupiscere. Quare, qui totam legem servaverit, si offendat in uno, factus est omnium reus. Sic sic instituendi erant homines, nullum esse in Dei praexceptis, quantumvis exigua de re praecipere videatur, quod non plus quam sacrosanctum nobis esse debeat. Nam dum ita vel minimae rei (cuius tamen observationem lege sua mandaverit Dominus) negligentia in hominum animos insumatur:<sup>2)</sup> irrepit paulatim et subsequitur legis universae ac iustitiae contemptus. Insulsos illos, quos aiunt, religionis descriptores, si qui tamen sunt, qui totam ipsam intra unam missae abominationem limitant, adeo tueri mihi in animo non est, ut etiam eorum errori fortiter resistendum censem, nec pro fidelibus agnoscendos ducam, a quibus maxima ex parte pietatis vis sic enervetur. Neque tamen si praepostere agunt, dum totam religionem minima eius portiuncula terminant, idcirco non et illa, quantulacunque est portio, inter eius partes continetur. At isti dum tantopere missam detestari non oportere ex eo colligunt, quod quidam nihil aliud esse pietatem falso autumant, quam eius detestacionem: perinde faciunt, ac si quis furtum et homicidium contemnenda dicat, quod qui in ipsa acerrime hodie vindicant, adulteris, periuriis, blasphemis ignoscunt. Non sic Dominus noster. Nam quum Pharisaeorum et scribarum hypocrisin castigaret, qui sic minutissima quaeque legis puncta consecabantur, ut summa interim capita praeterirent, iudicium, misericordiam, et veritatem: non docuit, illis

omissis, haec facienda: sed haec fieri oportuisse, illa vero non omitti (Luc. 11, 42). Itaque bonis quidem istis viris hoc non adimo, quin eorum inconsiderantiam iure reprehendant, qui ad caetera vitia conniventes, et plura numero, et pondere graviora, unam missae detestationem pedibus ac manibus urgent: verum si praestare volunt quod par est, non modo ut eorum errorem iure reprehendere, sed in melius etiam corriger existimentur: non id tollant, in quo illi nimium haerent (quando sine pietatis iactura tolli nequit), sed dum non esse negligendum concedunt, alia quoque esse non minus curanda commonefaciant. Vides profecto, mi frater, quam late totus hic locus patebat, si in eum oratione excurrere voluissem: sed quoniam me agere cum illis hominibus confido, qui veritati, simul atque ipsam agnoverint, manus sint daturi: mihi nihil maiori studio fuit, quam illam ipsam veritatem, qua summa poteram brevitate, indicare.

[pag. 36] Evidem neque etiam me praeterit, quas praeterea sibi ad palpandam carnis suae mollitatem, aliis ad ignaviam animi sui obtegendam, delicias facere soleant: se nihil sibi permittere aiunt, nisi quod Naaman illi, militiae regis Syriae praefecto, a propheta Domini Eliseo concessum fuerit (2 Reg. 5, 18). Nam ille ab idolorum vanitate ad unius Dei religionem conversus, confessusque nullum esse in universa terra Deum, nisi Deum Israel, quum tamen rem unam sibi a Domino ignosci petisset, si cum rege suo in templum Remon ingressus illic adoraret, cum pace ab Eliseo dimissus est. Si illi, inquiunt, in idoli templo non fuit nefas adorare, cur nobis non liceat Deum in iis templis adorare, quae eius nomini sunt dedicata, etiam si agere aliud videamur? Utinam in cognoscenda officii sui rectitudine tam essent acuti et perspicaces, quam ad exquirenda subterfugia ingeniosos se esse produnt. Viam potius eam sequentur, ad quam tot Dei vocibus diserte vocari se audiunt: quam in semitam declinarent neque satis cognitam, et unius duntaxat hominis pedibus pressam. Nam quum caeteris quidem in rebus omnibus, singularibus hominum exemplis insistere, si quid peculiari Dei permisso egisse leguntur, non satis tutum est: tum vero in fidei confessione id in primis periculosum, cuius sibi legem unusquisque pro cognitionis, qua praeditus est, modo statuere debet. Ac id sane ipsi viderint. Ego tamen nisi in Naaman exemplo dissimilia eorum factis esse omnia ostendero, quin illis suffragetur, non resistam. Sin contra planum fecero, totum id cuius Naaman insimulant, ab eo longissime abfuisse, alieno falsoque praetextu velim ut se excusare desistant. Quod ipse ante pollicitus erat, quam illa depreciatione uteretur, se nullis posthac diis sacra facturum, nisi uni Deo Israel: sub ea pollicitatione publicam fuisse testificationem comprehensam dico, qua et regem, et gentem

1) Sic 1550 et seqq. omnes. Princeps habebat: vel qui.

2) Sic 1537 et 1550. Gallice vertitur: quand une nonchalance .... sera survenue és cœurs. Gallastii quoque exemplar (1552) quo nos usi sumus, exhibet quidem insumatur, verum iam hic lector aliquis calamo correxit: insinuat, et sic recentiores omnes legunt.

Syriae universam, religionis suae conscientiam faceret. An vero quum potentissimus dynastes (quem quotidianis ~~sacrificiis deo~~<sup>deorum</sup> suis placare oportebat, si aliqua eorum religione teneretur, et solitum antea fuisse verisimile est) ne exiguo quidem thure in tota vita litaret, ignoraret, imo dubitaret quisquam, deos illos abnegasse, quos honore nullo dignaretur? Quid ergo postea deprecatur, sibi ut in idoli templo adorare liceat? Simulandae superstitionis causa si id postulasse probarent et a propheta obtinuisse, verbum non adderem: sed si rem longe secus habere ipsa sacrae historiae verba clamant, facile haec iam solvitur difficultas: praesertim [pag. 37] ubi constat, sic publicata eius religione, qualiter evulgaturum se promittebat, nullum superfusse dubitationi locum, quin idola omnia plane et contemneret et exsecrationi haberet. Hacc autem est postulati forma: Si templum Remon ingrediatur forte rex meus, et mihi innixus adoraverit, ego quoque si simul in templo Remon adoraverim, hanc rem ne imputet Dominus servo suo. Illud de rege in illum innitente tam aperte, tamque notabiliter dictum si vel non obseruant, vel abs re positum putant, valde sunt hebetes. Nam inde citra controversiam colligitur, non aliam sibi concedi adorationem petiisse, quam qua se ad regis inclinationem, quem fulciebat ipse et sustentabat, accommodaret. Id autem erat, non idoli cultum fingere, sed sua regi officia obsequiaque reddere. Nunc si Naaman imitari volunt, ne sint illi in eo dissimiles, in quo solo a me reprehenduntur. Id sibi habeant cum illo commune, quo solo consequentus est ille, reprehensione ut suum factum careret: nempe omni se idolatriae suspicione prius liberent, quamque toto animo ab illis superstitionibus abhorreant, quarum incidere posset dubitatio, testatum omnium hominum conscientiis faciant. Id ubi praestiterint, tum demum videbo, simne illis concessurus, ut civilis officii causa, sive in cognitorum honestandis funeribus, sive nuptiis celebrandis, ad missas, aliaque eiusmodi profana sacra interdum accedant. Iam et ex eo quod in epistola illa legitur, quae sub Ieremiae titulo fertur, ad populum Babylone exsulantem, nonnullam sibi defensionem quaerunt. Nam quemadmodum illic captivo populo suadebat propheta, vel quisquis fuit epistolae autor, ut quoties in humeris circumferri aureos et argenteos deos videret, turbamque undequaque obstupescensem, ne ipse eodem afficeretur stupore, sed adorans in corde suo diceret: Te oportet adorari, Domine (Bar. 6, 3), ita se aiunt, dum inter saeculi huius sacrilegia versantur, cordibus tamen ad Dominum sublatis cogitare illum esse, quem oporteat adorari. Quasi vero ad interiorum cordis adoracionem dum illos vocaret propheta, simul adnueret nihil periculi fore, si vultu ad simulacrorum cultum composito, Babyloniis interim gratificantur. At vero

quum nemo non videat, eo duntaxat spectasse ipsum, ut quando minime licebat Israelitis publicam gentis, sub cuius imperio ac iugo degerent, superstitionem cohibere, suae tamen religionis integritatem sibi privatim in animis suis retinerent: non est quod idolatriae suae patronum boni isti viri eum idcirco advocent. [pag. 38] Quod si ad hanc ipsam prophetae trutinam recte expendere sua facta in animum inducant, suo semet gladio iugulari facile perspicient. Qualis enim hic quaeso fuerit, imo quis esse omnino poterit, qui conscientia intus Deo canente, ipsum esse unum quem deceat adorari, vulnus externumque corporis gestum componere ad idoli adorationem sustineat? Ipsos proinde interrogabo, qua conscientia eodem temporis momento, quo Deum solum qui adoretur dignum esse apud se recognoscunt, idola venerari se palam apud homines simulant? Quid enim arcana ista confessione proficiunt, nisi quod externam illam suam idolatriam coram Dei tribunali proprio animi testimonio accusant? Quare, quod in eiusmodi simulandi improbitate prophetae consilio se obtemperare iactant,<sup>1)</sup> frustra id mentiuntur. Neque enim ab illis quidquam plus ipse exigo, quam quod ille (quisquis est scriptor) suis popularibus imperabat:<sup>2)</sup> nempe ut publice sacrum Dei nomen profanari dum aspiciunt, tacitis animi votis ipsum apud se sanctificant: tantum ne externis significationibus, eius se profanationis consortes esse tententur. Ad haec, siquid ea simulatione peccant, exemplo Pauli se peccare, ostendere conantur, qui non valde dissimili fictione usus fuerit, quum ad recolligendam gentis suae gratiam, votum, cuius caeremoniam cum caeteris legis umbris abrogatam esse neverat, nuncupavit, atque ad id persolvendum detonsus, et ex legis praescripto purificatus in templo se stitit, spectandumque omnibus exhibuit (Act. 21, 26). Non hic dicam, quod vel eorum nonnullis arrisurum esse certo scio, nos perperam agere, si eam Pauli astutiam, ad imitandum nobis proponamus, quam infelici successu castigatam minime sibi placere Dominus declaravit: quandoquidem rationem esse nullam video, cur hoc Pauli facinus pravae versutiae insimulemus. Sed eos toto coelo hic quoque errare dico, qui innoxiam, nullaque impura superstitione aspersam Pauli detensionem cum sacrilegis ritibus comparandam putent. Nam ut demus, Nazaraeorum purificacionem et oblationem id fuisse caeremoniae genus, quod prodeunte Christo una cum reliquis mosaicae legis figuris evanescere debuerit: quia tamen nullum alium in finem institutum erat, quam ad referendam Domino gratiarum actionem, ac sacrificium laudis offerendum, ex eorum utique numero fuit, in quibus

1) *Edd. rec. 1576 seqq.: iactent.* 2) *Eadem habent: imperat.*

apostolo ad tempus licuit, Iudeis se Iudeum præbere, quo Iudacos lucrifaceret. Eadem si foret missarii sacrificii ratio, quæ fuit eius oblationis: si idem [pag. 39] ipsis consilium esset, quod apostolo fuisse constat, ego sane et tam benignam adversus infirmos fratres mansuetudinem exoscularer, et eos exhortarer ad pergendum. Verum quantum insit in missa flagitiis, planum a me factum esse confido. Quid animi habeant, ipsi sibi locupletissimi sunt coram Deo testes. Quod vero illis postremum suffugium est, quam vanum sit ac frivolum cavillum, satis fuerit uno verbo indicare. Plurimos esse bonos viros Deique timentes, obiiciunt, qui nulla veri cognitione adhuc imbuti, missam habeant sacrosanctam: esse quoque in fratribus non pessime aliqui verbo Dei eductos, quibus nondum tamen persuasum sit, quanta sit execratione referta. Eius itaque contemptum si coram ipsis præ se ferant, maximas utrinque offendiones imminere causantur, quibus occurrente, christianaæ sit modestiae ac mansuetudinis. Bene istud quidem et prudenter, si esset hoc scandalis obviam ire, sic cavere ne in te incurvant hominum offendiones, ut simul eorum pedibus scandala instruas, quibus in Christum ipsum impingant. Et quid aliud agunt, dum operam dant, ne missae contemptu vel prorsus indocitos, vel nondum plane confirmatos offendant? Nam illorum quidem offendionem a se amoluntur: sed ad Deum offendendum exemplo suo eos illectant. At non ita nos instituit Dominus, qui vult profecto nos omnibus placere, non tamen nisi in bonum: qui praecipit, ut infirmis nos accommodemus, at in aedificationem (Rom. 15, 1. 2): quam minime omnium sectantur, qui eorum simplicitatem perniciosissimo errore, quo illaqueatam ipsam vident, fortius adhuc constringunt. Hinc porro accedit, ut dum omnes scandali conscientia deterri se fingunt, re vera hominum adversum se indignationem reformidant, nemo sincera integraque puritate præire unquam aliis incipiat. Quid enim causae esse putemus, quod e tanta multitudine nemo in hac parte expurgiscitur, nisi quia, dum ita alter alterum intuetur, ad Deum oculos nemo dirigit? ac dum unusquisque quid alii præstent expendit, iusta regula, hoc est, Dei verbo, modum officii nemo metitur? Et quum in hunc modum ipsis sibi mutuo laqueos nectant, scandalorum mentionem facere audent: quao aut nulla, aut quam minima essent, nisi in plana expeditaque via ab ipsis obiicerentur.

Nunc ut ad te, suavissime frater, sese oratio nostra referat: quanquam certe ipse per te iam intelligis quid consilii tibi restet, ubi perspectum habes, quo te ducat verbi Dei linea (ad quam deliberationes omnes tuas [pag. 40] conformari limitarique decet) ne qua tamen in parte tantis desim tuis angustiis, quam a me tibi perscribi officii formulam literæ tuæ flagitant, eam quam potero brevissime

tibi expediam. Adsit<sup>1)</sup> modo vicissim tum accincta propensaque ad auscultandam Domini vocem obedientia, tum ad exsequenda eius imperia constanti intrepidaque animi destinatione: ac denique, id quod est, memineris, non tam ab homine tibi dari consilium, quam e sacro aeterni Dei ore acceptum oraculum per hominem pronunciari. Hoc ergo in primis tibi in universum interdictum arbitrare, ne te quisquam aut missae sacrilegio communicantem, aut coram simulacro caput detegentem conspiciat, aut ullam omnino superstitionem suscipientem, ex earum genere, quibus obscurari Dei gloriam, quibus eius religionem profanari, quibus eius veritatem corrupti, supra docuimus. Quas usurpare non potes, quin et impiis confessionem edas, in Deum penitus contumeliosam: et imbecillos fratres in existialem ruinam exemplo tuo trahas. Sic autem dum te geris (siquidem ad manifestorem confessionem progreedi animus non est) prospiciendum<sup>2)</sup> simul est tibi, quantum in te situm fuerit, ne miseri illi ac caeci idololatrae (quibus sublata sua superstitione Deus ipse cum tota sua religione collapsus videtur) dum tibi sua idola contemptui deridiculoque esse observarint, Dei quoque contemptorem te ac derisorem esse opinentur. Quod aliqua ex parte assequeris, si et rarus ir eorum sacris compareas, et totam vitae tuae rationem sic instituas, ut religiosum illis quiddam spiret. Age igitur, optime vir, tale in tuis moribus eluceat pietatis, bonitatis, continentiae, caritatis, castitatis, innocentiae studium, quod omni te impietatis suspicione in omnium hominum conspectu præclare purget: ut etiam si superstitioni non esse te sui similem indigne accipiant, servum tamen Dei, velint nolint, agnoscerē cogantur. Deinde, nisi ad exponendam cuivis fidei tuae rationem te comparas, eorum morositati eatenus indulgeas, ne quo tempore sacra sua peragunt, in ipsa media tete inferas, contemptum sine causa ostentaturus, quem ab ipsis (qua sunt ignorantia) pro mera in Deum impietate acceptum iri scias. Et quid inde lucri vel tibi, vel aliis redeat, si atheon te esse suspicentur, quem nulla tangi religione existiment? Verum, ut illam suspicionis causam ne ultro dataque opera præbeas consulo, ita si forte fortuna illuc incideris, satius multo fuerit, quidvis de te suspicentur, quam idololatram conspiciant. [pag. 41] Quod si dignam christiano homine sanctitatem mores tui habuerint, tum ad refutandas eorum sinistras obtrectationes, in illa vitae integritate præsidii satis habebis. Iam et familiae instituendae curam in primis cave praetermittas: cui non ideo solum te esse præfectum cogitare debes, ut obsequia tibi sua operasque reddat, sed ut reli-

1) Adsit, 1576 seqq. 2) Sic sola princeps. Caeterae omnes: persciendum. Quid translator legerit, dubium: il vous faudra considerer et regarder.

giose abs te in timore Domini educetur, optimaque disciplina imbuatur. Nam si verum est quod ab Aristotele dicitur, suam unicuique domum quandam esse parvuli regni effigiem, in qua paterfamilias ipse instar reguli leges ferat, quibus plebeculam suam ad omnem iustitiam innocentiamque instruat: ne hominum quidem iudicio excusandus est ille, qui regendae familiae securus, modo ipsam erga se satis sedulam ac officiosam semper habeat, in Deum et homines flagitosam esse sinit. At tibi altius etiam cogitatione assurgendum est: nempe custodiae fideique tuae commissos a Domino eos, quibus te dominum destinari: a Domino, inquam, tibi assignati sunt, qui tibi subsunt servi, quos ipsi primum, deinde et sub ipso tibi obedire servireque doceas atque assuefacias. Quare non sine causa tam gravis censura notavit eos apostolus, qui administrandae familiae sollicitudinem abiiceret, ut eos assereret fidem abnegasse, et esse infidelibus deterioriores (1 Tim. 5, 8). Quid enim aliud, quam provinciam sibi a Deo traditam deserunt et abiurant, vocationemque eius renunciant? At pessimo sunt ingenio famulorum plerique, et in quibus verum fere vetus illud de servis proverbium experimur: Tot esse domi nobis hostes, quot sint servi. Sic quidem vulgo et existimat et iactatur: sed non ita est. Non enim eos habemus hostes, sed vitio nostro nobis facimus, dum eos instar brutarum animantium sine doctrina, sine Dei cognitione, sine pietatis institutione alimus: ac conservos esse nostros obliviscimur, quorum regimen nobis fuerit a coelesti Domino commendatum. An vero scriptura Christiani elogium homini nemini deferet, ut non simul adiiciat ipsum credisse, et domum eius totam: nos autem de Christi fide gloriabimur, eius abnegationem intra domus nostrae parietes, in servis nostris foventes? Quare, si in homine frugi istud apprime requiritur, ut recte et ordine familiam administret, christiani autem hominis familia tum rite demum composita censeri debet, si cuiusdam veluti ecclesiola species in ea spectatur: danda omnino tibi opera est, ne tuam pietatis rudem atque ignorantem relinquas. Neque est quod te vulgares [pag. 42] illi scrupuli morentur. Egone vitae meae arbitrium famulo permittam? Ego, ad me iugulandum, exsurgentem ensem in manum praebeo? Primum, fac tales in familiam tuam allegas, quorum indoles ac nativum ingenium boni nonnihil pollicetur: eos nactus Dei doctrina excolere aude, verbique eius semine conserere. Providebit ipse caetera, datoque successu efficiet, ne te mandatis suis obsequutum fuisse unquam poeniteat. Et sane nisi tibi sponte imponis, dispicere tecum potes, quanto maiore tum molestia, tum periculo habiturus sis perpetuo in ipsis domus tuae penetralibus, quos appositos tibi custodes ducas, a quorum insidiis tibi semper metuas, quorum timore angulum nullum habeas,

in quo hiscere audeas, nisi bis ante circumspectes, an te observent: quam semel eorum fidem vel periculose tentare. Sic verbi sui contemptum saepe ulciscitur Dominus. In connubio contrahendo (quando eam tibi libertatem integrum hactenus esse Dominus voluit) vide quos tibi laqueos induas, si uxorem accipis religione tecum dissidentem. Quanquam quid te considerare iubeo labyrinthos illos, quos animo complecti nemo queat, nisi qui iam malo suo expertus fuerit? Utinam timeas potius et caveas, quam aliquando velis experiri. Vestrar illas tricas novi: Ita nunc adversatur, ut paulatim manum daturam confidam.<sup>1)</sup> Noli hoc de te frustra polliceri, sed de Domino: cuius donum est singulare, uxor bona (Prov. 19, 14). Bonam autem ab eo exspectare qui ausis, quem non audis severe interdicentem, ne iugum ducas cum infidelibus (2 Cor. 6, 14)? Habes a me quod postulabas, vel potius per manum meam a Domino, consilium: periculoso quidem illud carnituae, et parum blandum, sed animae tuae fidele et salubre, addo et tibi prorsus necessarium, nisi Domini iugum a cervicibus tuis excutere, eiusque religionem abiurare voles.

Tuum nunc est, ad reddendam Domino, quam abs te poscit, laudis confessionem, temet exhortari, tibi instare, te urgere et excitare, animumque colligere: quo labascere servum Dei, in tanto praesertim religionis cardine, perquam absurdum indignumque est. Nam quod tibi supra confirmavi, id ut subinde memoria repetas, tibique assidue subiicias, nunc etiam te coram Deo et sanctis ipsius angelis obtestor: non hic leviore de causa controversiam agitari, quam quomodo Christum in hominum conspectu non abnegemus: ne ab ipso nos rursum (quod per apostolum suum minatur) quum sumnum illud tribunal ad iudicandum concenderit, abnegemur (2 Tim. 2, 12). [pag. 43] Ac ne singulare nescio quid tibi imperari credas, quod praestare non sit cuiuslibet, in promptu est, quo eiusmodi errori occurram. Siquidem pietatem tuam non peto ut propalam profitearis: solum ne impietatis professione ipsam abnegeas, abs te contendo. Quid enim aliud, vel tota disputatione spectavi, vel nunc obtinere volo, quam ne horrendis sacrilegiis sanctam Dei religionem contamines? ne corpus tuum, quod sibi in templum dedicavit, foedis abominationibus profanes? ne in execrabilis blasphemias tuum nomen inscribas? Et istaec scilicet omnia tanti esse aegre persuademur, quacum aliquo vitae periculo, aut etiam, si opus sit, fuso sanguine fugiamus? Imo vero brevem miserae huius vitae usuram nimio aestimamus, si tanti

1) L'entens bien ce qu'on a accoustumé de dire des femmes rebelles: Elle n'est tellement contraire, que l'espere que je l'auray tantost gaignée. *Sic optime interpretatur Gallus.*

eam ducimus, quae talis impietatis mercede constare debeat: mortemque nimium perhorrescimus, si gravius in ea ~~quidam~~<sup>les</sup> putamus, quam in hominum venia, quae nos coram Deo faciat sacrilegos, apostatas, perfidos, proditores: si a Christo audire malumus, indignos esse nos qui eius discipuli censemur, quam ab hominibus, nos esse dignos qui moriamur: si denique eius timore spem aeternae vitae resignamus. O inanes gloriolae nostrae flatus, sive fidem in Christum iactamus, sive quo alio titulo nos venditamus! An vero poetam illum, qui mortem terribile ducebat esse exitium, in aliena quidem persona, sed ex sua sententia exclamare patiamur: Usque adeone mori miserum est? Nos autem verbo Dei edocti, nihil aliud, quam per momentaneum doloris sensum, in vitam immortalem ac beatam quietem ingressum ipsam esse, contra reclamabimus, miserum esse mori? O nos septies miseros, quos cunctis mortalibus calamitosiores, testatur Paulus (1 Cor. 15, 19), si praesentis duntaxat vitae fiducia nitamur! In alto, inquietes, pinguique otio viriles istos igniculos iacere facile tibi est: non

secus ac de bello in umbra philosophari: at si in rem praesentem ventum fuerit, aliter sentias. Equidem quanquam longe meliora de eius bonitate mihi polliceor, cuius virtute omnia possumus, nec dubito, quocunque me tandem certaminis discrimine implicari permiserit, quin eundem, quem dedit animum, ad extremum usque spiritum sit confirmaturus: nolo tamen in me oculos coniicias. Non enim ea tibi solum propono, quae in umbratili mea quiete mecum sim meditatus: sed quae sibi semper in mediis crucibus, ignibus, ferarum lanienis, subiecerunt invicti Dei martyres. Quorum recordatione nisi sese acuisent, aeternam Dei veritatem, [pag. 44] quam suo sanguine fortiter obsignarunt, perfide, dicto citius abnegassent. Atqui non ideo illi in asserenda veritate constantiae exemplo nobis praeierunt, eam ut nunc deseramus, quam sic testatam consignatamque nobis tradiderunt: sed artem docuerunt, qua Domini praesidiis freti, inexpugnabiles contra totam mortis, inferni, mundi, Satanae aciem consistamus. Vale.<sup>1)</sup>

1) Vale, deest in ed. principe.

1 Petri 2:

Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes enarretis illius, qui vos vocavit in admirabilem lucem suam.

## EPISTOLA SECUNDA.

### DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO IN SACERDOTIIS PAPALIS ECCLESIAE VEL ADMISTRANDIS VEL ABIICIENDIS.

Ioannes Calvinus veteri amico, nunc Praesuli, N. Salutem.

Quum haec scribere instituerem, subveritus sum primo, ne ineptire tibi atque adeo insanire quodammodo viderer, quod inter tot gratulantium voces, unus tibi mea morositate obstrepam: quin et ipsum id in te deplorem, quod alii tibi omnes tantopere gratulantur. Neque enim dubium esse potest, quin ea in gente, quae praecipuum ac prope unicam hominum dignitatem in facultatum amplitudine fortunaeque splendore reponit, amplissimi huius sacerdotii, quo te nuper auctum intellexi, accessio plurimum tibi et gratiae et ornamenti attulerit: ut sine controversia vere beatus ac fortunatus communi omnium suffragio et videaris et praediceris. Amicos vero fere omnes videre mihi iam videor, quo suam in te benevolentiam testentur, ingentem animi laetitiam certatim pro se quemque, aut literis, aut praesenti voce declarantes. Quibus blandimentis te non aliquantum demulceri, quam sit difficile, intello: quando et ad delicias eiusmodi omnes minime natura corneae sunt hominum aures: et tales sunt istae, quibus nunc tentaris, ut severiores quoque aures nonnihil delinire queant. Siquidem ut permultos esse concedamus, vita procul omni ambitione composita, aurae popularis minime appetentes: paucissimos tamen reperias, vel eorum qui habentur alioqui moderatissimi, qui si totius theatri plausu accipientur, animis auribusque offfirmatis, nihil moveantur. Atqui ubi te vel tantillum palpandum populi blanditiis titillandumque dederis, te, nec sentientem, non dico in cupiditates nunquam antea cogitatas, sed in ipsius tui oblivionem prorsus abripiant. Id spectaculi quum animo meo proponerem, non modo, quod iam nuper sum confessus, subdu-

bitavi quam in partem esses accepturus obstreperas istas meas voces: sed substiti etiam [pag. 46] paulum in ipsa scribendi cogitatione, et parum abfuit, quin consilium prorsus abiicerem: quod inter suaves illas Sirenum cantiones ullum sanis<sup>1)</sup> consiliis locum fore, confidere vix audebam. Enimvero quum mecum rursum reputarem, quantos in scopolos incautum te paulo post illisurae essent hae ipsae, quae nunc tibi suaviter arrident illecebrae: hoc me amicitiae nostrae veteri, fraternaeque paene coniunctioni putavi debere, ne in exitiale ruinam ferri te sciens acvidens, quum praecipitanti manum dare liceat, dissimulem. Non dissimulabo igitur, et extreum hoc, quod a me deberi existimo necessitudini nostrae, officium persolvam. Cuius si fructus aliquis exstiterit, qualem emergere et vehementer cupio et libenter sperrem, magnam labori meo gratiam ipse retuleris. Sin minus, neque sic tamen operae poenitebit: quae ut tibi sit et aliis quibusdam, vel etiam centum, si libet, ac mille lectoribus infructuosa, nonnullos tamen fore plane confido, qui ad rem usque adeo seriam, animi intentionem proprius admovebunt. Quanquam enim qui ex illo romanae mensae calice semel vel hauserunt vel minimam guttam delibarunt, eos venefica illa potionē ebrios fere omnes videmus: nisi tamen vehementer fallor non sic omnes obstupuerunt, ut non possint unus et alter meis aculeis, quibus hic eorum somnolentia pungetur, excitari. Quamobrem hanc epistolam sic tibi destinavi, ut qui in eadem (ut dicitur) tecum navi vehuntur, omnes sibi scriptam intelligent. Nam neque in uno sacerdotii genere tractando (quod tibi satis erat) eam consumere, sed per universam vestrarum opum col-

1) *Edd. 1552—1611 male: satis. Gallus scribit: saintcs.*

luiem deducere in animo est: et stilum ita studebo temperare, ut non cum uno duntaxat homine, sed toto simul ordine mihi esse negotium appareat. Equidem non sum nescius, quam ardua difficileque in causa verser, dum eos mihi fero iudices, quorum fortunas honoresque omnes in iudicium postulo. Ac quibusdam forte insanus videri possim, qui sola facundia obtainere in animum inducam, ut se unicis vitae praesidiis abdicaro ulti isti velint: quibus aegerrime cedunt, qui vi manuque illis exuuntur. Apud integros sane et incorruptos iudices non ita difficile fuerit palam facere, totam illam romanensis opulentiae congeriem, ab ipsa suprema sede, ad minimam usque capellaniam (ut vocant) ex imposturis, furtis, rapinis, sacrilegiis, pessimisque artibus conflatam esse: et cuius nullam particulam attingere possis, quin multorum scelerum conscientiae obstringas. Nam de eo si quis ambigit, ei facile sua dubitatio, antequam dicendi finem faciamus, eximetur. Eandem vero confessionem ab iis exprimere, quorum ut venter eiusmodi imposturis, rapinis, [pag. 47] furtis, sacrilegiis, pascitur, ita mens animusque corrumptitur, non ita promptum est. Neque enim scite magis quam vere pronunciatum olim hoc a Catone fuit, Ventri nullas esse aures, quibus rationi melioribusque consiliis auscultare queat. Atqui non hic cum uno duntaxat ventre mihi negotium est, sed cum ambitione quoque: cuius affectus ad verum perspiciendum non minus caecus est, quam ad audiendum surdus illius sensus. Est tamen quiddam, quod in tanta etiamnum difficultate spem mihi aliquam faciat, in ipsis vel docendis, vel monendis, vel obsecrandis, non inanem me operam sumpturum. Tametsi enim omnes praestigiis illis fascinati, quibus suos excaecare solet romanus Pluto, quam calamitosas possideant opes, non vident, bona etiam pars malo suo altius indormit, quam ut ullis clamoribus expurgiscatur: non sic tamen omnes (nisi vehementer fallor) ad meliorem doctrinam obscuruerunt, ut non vel dimidiam saltem aurem, e tam numerosa gente pauculi nobis arrigant. Magna sane vis est verbi Domini, potentiorque quam reputare quisquam temere queat, nisi expertus, et quae plurimum valeat in utramque partem: ut quidquid eo attactum fuerit, quamlibet durum sit et saxeum, vel emolliatur protinus, vel conteratur: ut quidquid petitus eius odore fuerit, vel in mortem afficiatur, vel in vitam. Sint igitur innumeri, qui devoto animo in suam ipsorum perniciem ruentes, mea ista exhortatione fidelissimo alioqui mali sui remedio, gravius adhuc exulcerentur: quosdam tamen fore minime dubito, qui obiectum naribus suis vitae odorem magna cum laetitia persentiscant. Quorum in numero ut te, vir mihi amicissime, certissima fiducia ponere ausim, facit quum ingenium illud tuum, et praeclaris naturae dotibus ornatum, et optimis

artibus liberalissime expolitum: tum vero reliquiae, quas in te semper residere confido, pristinae tuae pietatis: quam et ingenti cum fructu, nec sine admiratione olim mihi spectatam, vere assevero. Tentemus igitur quantum apud te, aliosque nondum deploratae caecitatis homines, possit Dei veritas: hoc prius a Domino ipso comprecati, ut te pariter ac eos castigatione sua corrigeremalit quam frangere.

Felicem te omnes, fortunaeque alumnum praedicant, ob novum istum episcopatus honorem: qui praeter insigne illud praesulis nomen ac decus, cuius maiestati passim assurgitur, cuius<sup>1)</sup> gratia illustres conciliantur amicitiae, cuius autoritate plurimae clientelae comparantur, magnarum quoque opum ingentem proventum tibi sit allaturus: unde non<sup>2)</sup> privatos modo vitae sumptus sustinere, sed multorum etiam sublevare egestatem, beneficentiamque in commune exercere liceat: atque, ut nimium in hanc [pag. 48] partem fere creduli sumus, tibi forte persuadent. Ego vero dum reputo quale sit illud totum quod vulgi opinione tanti aestimatur, calamitatem ex animo tuam miseror: eoque magis, quod sub felicitatis specie sic fallit, ne miserum te esse cernas. Ille enim ordinis vestri splendor, illa maiestate plena veneratio, opulentia illa, domesticus nitor, amplum famulitum, quando quidem ab hominibus proficiscuntur, quale sit vestratis populi de ipso iudicium, ostendunt: at sane Dei iudicium, a quo episcopatus<sup>3)</sup> ipse profectus est et institutus, primo loco requirendum erat. Quare, ubi illa omnia audies quae solent ad tibi gratulandum commemorari, popularis illud trutinae examen esse memineris: in quo ea saepius praeponderant, quae in Dei trutina nec appenduntur: in aestimando autem episcopi munere, populo neque recte, neque tuto credi: iudicium unius Dei esse audiendum, cuius et autoritate constitutum est illud, et legibus definitum. Atque adeo si animum serio ad Dominum adverte libet, diffluent inanes illi omnes fumi, tibique penitus evanescant oportet: qui si qua in parte haerent tuae cogitationis, oculos non impedit modo, sed oblimabunt, quominus spectare ad liquidum queant illam, quam Dominus proponet veritatem. Nihil aequius cogitari potest hoc meo postulato. Verum ad tantam aequitatem adeo nulli sunt attenti, ut neque primo, neque secundo, nec postremo quidem loco, quam a Domino provinciam acceperint, cogitent. In mitra partim, et lituo, et pallio, et annulo, reliquaque eiusmodi supellectile defixa sunt omnium mentes: partim vero, et quidem altius, in illis facultibus, quibus et domesticus splendor, et populosa

1) *Edd. 1576—1611 habent: cum.* 2) *Eadem legunt: nos.*

3) *Sic sola princeps. Caeterae omnes habent: epis- copus (les Evesques G.).*

familia, et mensae elegantia, et omne deliciarum magnificentiaeque genus continetur. At enim universam istarum ineptiarum vanitatem tantisper ex animi intuitu semove, dum veram munera tui rationem mecum e verbo Dei recognoscas. Episcopus creatus es. Instat tibi mox sua exhortatione apostolus Paulus: prospiciendum esse tibi, quod accepperis in Domino ministerium, ut illud impleas (Col. 4, 17). Ministerii nomen quum audis, et constitutum te aliis debitorem, neque tuo te commodo, sed in rem usumque aliorum episcopum esse succurrit. Ministerium autem ipsum quale sit, ut non sine causa videre iubet, ita diligenter in hanc curam est incumbendum. Nam neque pascendae Christi ecclesiae praefectum esse, res est vulgaris momenti: nec levis operae negotium, functionem ipsam fideliter exercere: neque mala fide administrare, [pag. 49] mediocre, facilisque veniae delictum. Quos ecclesiae suae pastores Dominus praeficit, - eos se in populi sui tutelam et custodes apponere, et speculatores collocare testatur (Is. 62, 6; Iezech. 3, 17). Tantum ponderis vel his duobus verbis subest, quantum ad erigendas omnium mentes satis esse debeat, ne tanta in procuratione vel contemptu, vel securitate, vel ignavia, vel negligentia torpescant. Non hic ago de ordinis dignitate: operis etiam molem nondum attingo: sed de ipsa duntaxat rei magnitudine loquor, ne exigua contemptibilique in provincia versari se putent, quibus est id munera a Domino demandatum. Sunt igitur, quicunque regendis ecclesiis praesunt, custodes populo Dei constituti, qui eius curam et habeant et gerant: sunt et speculatores, qui in eius salutem invigilent: praeclera omnino administratio, dignissimaque (si qua alia sub coelo digna est) in qua nervi omnes contendantur, tota ingenii vis explicetur, omnes denique et animae et corporis partes desudent. Simul enim et oeconomi intelliguntur in Domini familia constituti, et in moderando eius regno quidam veluti procuratores. Qualis vero oeconomiae species? Non ad tenue sane sordidumque aliquod ministerium, sed ad dispensanda coelestis sapientiae mysteria (1 Cor. 4, 1), adeoque ad ipsam Dei domum exaedificandam et constituendam (1 Cor. 3, 10) destinantur. Qualis regni procuratio? Non ea certe quae exigua aliqua in parte aut leviculis functionibus, sed quae in exseenda excercendaque ad fideliuum salutem Domini potentia versetur. Quare et sal terrae, et lux mundi (Matth. 5, 13), et angeli Dei (Mal. 2, 7), et ipsius Domini cooperarii (1 Cor. 3, 9) vocantur, quicunque docendi personam in ecclesia Domini sustinent: ipsa autem praedicatio, et virtus Dei in salutem omni credenti (Rom. 1, 16), et regnum Dei (Matth. 4, 17) nuncupatur. Haec ergo provinciae magnitudo, si oscitantiam omnem excutere tibi debet, ubi ad ipsam operis molem animum converteris, enarrari

non potest, quanto studio excitari te inflammarique oporteat, ne quid in obeundis eius munis diligentiae reliquum facias. Non enim ea est, quae aut torpore hominem ac desidere sinat, cuius humeris incubuerit, aut levi perfectoriaque opera contenta sit. In praefecturis quidem et satrapis, quibus familiares suos reges honorant, otiosam saepius dignitatem spectare licet: at quos Dominus ad regendam ecclesiam suam vocat, iis administrationem demandat, negotii, curae, sollicitudinis plenam: nisi vero ideo facilem esse iudicamus, quia paucissimis verbis apud prophetam perstringitur: ubi Dominus iubet accipi ab ore suo verbum, [pag. 50] et ex se populo adnunciari. Sed huic paucorum verborum imperio quantum subsit ponderis, Dominus noster indicavit, eos demum familiae suae oeconomos officio suo respondere testatus (Luc. 12, 42), qui in reddenda procurationis ratione, duas non vulgares virtutes, fidem ac diligentiam approbare possint.

Enimvero hic plerosque videmus hallucinari, qui dum adnunciandi verbi munus sibi demandatum audiunt, praecclare se defunctos putant, si qualemcumque populo verbi gustum praebuerint: minime autem animadvertisunt, aut quale adnunciari verbum velit Dominus, aut quam adnunciandi rationem statuat. Atqui non exiguum quiddam ab ecclesiae suae ministris requirit Dominus, quum eos dicit (Is. 62, 6) se posuisse custodes, qui nec die nec nocte quiescant, quin perpetuo excubent ad eam protegendarum. Deinde quales ipsos agere excubias velit, per alterum quoque prophetam (Ez. 33, 7) declarat: nempe, ut populo quietem agente ipsi quasi e specula eminus circumspiciant, ne qua improvisa calamitas incautos opprimat: sed quae impendere pericula viderint, longe ante denunciant, ut sit eorum providentia non secus ac omnes ecclesiae oculi: eorum vox, non aliter atque clangor tubae, in cuius signum intenta sit civitas universa. Quanquam ne his quidem adhuc finibus tota episcopi functio continetur, sed omnes eius partes semel complexus est Dominus, ubi pascendi verbo designavit, quum Petrum pascendis suis ovibus praeficeret (Ioann. 21, 15). Nam ut Platonem et Homerum omittamus (qui plurimas regis dotes melius exprimere non possunt, quam dum ποιμένα λαῶν vocant) sacrae literae, dum omnem pietatis, amoris, suavitatis, sollicitudinis affectum complecti volunt, pastoris nomine haec omnia simul enunciant: plus utique aliquid significantes, quam si vel patrem, vel praesidem, vel ducem, vel custodem dicarent. Si quidem pastor et deducendi, et regendi, et servandi non solum curam gerit, sed quodammodo etiam pater est. Neque temere reperiri possit in patris visceribus tantus amoris ardor, quantum Dominus noster pastori tribuit, quum bonum pastorem dicit animam pro ovibus suis ponere (Ioann. 10, 11). Itaque ipse quoque cuius sanguine pascimur, pastoris titulo a pro-

phetis praesignatus est, et se quoque praesens hoc nomine appellavit. Atque ut clarius perspicias, quibus iam limitibus describatur episcopi officium, dum pastoratio muneri comparatur, quibus in rebus vigilantia sedulitasque pastoris sita sit, tecum ipse considera. [pag. 51] Ut enim huius integratatem nemo laudaverit, nisi qui sufficiendis gregi pascuis inten-tissimam curam impendat, nec minus interim de ar-cendis ab eo depellendisque omnibus et iniuriis et insidiis sit sollicitus, postremo vocando ac deducendo viam semper ipsi demonstret, quam sequatur: ita nec episcopum suo munere rite defungi putes, nisi qui tribus istis sedulo totoque studio advigilarit: ecclesiam ut et verbi pabulo nutriat, et verbi praesi-diis adversus Satanae incursiones muniat: demum vitae sanctitate viam ostendat, quae sit iis tenenda, qui ad regnum Dei aspirant ac contendunt. Hanc sane pascendi legem et sibi fuisse propositam vidit apostolus Petrus, tanta se eius muneric difficultate premi confessus, ut ne mensis quidem simul vacaret ministrare (Act. 6, 4): et aliis quoque proposuit, quos exhortatur (1 Petr. 5, 2 ss.), ut curam gregis agant, excubantes in eius salutem, non quasi necessitate coacti, sed sincera animi pro-pensione: neque sordido lucri studio, sed tota pectoris alacritate: nec dominium exercentes in Christi haereditatem, sed se ad omnis boni exemplar regulamque formantes. Quid quod ecclesiae suae ministris tantam imposuisse sollicitudinis molem Dominus non contentus, canum etiam vices, qui ipsorum aliqui pastorum excubidores esse solent, sufficere supplere que iubet? adeo ab hoc munere omnem feriandi securitatem laborisque remissionem sublatam esse voluit. Iam videmus non sine causa facere apostolos, dum tot dotibus instruunt eum, qui sit in pastoris locum cooptandus: quandoquidem plurimum abest, quin sit cuiusvis praestare, quod in ordine illo Domini severissime requirit.

Verum nos, seposita vitae mentione, docendi duntaxat officium, quale sit, in praesens ostendamus. Idque ipsum, quo dilucidius sub oculos tuos sistatur, ab<sup>1</sup>) amplius illis, quibus diffunditur, spatiis re-ductum, secundum Pauli partitionem in duo mem-bra colligamus. Neque enim hic absolutam veri pas-toris imaginem formare statuimus, ut iustum de eius ministerio disputationem necesse sit ordiri: sed te paucis admonere, quantum oneris sustineas, dum tu, etiamsi alienum ab ecclesiastico pastore munus profiteris, nomen tamen episcopi personamque sus-tines. Sic ergo totam docendi provinciam cum apo-stolo partimur, ut eo qui secundum doctrinam est sermone institutus ecclesiae minister, talis sit, qui et exhortari possit in doctrina sana, et eos qui ad-versantur convincere (Tit. 1, 9). Cum dupli- ho-

minum genere negotium illi proponi vides: quorum apud alias [pag. 52] quidem exhortationis est usus, aliorum frangenda est revincendaque pervicacia. Et quid hoc aliud est, quam quod jam antea demon-stratum fuit: partim pascendis ovibus, partim lupis abigendis intentum esse oportere eius et animum et studium? Qui veri primariique pastoris voci aures habent apertas, et ad auscultandum paratos facilesque sese praebent ac tractabiles, hi sunt ovium loco hab-bendi. Proinde, sive docenda eorum ignorantia, sive excitanda tarditate, sive imbecillitate exhortanda, sive lapsibus obiurgandis, sive erroribus monendis, semper et fovere pastoritia sollicitudine ipsos, et benignitate tractare studeas oportet. Rursum, altero quoque oculo sunt observandi lupi: ne a Christi septi-tis abductas incautas oves depraedentur, quales par-tim sunt contemptores isti, quibus ut verbum Do-mini prope fabula est, ita eodem Dei contemptu ver-bique eius ludibrio pios animos imbuerem summae est voluptati: partim pseudoprophetae, qui veram puramque religionem et perniciosis mendaciis ob-scurare, pravis dogmatibus contaminare, et dissidio-rum contentionem scindere, et quibus denique viis possunt, evertere conantur.

Iam vero sequitur, quod tertio loco propositum erat: nihilo esse neglectae desertaeque functionis poenam leviorem, quam sit administrandae difficul-tas. Nihil enim gravius proferri potuit, quam illa plane horrenda denunciatio, quae episcopi auribus assidue insonare debet. Id enim ipsum, quod pro-phetae suo denunciabat olim Dominus, nihilo ad eos minus, quam ad prophetam, cui semel dictum est, pertinet. Posui te, inquit (Iez. 3, 17 et 33, 7), po-pulo meo speculatorem. Si dicente me ad impium, morte morieris, non loquutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat, ipse quidem in sua ini-quitate morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Quis iam in eo delinquendi sibi li-cientiam indulgere audeat, in quo ulciscendo se adeo severum fore Dominus ostendit? Quis iam negligentiae suae blandiatur, adversum quam sic to-nat Dominus ac fulminat? Quis impunitatis confi-dentia sese deludat, terribili hac sententia pronun-ciata? Paulus sane, quanta sententiae huius reli-gione teneretur, abunde testatus est, quum et ne-cessitate se ad evangelizandum obstringi ait, et ma-ledictionem ipse sibi indixit, nisi necessitati pareret: addita sola ista ratione, quia munus sibi creditum es-set (1 Cor. 9, 17). Quare et quum apud ephesinae ecclesiae ministros de sua integritate dissereret, quo suo eos exemplo animaret, ideo se mundum esse ab omnium sanguine affirmavit (Act. 20, 26), [pag. 53] quoniam non subterfugerat, quominus omne Dei con-silium illis adnunciaret.

Verum ne quidquid in genere de pastorum offi-cio disputationatur, quasi minimum ad te pertineat, se-

1) Edd. 1576—1611 male: an.

curus audias: iam converso ad te sermone, experiarum aliquis adhuc in te resideat Dei timor, quo te olim non penitus vacum esse sensi. Istud tamen dissimulatum tibi nolo, mirari me non satis posse, qualis sit ille tuus stupor, ut quum tot Domini iudiciis ac telis letalibus configantur ignavi pastores, nullum eorum in te dirigi sentias: quum illi tamen, nisi per tuum latus, vulnerari non possint. Quid enim? <sup>1)</sup> Postquam episcopi et nomen et locum tenes, omnia pro episcopi iure ac potestate administras, omnium in te coniecti sunt oculi, volut in religionis antistitem, fidem ecclesiae tuam obligasti: quo, quaeso, praetextu officium ipsum abs te reiicies? Tu, dum tuum commodum, dum potestas, dum praerogativa, dum dignitas agitur, episcopus agnosci voles: dum abs te exigitur, ut quod muneris est tui vicissim praestes, episcopum esse te negabis? Noli putare, o bone vir, vel talibus ineptiis Deum quocum hic tibi negotium est, ludificari: aut talibus cavillis verbum eius eludi posse, quando ne homines quidem istam in tyranno barbariem ferrent, si rodendo populo principem se esse praedicaret, regendo negaret. Et tamen audio abs te, tuique ordinis hominibus, voces istas subinde iactari: sacerdotia, quae sub episcoporum titulo geritis, nihil esse minus quam episcopatus: sed dominia potius, aut civiles praefecturas, aut honorarias pensiones, aut aliud quidvis, modo ne episcopatus censeantur. An non hoc est Deum simul et homines velle fallere? Quoniam institutum Domini est, ut elegantur, qui ecclesiis praesint, pastores. Hoc obtentu allectus es in eam, quam obtines dignitatem, qualisunque tandem sit, aut quocunque vocetur nomine: non ut satrapiam invaderes, sed ut ecclesiae administracionem obires, arripis conditionem, invocato Dei nomine, iuras in probi sanctique pastoris munus. Ea quae sunt dignitatis pro episcopo geris: et quo populum habeas obsequentem, nomen libenter praefers, totum populum in te, quasi viae directorem, reclinare, reiectaque ad tuam providentiam religionis cura, securum esse pateris. Ita Deo et hominibus obstrictus, nihil tua referre nugaris, si omnia pessum eant, quorum in te procriptionem recepisti. Evidem si me interroges, quo te loco aut ordine habeam, quidvis potius esse te, quam episcopum respondebo: [pag. 54] in quo ne obscurissimam quidem lineam exstare consiper, quae episcopum aliqua saltem ex parte figuret. At non propterea debere desinis, quod es, Deo teste et hominibus, aut verius, Deo simul et hominibus, sacramento pollicitus: quod exspectari abs te hominum opinione vides: denique quod tuo nomine profiteris. Quod profecto ipsum

<sup>1)</sup> In hoc commate interpungendo editionem principem et versionem gallicam sequuntur. Ed. 1550 scribit: Quid enim, postquam . . . tenes? omnia etc. Recentiores omnes minus vere etiam: Quid enim, postquam . . . tenes? Omnia etc.

sacrilegii te reum agit: quandoquidem ore Domini in sanctos ecclesiae usus consecratum, ita perverse abs te et improbe profanatur. Quamobrem frivolis illis tergiversationibus valere iussis, nunc te appello et obtestor praesidem religionis, quam fideliter et sollicite in componenda constituendaque religione labores: ducem ac moderatorem populi, quanta sedulitate curandis populi rebus invigiles. Si te viidente et connivente proscindi, conculcari, contamnari, everti denique totam Dei religionem: si populum misere circumscribi, fraudibus irretiri, in ruinam praecipitari ostendo: qualem iam praetextum afferre possis, qui vel ad minimam excusationem valeat? Quid quod non connives modo, sed talibus quoque flagitiis te ipsum inscribis? nec tacendo solum et dissimulando verbum populumque Domini prodis, sed manu ipse tua et labefactas veritatem, et populum trucidias. Hoc enim non est quod negas: centum furtorum genera, quibus simplex plebecula expilatur: mille sacrilegiorum formas, quibus et nomen Dei profanatur et dissipatur veritas: in summa, quidquid paene impietas et abominationis habet tua dioecesis, et manus tuae subscriptione approbata esse, et annulo consignata. Quod est sacrilegium sub coelo missa exsecrabilis? Et tamen sacerdotes nefandis illius sacris, aut ipse initias, aut alteri de manu in manum (quod dicitur) initiandos tradis. Quo postea se Christi carnifices iacent, ac ipsum populo, veluti promercalem, quotidie prostituunt: non sine summa crucis eius contumelia, cuius virtutem commentitiis illis suis sacrificiis prorsus enervant. Missis ergo suis, quibus nulla est in terris nocentior lues, quoties populum fascinant, acceptum abs te venenum porrigit. Circulatores istos probe nosti, qui populum ut pecunia emungant, mortuorum ossa circumferunt. Quid vel eorum nundinatione foedius, vel praestigiis nocentius? Utrumque tamen non sine tuo permisso, addo etiam commendatione, exercetur. Quales vero sunt excommunicationes? quae nunquam, nisi tua autoritate praetextae, efferuntur? Qualia sunt edicta omnia, quae nomine tuo publicantur? sive [pag. 55] aliquid interdicunt, sive indulgent, annon semper meram spirant tyrannidem? Verum quia evolvementae <sup>1)</sup> huius sentinæ nullum futurum finem video, diutius in enumeratione non commorabor. Tantum, si tuum est, quidquid a suffraganeo, a vicario, ab officiali tuo ex officio geritur, quid ex tribus illis officinis prodeat cognosce: et per me plane absolutus esto, nisi plus illic pessimorum scelerum reperias, quorum conscientia obstrictus tenebris, quam sermone designare possim. Nullum enim vel im-

<sup>1)</sup> Sic sola princeps. Caeterae: eluendae, quod meliorem praebet sensum. Gallus vertit: si ie vouloye remuer toute l'infection qui est dans ce bourbier.

pietatis in Deum, vel adversus homines iniustitiae genus praetereunt, dum optima fide quod suarum est partium exequuntur. Earum, inquam, partium, quas tua voce privatim demandasti, quas publice solenni diplomate confirmasti. Ut gesta eorum perinde habenda sint, ac si gerendis illis coram ipse praefuisses. Evidem invitus, nec sine pudore facio, ut delicta istaec tua tam praecepsurgeam: ne accusationem magis instruere videar, quam monitorem agere. Sed quid in re aperta tibi blandiar? Praesertim quum eo periclitari maxime te cognoscam, quod in perpetrandis id genus nequitiis, perinde ac si quiddam ludicum foret, tibi delicias facis? Hoc ergo rursum pronuncio, cui infitiando<sup>1)</sup> nequaquam eris: religionem plebemque Dei, quarum tibi cura demandata erat, non tua modo ignavia desertas pessum ire, sed improbitate etiam nequiaque profligari. Si iure in militiae desertorem capitaliter leges animadvertis, quae satis iusta poena in transfugam constituantur, qui non loco tantum et ordine suo cesserit, sed hostiliter etiam castra ipsa vexarit, quorum in defensionem iuraverat?

Age vero, nihil hic gravius quam officii prae-terminnione te delinquere fingamus (quanquam longe secus rem habere palam est), quot tamen adhuc Dei maledictiones undique te obsideant, cernis. Vae mihi nisi evangelizem, dicebat Paulus: munus enim mihi demandatum est (1 Cor. 9, 17). Et qua, quae, maiore praerogativa Vae istud abs te depreceris, quod ipse sibi apostolus denunciabat? Debitorem ille se eruditis pariter et rudibus profitebatur (Rom. 1, 14), ad quos apostolus mittebatur. Tu cur aliiquid minus tuis debebas, quibus episcopus es praefectus? Ille Ephesini mundum se ab omnium sanguine testabatur (Act. 20, 26), quia nunquam subterfugisset, quominus omnem Dei voluntatem illis enarraret. Tu quam a sanguine munditiem iactabis, cuius ex ore nulla paene unquam syllaba audit a est, [pag. 56] quae vel una in re Domini voluntatem saltem subobscure indicaret? Neque vero eo usque sum iniquus, ut pastorem nullum ferendum censem, nisi qui incomparabilem illam et vere divinam Pauli virtutem aequis, ut dicitur, passibus sit assequutus. Quin potius et permultos fuisse olim, et hodie esse non paucos dico, non episcoporum nomine solum, sed laude etiam admirationeque omnium dignissimos, quorum neminem tamen video parem illi exstissem. Sed hoc honore dignamur eos, qui etsi ad ultimam illam perfectionem non pertingant, ad eam tamen strenue contendunt et enituntur, ut si cum Paulo ipso comparentur, impares esse dicas, magis quam dissimiles. Tu quum nullam eiusmodi similitudinem prae te feras, mirum est, si Vae

illud impendere tibi non sentis: quod a se non audebat sanctus Dei apostolus deprecari, si partibus suis defuisset. Iam vero (qualis est praesens ecclesiae tuae status, aut verius ruina) nisi plus quam saxeus essem, eorum quoque fortuna commoveri te oportebat; quos in fidem tutelamque tuam Dominus contulit. Quibus enim<sup>1)</sup> oculis otiosus et oscitabundus tantam eorum cladem aspicis, quorum tibi salutem adeo sollicite Dominus commendavit? Unus si desidia tua perierit, sanguinem e manu tua se reposciturum Dominus edicit. Recognosce paulisper mecum, quot iam paucis his mensibus, quibus epis copi locum occupasti, animae tua culpa perierint, quot etiam quotidie pereant: si tamen potes. Nam si verum est quod per prophetam (Ies. 5, 14) suum conqueritur Dominus: Infernum propterea in immensum os suum aperuisse, et animam suam dilatasse, propterea captivum esse ductum populum, quia non habuerit scientiam: quis inferni gurges ad deglutiendam miseram hanc et tua perfidia perditam plebeculam sufficiet? quae non vulgari inscitia obvoluta tenetur, sed altissimis tenebris immersa, oculos vix iam attollere potest. Illam Iudeorum ignorantiam, quam deplorat propheta, cum saeculi huius caccitate conferas: illos sane pree tuis eximie sapuisse dices. Adeo nihil istis superest humani sensus, quominus plane obstupuerint, nisi quod nihil aliud quam perire edocti, mira pereundi cupiditate insaniunt. Et quum ita omnes ad unum agminatim attoniti, et velut exitio suo devoti, sese in voraginem ultro devolvant,<sup>2)</sup> instant tamen semper a tergo furiae, quae novis subinde aculeis instigent, et praecipitantes impellant. Denique non alia est facies, quam si civitas aliqua et gravi pestilentia correpta, et [pag. 57] hostiliter expugnata, duplice pariter internecione concideret et uno simul incendio universa conflagraret. Ad buccinam excubitor, ad arma pastor. Quid cessas? quid torpes? quid dormis? Dum animum externis et nihil ad rem pertinentibus curis abreptum huc non advertis, omnia strago referta sunt. Tot mortes Domino debes, infelix, toties homicida es, toties reus sanguinis, cuius guttas omnes e manu tua Dominus requiret. Et sustines adhuc tantum fulmen intrepidus? Non exhorres? non turbaris? non animo et corpore totus concidis? O te nimium praefracta contumacique cer vice hominem, si ad tantum Domini iudicium non consternaris, cuius profecto gravitatem coelum et terram, et ipsa muta elementa non sustinerent. Sed parum adhuc dico, quum te homicidam appello, et tuorum proditorem. Hoc enim maius omni probro flagitium est, quod Christum ipsum, quantum in te

<sup>1)</sup> infiendo, 1550—1611 (*Gallus*: nier).

*Calvini opera. Vol. V.*

1) *Edd. recd. 1576 seqq. male scribunt: olim. — 1611 devolant.* 2) 1576

est, rursum vendis, rursum crucifigis. Quid est enim aliud, ecclesiam (quam suo sanguine Christus acquisivit) modo improbam lucri cupiditatem expleas, dissipandam prostituere, quam ipsum Christi sanguinem, quo aestimata est pretio addicere? Quid est autem Christum crucifigere, nisi hoc est? sanguini eius contemptim illudere, ac tantum non ipsum ludibrio habere? Et hanc scilicet tam insignem contumeliam semper feret ille, quem pater gloria et honore coronavit? Tu vero, si sapies, nunc sacro-sanctum Christi sanguinem, quanti meretur, potius aestimabis: quam exspectabis, dum supplicii atrocitate discas, quanti a Domino ipso fiat.

Proinde videndum nunc tibi quoque est, quo iure ad te redeat proventus ille amplissimus, quem episcopi dum esse iactas, tuum facis. Evidem video sic esse a Domino constitutum, ut qui evangelium administrant, iis vicissim, quidquid est ad usus vitae necessarium, administretur. Nec illi placere, ut os obligetur bovi tritauri. Sed quis tibi concedat, ut fructum, quo evangelii ministerium Dominus muneratur, ipse, nihil minus quam evangelii minister, legas, et quae bovi tritauri adiudicat alimenta, otiosus vores? Presbyteros, qui bene praesunt, nobis commendat apostolus (1 Tim. 5, 17), ut duplii in honore habeantur, praesertim qui in verbo laborant. Eum ergo qui sibi honorem poscit episcopi, bene regendo prius efficere aequum est, ut honore dignus iure censeatur. Quod si etiam ita te geras, ut ad optimi pastoris fidem, studium, diligentiam, integritatem nihil desiderari possit: quorsum tamen immodka illa, nullisque [pag. 58] finibus terminata opulentia? Vitaene pastoris sustinendae, cuius ipsam moderationis esse vult Dominus, limitata, ac non tyrannicae potius luxuria par est? Sed eam nondum reprehendo, quae suo postea loco perstringetur. Hanc in praesentia duntaxat improbitatem accuso: quod uberrimos inde fructus referas, semen tem ubi penitus nullam feceris. Haec, inquam, impudentissima est rapacitas: et, quod audire ordinis tui homines minime sustinet, furtum bis manifestum: cum qui manum operi nunquam admoverit, operae tamen mercedem imperiose flagitare. Si fustario dignus est, qui vicini parietem perfodisse sit deprehensus, quo in eius arcem involaret: flagitiosum hoc tuum latrocinium, quae furcae satis pro dignitate mulctabunt, qui hinc, quod officii laboribus debetur stipendum, suffuraris, inde omnium domos rapacissime depraedaris? Sic quidem longa annorum praeescriptione obtinuit illa furandi licentia, ut honestis etiam titulis ornetur. Verum utcunque inter homines aestimetur, non eorum errore tamen rescindetur, quae semel adversus eam pronunciata est a Domino sententia: Vae pastoribus, inquit (Iez. 34, 1 ss.), qui pascunt semet ipsos. Nonne greges a pastoribus pasci moris est? Vos autem lac-

comedistis, quod pingue erat occidisti: lanis fuitis operti, gregem autem meum non pavistis: quod infirmum fuit non stabilistis, aegrotum non sanastis, confractum non alligastis, abiectum non reduxistis, quod perierat non quaesistis: sed cum austeritate imperasti gregi, et potentia: et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem, nec erat qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini: vivo ego, dicit Dominus: quia factae sunt oves meae in rapinam ac devorationem bestiis agrestibus, eo quod pastore carerent (nec enim eas requirebatis, sed tantum pascebatis vosmet ipsos), ideo ecce ego gregem meum requiram de manu vestra: et cessare vos faciam, ne ultra gregem meum pascatis: liberaboque ipsum ex ore vestro, ne sit posthac vobis in escam. Tu scilicet aut his designari te negabis, quae non tam vitae tuae faciem ad vivum depingunt, quam te tibi totum velut in speculo repreäsentant? Aut iudicium Domini inane terribilimentum esse dices, quod minus feriat, quam minatur? Quamobrem non est cur istis opibus iam te beatum putes, quarum et te furem esse vociferatur Dominus, et repetundarum postulat.

Furti ergo sacrilegique ignominiam nec tu nec unus<sup>1)</sup> e cornuto illo [pag. 59] grege, infitari potestis. Verum, quoniam nonnullos inferioris classis pastores istic esse audio (ex eorum scilicet ordine, quos et paroecos et curiones vulgo appellant) qui aliqua officiis particula utecumque defungantur, hocque praetextu sese tueri plane conentur, quod paulo quam alii verecundiis delinquent, illi mihi sunt paullisper hoc loco appellandi. Quo autem intelligent, quam non sim malignus aestimator qualiscunque isticus, quam pascendis ecclesiis impendunt, sedulitatis, plus aliquid ultro illis dabo, quam postulare ausint. Tamen si eas ut plurimum ecclesias, quibus praefecti sunt, non incolunt: adsunt tamen ad solennes multos dies, verba pauca pro concione faciunt, populo semina quaedam pietatis aspergunt, ac guttas veluti quasdam instillant purioris doctrinae, neque illau-dati discedunt totius suae plebis suffragiis. Atqui si haec officiola ipsorum, ad eam, quam ex Dci verbo descripsimus, regulam exigantur, immane quantum a veris etiamnum pastoribus aberunt: qui cum tota illa sua sedulitate nihil aliud, quam infideliter sese in opere Domini versari produnt. Hoc enim ut dissimulem, muneri suo minime ipsos respondere, nisi tempestive simul et intempestive instando (2 Tim. 4, 2), arguendo, increpando, exhortando, cum omni lenitate et doctrina (quorum omnium illis nihil cu-

1) Sic edd. principes 1537 et 1550; 1576 seqq. nec tu nec ullus. Et sic quoque versio gallica: toy et tout tant qu'il y a d'Evesques cornus. Gallasii editio, quod miraberis, in textu tantum: nec unus, in margine • nec tu.

rae est) quid tamen operam suam magno venditent, cuius ne quod omnino pretium exstet, ipsi diligenter provident? In re perspicua longiori argumentatione opus non est. Miseram plebeculam, cuius eruditores videri volunt, quum tanta ignorantiae caligine excaecatam, tot errorum praestigiis delusam, tot mendaciorum fascinis incantatam et consopitam satis norint (quod nemini quidem est incognitum), sentire ut nihil queat, nisi quod manibus pedibusque palpet atque attricet: quia tamē ingenue verum dicere periculosum est, nec suam vocationem tanti aestimant, ut fraudi<sup>1)</sup> sibi esse velint, in ea docenda obscuritatem data opera et vafritem adhibent, qua vel acutissimum quemque fallere conantur. Istudne, quaeso, docere est, quum apud rusticanos homunciones, natura non valde argutos, prava etiam institutione hebetatos, habenda est oratio, sententias per se hominum ingenio difficiles, sic perplexis aenigmatibus implicare, quo in illis intelligendis Oedipus quoque ipse laboret? Nam si quid dicere eiusmodi instituunt, unde sibi aliquid negotii molestiaeve fore suspicentur, illud velut conceptis verbis obscurissime effantur: ut si discrimen immineat, tergiversatione semper elabi possint. Atque id potissimum [pag. 60] iis in rebus usu venit, quas explicatissime et tradi et enarrari christianaee ecclesiae referebat: quandoquidem ut quidque ad stabiliendum Christi regnum maxime conducit, ita Satanae est odiosissimum eiusque furore impetratur acerrime. Itaque sic de fide concionantur, ut plebis diffidentiam nihilo emendent magis, quam si tacerent. Sic Christum mediatorem ostendunt, ut in sanctis semper haereatur. Sic Dei gratiam praedicant, ut eadem meritorum propriaeque iustitiae hallucinatio semper maneat. Sic verbi Dei autoritatem commendant, ut pluris fiant fabulosa hominum commenta. Sic Deum unum colendum docent, ut eandem semper idolatriam relinquant. Sic de vera religione disserunt, ut e tot impiis superstitionibus nullam convellant. Denique sic veritatem proponunt, ut stet menda- cium semper incolume. Apagesis tergiversatoriam istam calliditatem et perplexitatem affectatam, ab eo qui docendi munus profitetur: cuius prima est virtus, auditorum captui sese attemperare. A christiano vero doctore quam longissime arceatur, a quo nihil nisi sincerissimum et simplicissimum audiri debet. Nam si docendus est populus, quorsum istae<sup>2)</sup> aenigmata, quae nihilo doctorem dimittant auditio-

rem, quam venerat? Nempe hoc unum satis clarum indicium est, qualis sit eorum opera: quando hoc quod agunt agendo, nihil prorsus agunt. Sed istud ad refutandam eorum vanitatem multo certius est argumentum, quod palam est, eos ne studere quidem, ut quidquam proficiant: quin potius data opera cavere, ne quid proficiant. Porro quo dilucidius adhuc perspiciant, ineptiis illis suis omnibus se nequaquam assequi, ut ne perfidi magis proditores, quam probi pastores censeantur: paucis vero demonstremus, id quod pastoribus Dominus mandavit, quam illi bona fide exsequantur. Hac enim comparatione obtineri facile posse puto, ne nugaci nescio quo, nihilique praetextu freti, aliorum numero posthac se eximant. Quoniam autem quae sit episcopis tenenda docendi ratio, summatim declaravit apostolus (Tit. 1, 9), dum strenuos esse ipsos iussit, et ad exhortandum in doctrina sana, et ad eos qui contradicant revincendos, ad eam regulam morem docendi istorum metiemur. Qualem ergo se gerit eorum praestantissimus? Quum Satanam ecclesiae sibi commissae dominari, afflictæ oppresaeque Dei veritati insultare, laceras et mutilas Christi oves in praedam abigere, planeque ceu Christo subiugato triumphare videat: paucis anni diebus in concessionem defungendi tantum [pag. 61] causa prodit, non aliter quam si tranquilla omnia, atque optime composita forent. Rursum, qua rabie Christi adversarii apud vos ad evertendum eius regnum feruntur, quum non liberam modo et constantem, sed paulo sinceriores verbi praedicationem cum vitae suea discrimine coniunctam sciat: ipse autem vel minimae unguiculae iacturam Christi causa facere reformidet, conciones ipsas ita moderatur, ut se extra periculi aleam contineat. Haec praeclera sunt eorum stratagemata, quorum merito pree aliis eximi haberi volunt: in quibus si neutrum adhuc eorum spectare licet, quae episcopis in illa Pauli regula praescribuntur, tam inani fiducia superbire illis non concedam. Quorsum enim christianaee ecclesiae conciones, nisi quibus sana doctrina instituantur? Quae autem sana institutio tradi ab eo potest, qui nihil nisi cum Satanae pace experitur? Id si aliqui dubium esset, ipsi suo documento faciunt certissimum. Quidquid de vera orandi ratione praincipiant, non alium tamen orandi in populo suo usum esse vident, quam pessimam illam orationis pestem, inanem battologiam, qua eadem subinde verba sine mente, sine corde, sine intellectu, magico more demurmurant: ut illis non aliud sit orare, quam rosarii circulum evolvere. Atqui, hoc malum quia nisi periculose attingere non licet, secure dissimulant. Utinque de vero Dei cultu disserant: qui ut interiori cordis fiducia, seria invocatione, laudis confessione constat, ita totus spiritualis esse debet: populum tamen quia inde avelli citra gravem Satanae

1) *Sic omnino legendum, quanquam editiones omnes habent laudi, sola principe excepta ubi vitio operarum raudi legitur. Versio gallica sensum bene expressisse nobis videtur: ille n'estime pas tant leur vocation que pour la bien exercer ils veuillent aucunement se mettre en danger de leurs personnes.* 2) *Ed. 1552 vitiose: istae; inde recentiores ex conjectura: ista.*

offensionem nequeat, in stolidis ac bis carnalibus caeremoniis toto pectore stupere sinunt. Utunque ad Dei adorationem vocent, idolis tamen haerere quum omnes cernant, neminem autem reprehendant, sua illa dissimulatione, quae nutus instar, et tacitae cuiusdam approbationis accipitur, fortius affigunt.<sup>1)</sup> Quidquid de iustitia, sanctificatione, salute a Christo petenda balbutiant: susque deque tamen habent, quod populus, omisso Christo, ea omnia quaerit, ubi minime reperiri possunt. O praeclaras in sana doctrina exhortationes, quae dum insanienti populo placide blandiuntur, ac tantum non applaudunt, simul etiam efficiunt, ut obstinatus furere perget! Quis enim displicere illis putet, quae inter conciones ipsas eorum oculis assidue ingeruntur: eius generis praesertim, quae si mala forent, vel tantillum tolerare nefas fuerit? Quidquid autem non displicere illis putatur, eo loco habetur, ac si ipsorum suffragio palam confirmatum esset. Et quae iam [pag. 62] eorum esset in revincendo adversario magnanimitas, si ad certamen ventum foret: qui tantam in simplici exhortatione animi pusillitatem<sup>2)</sup> produnt? qui sine adversario ita protinus concidunt, et de praesidio stationeque nondum oppugnata decedunt? Quanquam si qualis hodie sit ecclesiae conditio consideremus, Christo restitui non potest, nisi e luporum faucibus erupta: ad Dei pascua non adduci potest, nisi hominum laqueis soluta: recta via agi non potest, nisi errorum labyrinthis extricata. Sic enim in evertenda extinguendaque religione Satanae ministri profecerunt, ut eam, nisi ab ipsorum impieitate assertam, instillare hominum animis non liceat. Id in obruenda obliterandaque Dei veritate consequiti sunt, ut in lucem emergere, nisi ab illorum mendacis vindicata, nequeat. Interim quid egregii isti et excubitores, et pastores? Gladium conspi ciunt, non cervicibus impendentem, sed iugulis prope admotum. Oves cernunt, non luporum insidiis appetitas, sed dentibus correptas et mutilatas. Secutamen, ut in media pace, torpent: nisi quod suo capiti privatim timentes, abiecta publicae salutis cura, de se ipsis plus satis sunt solliciti. Istam quidem inertiamne an perfidiam potius vocem, dubito: si impune sibi futuram confidunt, meras sibi fabulas esse, quidquid Dominus aut promittit, aut minatur: ex eo testatum faciunt. Quod enim per Ezechiem Dominus edixit se populi sanguinem e speculatoris manu reposciturum, qui quum imminentem gladium videret, clangore tubae non indicavit: in quem magis proprie competere, quam in se ipsos respondebunt? Nempe si ea lege ecclesiae excubiis impositi sunt custodes, qui neque nocte, neque die quie-

scant: non minus sanguinaria est eorum taciturnitas, qua populi salus malitiose proditur, quam ipse hostium furor, quo inermes et indefensi opprimuntur. Iure ergo ex eorum manibus sanguis reposcitur, quo non minus, quam hostium gladii, aspersae foedataeque sunt. Quod aliud hominum genus certius, quam se ipsos, causabuntur, illa Christi sententia, qua pastorem eum severissime obiurgat, et mercenarium contumeliose appellat, cui negat esse curae oves, qui dum venientem prospicit lupum, et iamiam instantem, in fugam, relicto grege, sese proripit (Ioann. 10, 12)? Quod si nunquam id a Domino pronunciatum esset, propriam illis conscientiam iudicem fero: pastorem, qui vel minimas insidias noctu senserit, nisi expergefactus mox accurrat, nonne ignaviae accusabunt? Eum vero, qui perfossis stabuli parietibus, [pag. 63] confractoque ostio, pauperculum gregem omnibus ventorum, imbrum, hostium, luporum insidiis expositum obnoxiumque reliquerit, quantae socordiae condemnabunt? Quid ille? cuius sub aspectu media in luce oves atrociter laniantur, ipso ad lupos abigendos ne digitum quidem commovente? Quo satis digno elo gio insigniri poterit istaec tam flagitiosa perfidia? qua supplicii gravitate digne pro merito multctari? Posthac si iustum et sua speculationis, et pastoriiae curae rationem reddere volent, videant hoc in primis, sinc quo nihil efficiunt ad fidem suam approbandam, nihil sibi esse reliqui, ubi rei sanguinis merito arguuntur, a quo se mundos esse improbis simile mentiuntur, nisi cum Paulo vere ac serio affirmare queant, se nequaquam subterfugisse, quomodo nus publice privatimque unumquemque admonendo omnem Dei voluntatem enarrant: praesertim ubi circumventam Satanae artibus ecclesiam gravius periclitari senserint. Quas in partes tanta solertia incubuisse sanctum illum apostolum videmus, ut saepius coram monuisse suos non contentus, eadem quoque monita scriptis absens, ac e vinculis reper teret: observarent canes, observarent pravos operarios, observarent concisionem, quae impiis contentionibus veram ecclesiae unitatem discinderet (Phil. 3, 2 ss.).

Quid quod non connivendo tantum, ac indulgendo, miserae ac perditae plebeculae caecitatem foveant: sed errorum superstitionumque omnium administratos ei se praebent? Etenim huic teterrimo flagitio quotusquisque ipsorum infiando erit, quin primo statim ingressu pessimo errore plebem imbuat, dum ipsa spectante, et ad stuporem usque attenta, stolidis exorcismis aquam incantat, mille postea infandis superstitionibus servitaram? Quin e suggestu rursum ad altare prodeat? sacrificium illud abominandis blasphemias repertum aut peragat, aut se peragere simulet? ad execrabilis idoli veneracionem populum et exemplo suo et nutu invitet?

1) Sic sola princeps. Caeterae omnes: affingunt. Gallus: elle sert pour tousiours enracer plus avant etc. 2) Sic sola princeps. Caeterae omnes: pusillanimitatem.

quin dira illa auricularium confessionum carnificina misellos ipsemet excruciet? vanis satisfactionibus, commentitiisque ~~absolutionibus~~<sup>1)</sup> deludat? quin fabulosas purgatorii naenias, quae tantum secum vehunt perniciosae impietatis, solenni prece stabiliat? Neque vero recipi debet, quod obiectare subinde solent: His superstitionum morbis non alia melius ratione purgari hominum animos posse, quam si molliter initio et paulo<sup>1)</sup> indulgentius attrectentur, donec ferendis mali remedii assueverint, et quodammodo sint confirmati. Itaque, nisi quis moderationem adhibeat, [pag. 64] quae eorum teneritudini non nihil concedat, exorituras sine ullo profectu graves offendes, odiumque adversus Dei veritatem acerbius exarsurum. Id sane nemo est qui non libenter illis consulat, nedum permittat: quin doctrinam omnem suam sic temperent, ut rationem semper habent tantaie imbecillitatis, quanta nunc populum fere laborare constat: quin praeteritis interdum minutis rebus, apprime necessaria urgeant: quin emendandis maioribus delictis insistentes, ad exiguos quosdam naevos pro tempore conniveant: denique lacte ac melle pascant, qui nondum solidi cibo sunt idonei. Sed enim illorum vicissim fuerit, primum dare operam, ne sua ipsorum imbecillitati praetextum magis captent, quam rationem ineant sustinendae eorum infirmitatis, quibus confirmandis studere debent. Deinde non ea dissimulare, quibus stantibus emergere Christus cum evangelii sui luce prorsus nequeat: tum non ea indulgentia ignorantiam ferre, qua magis ac magis indurescat, sed qua paulatim dissuatur: quando momento uno rescindi commode non potest. Postremo veritatis praedicationem sic moderari, ne perniciose rursum mendaciis ipsam contaminent. Quid autem clarius est, quam sinistra illa sua prudentia non aliud quaerere, nisi ut sibi duntaxat sapient? Si nullo discrimine libere docendi potestas facta illis esset, satis appareret quam infirmitatem curae habeant.<sup>2)</sup> Et si verum esset, aliqua ipsos populi sollicitudine tangi, quod quidem vanissimum est: quis tamen illis largiatur, ut horronda impietatis exempla sub oculis suis perpetrari dissimulanter ferant? Quis unquam apostolorum Deum unum annunciat, qui non aperta voce deos omnes gentium daemonia esse clamaret? Quis de puro Dei cultu concionatus aliquando est, qui non a vanis deorum superstitionibus longissime abstraheret? Quis sitam in Christo salutem docuit, qui non ab idolorum fiducia prorsus averteret? Quis cum mendacio veritatem, lucem cum tenebris, evangelium cum execratione, Christum cum Belial, eadem copula colligavit? Isti vero deorum myriades,

idolorum plastra, superstitiones plus quam magicas aequo animo se tolerare causantur, quo indoctam rudemque plebeculam, sine offensione, ad veri cognitionem adducant. Salutis fiduciam, quae a Christo pendere tota debuerat, huc atque illuc tantisper divagari non aegre patiuntur, dum eminus raptimque inspecto Christo populus toto pectore, si libuerit, ad ipsum applicet. Atqui istaec erant prima exordia, quibus ecclesiam inchoare, prima fundamenta, [pag. 65] quae ad eam<sup>1)</sup> exaedificandam iacere debuerant. Quare haec tolerantia in rebus minime tolerandis nihil simile habet cum lacte illo, quo imbecilles adhuc Corinthios Paulus nutriebat (1 Cor. 3, 2). Illo enim, qui sunt adhuc in Christo pueri, utecumque pro suo modulo ad pietatem imbuuntur: hac universa religio dissipatur. Illo pedetentim ignorantia diluitur, hac in pervicaciam coalescit. Illo nutritur ad coelestem vitam animae, hac enecantur. Verum inepte facio, qui in re expeditissima, et quae verbo uno absvolvi potest, diutius commoror. Siquidem eum nemo audiendum duxerit,<sup>2)</sup> qui ad salutem rebus extremis afferendam missus, quo melius procedat sua opera, prima salutis initia in longum tempus differre se dicat: praesertim ubi palam fit, illius mora omnia pessum ire, ne cuius postea ope instaurari queant. Porro, ad refellendam eorum tergiversationem, illud quoque accedit, quod omnibus prope errorum pestibus quibus repurgandam ecclesiam suscepserunt, eam inficiunt. Quid enim aliud est, pro mortuis apud Deum intercedere, quam pestilenti purgatorii opinione inquinare hominum mentes? Quid, audita peccatorum enumeratione, iniunctaque satisfactione, absolutos dimittere: nisi quibus involuti sunt laqueis, fortius adhuc ipsos constrin gere? Quid vero, ut alia multa omittamus, missaticum sacrificium peragere, nisi uno simul exitio et populum dare, et ipsam quoque religionem? Perinde ac si chirurgus, ad comparandam homini incolumitatem, ipsum ante iugulet: aut si medicus stomachum salubri potionе refecturus, toxicо primum imbuat. O moderatores, quibus et Dei verbum, et hominum animas, sine modo, sine ratione, sine delectu contaminare, obscurare, perturbare, disiucere, extinguere satius est, quam cuticulae iactura praescriptam a Deo simplicitatem tenere! Eius ergo populi ut fidi probique pastores censeantur, postulabunt, quem non modo libidini prostituant impiorum, sed ipsi flagitiose circumscribunt? Conaciones illas nescio quales, fastuose nobis obtrudent, ad quas talibus prooemii auditores comparant: quas talibus demum catastrophis claudunt atque terminant? Imo qua fronte verbum iam in sui defensionem facere

1) 1576—1611 vitiōse omitunt: et. Amstelodamensis emendat: initio ac paulo. 2) 1576 seqq.: habent.

1) eam, omittunt omnes praeter principem. seqq.: dixerit. Gallus: qui ne trouve mauvais.

2) 1576

audebunt, quos detestabilis idolatriae, et non unius sacrilegii autores esse constat? Taceo reliquum anni tempus, quo procul a suis ecclesiis absentes, per vicarios suos, furacissimos praedones, rapinas, direptiones, populationes, latrocinia omne genus exercent, quibus enumerandis volumen unum non sufficeret. Et sunt [pag. 66] adeo prodigiosa nomina, quibus expilationes illas suas praetexunt, ut non nisi ab illis paucisque captiosis pragmaticis intelligantur. Atque ut viscous illos, et tot furandi artes dissimulemus, quo tamen iure praeripiunt, quod pastorum alimentis destinatum erat? Quum enim reddenda erit principi pastorum ratio, quomodo expensum ille sceleratis latronibus feret, quod probis sanctisque pastoribus in laboris stipendium cedere voluit? Scilicet non cogitant, iam olim ab ipso ea de re pronunciatum esse (Ies. 56, 10): ubi canes somnolentos tam severe obiurgat, qui quum muti sint, et ad latrandum ignavi, saturitatem tamen nesciunt.

Enimvero maius mihi certamen cum reliqua sacerdotum turba, atque (ut ipsis quidem videtur) multo difficilius restat. Nam quorum sacerdotia non ea sunt conditione, ut ecclesiis pastorum nomine ipsi praesideant (quo e genere sunt prodigia illa nominum abbatiae, prioratus, praebendae, capellaniae, decanatus item, praepositurae, thesaurariae aliisque infiniti, ut vocant, personatus) nulla ratione sibi vindentur impediri, quominus et teneant illa et corum proventu,<sup>1)</sup> ceu iusto patrimonio, in quos visum fuerit sumptus abutantur. Sed de proventu mox: nunc tantum eiusmodi pedicis an illis se implicare liceat, consideremus. Audio quid pro se dicant abbates, si qui sunt qui a verbo Dei non alieni videri velint: praesentem rerum statum sibi non minus, quam optimo cuique improbari, atque ut totam monastichen, quam scatere omni impietate norunt, abominationi habent, ita eam se minime favere. Neque vero per se stare, quo minus pereat ac deiiciatur: si res in sua potestate sita foret, eius animi specimen se edituros. Quod autem fructus e paludibus illis provenientes colligunt, non tamen ideo se in illarum coeno provolvere, sed oblatam a Domino benedictionem non spernere: hac interim conscientia securos, quod nullius flagiti vel autores sunt, vel fautores. Haec si serio praedicarent, an eius quam detectari se aiunt, impietatis principes haberi paterentur? Ac non magis eam sic toto animo aversarentur, ut a minima etiam participatione penitus se dimoverent? Quid autem est abbas, nisi monasticae superstitionis praeses atque assertor? Proinde non video, cur vituperari monachismus debeat, ut non prima voce impetratur ille, qui monasterii administrationem non secus ac rem sanctam recipit: nisi

forte annuendum ei ducimus, qui damnata piratica, archipiratam laudet. Quid? An non, quaecunque in foetidis illis fornicibus [pag. 67] peraguntur sacrilegia, auspiciis ductaque abbatum perpetrantur? Et quis iam illis displicere credet, quae nomine nutuque eorum geruntur? Quis specimen exspectet, unde sibi improbari declarant, quae quanta possunt approbatione confirmant? Iam quod otiosam sibi, et sine onere dignitatem obtigisse putant, in eo quidem opinione falluntur. Quis enim dubitet, eorum unumquemque pastorem in suo collegio debere praestare, cui regendo abbas est constitutus? Neque enim alia conditione cooptantur in eum locum, nisi ut pastoritia sollicitudine defungantur: et illi, dum munus ineunt, id ipsum sacramento confirmant. Si e vulgo quispiam de abbatis officio interrogetur, extemplo respondebit, monachis esse illum moderatorum positum: qui pura doctrina sanctisque moribus toti collegio praebeat, rudes instituendos curet, delinquentes castiget, errantes in viam reducat. Haec quum in triviis tam diserte de eorum munere disserantur, quam frivole mentiuntur, nihil ad se pertinere, qualis sit monachorum vita? neque sua quidquam referre, quam sit aut probe composita, aut perdite effrenata? Ut autem id totum de hominum iudicio eludant: quia tamen fidos se fore pastores solennibus verbis deierarunt, sua certe promissione obstringuntur. Eorum ergo curam longe a se reiicient, quos in fidem custodiamque suam, Deum atque homines prius attestati, suscepérunt? Ubi reverentia, qua nomen suum usurpari Dominus imperavit? Ubi iurisurandi religio, nulli non barbariae sacrosancta? Ubi promissorum veritas, pars humanitatis potissima? Porcos sibi commissos aiunt, quorum explendi sunt ventres, non animi excolendi. Sed homines Deus creavit, quos oportet a beluina illa, in quam degenerarunt, feritate, ad humanam mansuetudinem, optima disciplina revocari. At durior est barbaries, quam quae doctrina emolliendam se praebeat. Cur ergo provincia non se protinus abdicant, cui se impares esse agnoscent?

Hactenus, quae propria quadammodo abbatum erant, persequuti sumus: nunc quae habent communia cum reliqua illa, quam nuper recensuimus, coluvie, uno, ut dicitur, fasce simul complectamur. Quoniam autem singulas flagitorum species, quae nefandis istis omnibus sacerdotiis perpetuo cohaerent, seorsum executere, et ordine explicare, prope immensum fuerit: mihi satis erit ostendisse, nullum penitus ex universo numero teneri posse, quod non abominandis duobus sacrilegiis constet: quo pretio nullam omnino felicitatem redimere pectus christianum [pag. 68] sustineat. Vulgare inter eos proverbium est, propter officium beneficio se frui, et honori suo semper esse adnexum onus. Quanquam autem oneris varia sunt genera, hoc tamen omnibus perpet-

1) 1576 *seqq.*: proventus.

tuum inest, ut missariis sacrificiis, velut satisfactione persoluta, mortuorum animae a peccatis suis expientur. Hoc inquam onere utcunque defungi necesse est eorum unumquemque, qui sacras illas opes participant. Nulla est tam opulenta abbatia, nulla rursum cappellania usque eo tenuis, quae non ea lege devincta sit. Nec interest, ipsine per se, an conducta vicarii opera, sanctum illud munus exsequantur. Siquidem non defuturos suspicor, qui ad miseram hanc excusationem se conferant:<sup>1)</sup> quod inquinamentis illis ad sordidos sacrificulos ablegatis, opes ipsi possideant nullo scelere profanatas. Sed quid inde porro aliud consequentur, nisi ut dum culpa una purgare se moliuntur, duplicum nequitiam prodant? Cedo, quod scelerate perpetratum iri conspiunt, ab eo religiose manus abstinent: perpetrandum tamen interim diligenter curant. Quibus iam obsecro culpa facinoris adscribetur, nisi quibus autoribus admissum fuerit? Quum vero iussu autoritateque sua ad maleficium impellant, quorum ministerio abutuntur, annon alterum quoque crimen hic se profert? Si quis hominem a se interemptum ideo negaret, quod non sua manu, sed conducto a se sicario caesus esset, a quo nostrum non conspueretur? Nempe qui sua confessione bis se accusaret: et quod caedis autor fuerit, et quod alterum malis artibus corruptum in sceleris societatem traxerit. Quid autem ab illo dissimile isti faciunt, qui et contumeliam Deo irrogandam procurant, et ad id audiendum alios pretio corrumpunt? At non eos, inquiunt, corrumpimus, qui venales ad patrandam quamvis impietatem prostant. Perinde ac si homida ille minime ab se corruptum defenderet, quo ad maleficium administro usus fuerit, quia gladiator antea fuisse latrocinii assuefactus. Itaque quemadmodum ille, dum latronem exercitatione acuit, eius audaciam confirmat: ita isti quos novis subinde sacrilegiis exercent, eos ad nequitiam magis ac magis indies obdurant. Sed hac parte proprius instare animus non est: neque verbum fecisset, nisi sua me improbitate coegissent, dum in re adeo perspicua fucum tamen nescio quem facere conantur. Nihil, inquam, eos ultra lacco, modo inter nos istud constet, quod nullo cavillo declinare iam possunt: neminem eorum esse qui gemina illa, quam nuper commemoravi, impietate [pag. 69] non sit inquinatus. Nemo est enim, qui non de missariis sacris peragendis sceleratum commercium ineat: nemo qui non commentitiis satisfactionibus, quas pro mortuorum redemptione Satan excogitavit, pretium statuat. Si per missam Christi sacerdotium, quod aeternum esse oportet, abrogatur, si sacrificium, quo semel omnia delicta expiavit, aboletur, si sanguis eius, cuius mun-

ditie abluimur omnes, consputitur, si tota redemptio morte eius acquisita dissipatur, si coena, qua nobis mortis suae memoriam commendavit, profanatur, si Dei maiestas erecto in eius locum idolo deiicitur: viderint qui faciendis missis sumptus suppeditant, qua satis speciosa ratione purgare se possint, quo minus istorum omnium rei agantur, quibus occasionem scientes ac volentes praebent. Si denique nullum a missa blasphemiae genus abest, quo Dei Christique gloria possit obscurari, viderint quoties sacrificulum ad altare mittunt, an non triumphum apparent, quo totum Christi regnum a Satana traducatur? In hunc modum si Christum cum sua cruce ludibrio habere, et prostituere homini christiano nefas non est, nihil erit quod non liceat. Imo vero mille potius mortes oppetenda, quam tale probrum sacrosanto Christi nomini, nostra culpa, aliquando inuratur. Quis enim eo intercessore confidat, quem suo sacerdotio, hoc est intercedendi munere, quotidie spoliet? Quis aeternam sui sanctificationem reponat in unica<sup>1)</sup> Christi oblatione, quam suppositis aliis assidue inducit ac oblitterat? Quis suarum sordium ablutionem speret a Christi sanguine, quem porcis conculcandum proiicit? Quis spem beatae vitae ex Christi morte concipiat, cuius fructum alio ut transferat, eam tota sua virtute enervat? Quis se Christi participatione, extra quam non nisi mors est, vivere cogitet, qui sacram eius communicationis tesseram disruptit? Quam conscientiae securitatem ad Dei tribunal afferat ille, qui eius gloriam, quam illibatam sibi uni servari poscit, ad idolum traductam procuret? Atqui in eo corde, cui sint illa omnia ablata, quae vel fidei vel pietatis scintilla restare potest? Illas praeterea satisfactiones dum mercantur, quibus a cruciato solvantur mortuorum animae, mirum nisi probe intelligunt, quam flagitiosa in Christum perfidia sese obstringant. Quotquot enim animarum salutem pretio nundinantur, eos veram illam ac unicam, quae non auro aut argento, sed pretioso Christi sanguine constitit, redemptionem abnegare, certo certius est. Iam neminem fore existimo, cui quidem in aliqua frontis [pag. 70] particula pudor haereat, qui conscientiae innocentiam in tenendis profanis illis sacerdotiis testari ausit: quorum quae purissima videntur, tantum execrabilis nequitiae secum trahunt.

Nunc ad te, o vir eximie, aliosque in universum omnes, qui in papae regno locum aliquem beneficij nomine obtinent, orationem meam refero. Quidquid proventus annuatim inde ad vos reddit, qua conscientia usurpare audeatis, quæro. Si in cancellis vestriatum iudiciorum haec disputatio versaretur, scio ad obtainendum satis superque esse, alle-

1) Sic princeps sola. Caeteræ: conferent.

1) una, 1576 seqq.

gari annorum praescriptionem: verum si huiusce rei cognitio ad bonos viros deferatur, qui iustum potius et aequum, quam annorum numerum expendant, quo titulo, amabo, vestram possessionem defendetis? Fingamus vero apud Dei tribunal hanc causam agitari, quando et ad illius cognitionem proprie pertinet, nec inter homines melior reperiri potest aut iustior arbiter. Facultates, quantum intelligo, quadrifariam partitas habetis. Nam partim decimis, partim annuis aut agrorum aut vectigalium pensionibus, partim blandis captionibus (quas vos extraordinarias oblationes), partim violentis exactionibus (quas spiritualia iura nuncupatis) constant. Decimas quia lex mosaica Levitis attribuebat, ad vos (leviticum scilicet genus) optima ratione nunc esse translatas dicitis. De his ergo primo loco disserendum. Quanquam supervacuum, ac prope ridiculum arbitror, anxiā de iure decimarum tecum disputationem instituere, qui non ignoras successiōnēm istam cupidorum hominum calliditate, vafre quidem, sed nulla probabili causa excogitatam. Nam quod ex apostolo (Hebr. 7, 12) citant, translato sacerdotio, legis translationem necessario sequutam, id quam infirmum sit et evanidum, ostendere piget. Ad Christum sane transiit Aaronis sacerdotium, cuius beneficio non certus rasorum numerus, sed universa sine exceptione fidelium natio in regale sacerdotium assumpta fuit. Quid hoc ad nescio quos pseudolevitatis? quibus ne postrema quidem subsellia in Dei populo concedimus. Quod si in Levitarum vices subierunt, eadem qua ipsi fuerunt conditione: cur praeter decimas tot possessiones absorbere, tantam undique rerum varietatem corradere sibi permittunt? Ea enim lege huiusmodi portio Levitis assignabatur, ne pedem terrae praeter domicilium possiderent (Ios. 14, 3 et alibi). Cur vini usum tam benigne ac liberaliter sibi indulgent, quod Levitis gustare non licebat? Faceant ergo nugae istiae: quas tametsi refutatione indignas duocabam, quia tamen video imperitis fumos offundere, verbo uno [pag. 71] attingere necesse habui. Evidem si quibus ordo iste approbetur, ut quemadmodum apud Israelitas decimis alebantur Levitae, ita in populo etiam christiano decimae colligantur, quae in alimenta pastorum conferantur, et pauperum, nihil reclamo: quin potius eorum sententiae meum quoque calculum addo; quandoquidem alicunde certe desumi, quod ad sustentandos ecclesiarum ministros impendatur, necesse est. Nec expedire mihi videtur, quod aequissime constitutum fuerit, sine causa innovari: modo ne ius illud leviticum falso praetendatur, et ecclesiastici pastoris stipendum, non decimarum fertilitate, sed apostoli praescripto definiatur, ut sit necessariis vitae subsidiis contentus. Caeterum quum in hos usus destinantur decimae, simul arcentur, velut positis repagulis, omnes isti pigri ventres, qui se illis nunc

soli referciunt, ne segetis spicam, aut pullum unum attingant. Ut nunc autem res habent, decimas nullo neque divino, neque humano iure sibi debitas extorquendo, improbissimo furto, in alienas fortunas invadunt. In iure annuarum pensionum describendo, hoc est (nisi fallor) γενικότατος θεώρημα,<sup>1)</sup> omnes donationis titulo vobis obvenisse, quam iurisconsulti Ob causam<sup>2)</sup> vocant: ut missae sacrilegio, aliisque incantatoriis precibus, ex illo utopiensi purgatorii carcere mortuorum animas eliceretis. Sic enim in papae schola instituti homines fuerunt, ut delictorum conscientia trepidis hac demum conditione spes obtainenda veniae proponeretur, si vel poenam nihilominus Dei severitati exsolverent, vel satisfactione redimerent. Supplicii exactio, purgatoriae flammæ ardore torri fuit: satisfactio, in monachorum ac sacerdotum ventres ingurgitare, quod eorum iudicio ad delicti compensationem satis foret. En quibus natae exordiis, quibus deinde incrementis progressae hucusque sint vestrae possessiones: quo pervenisse hodie videamus, ut nulla sit prorsus terrae uncia, quam non acceptam purgatorio referre beatis. Nunc te coram Deo appello, vir mihi amissime, aliosque qui a verbi Dei puritate non abhorrent, quorum ex animis discussus est inanis ille purgatorii fumus: quum probe intelligatis, quascunque tenetis possessiones, non alia lege vobis fuisse transcriptas a suis dominis, nisi ut a purgatorii cruciatu vestra intercessione solverentur, parum dico, nisi ut abominandae ipsorum impietati a vobis satisficeret: iustumne possidendi rationem vobis constare ducitis? Sane leges civiles (quum nihil voluntati magis adversum sit quam error) donatorem, qui vel errore deceptus, vel fraude circumscriptus fuerit, absolvunt. Donations autem istas solo errore niti, bona [pag. 72] etiam ex parte impostura non carere scitis. Iisdem legibus, quae illicitam conditionem habet donatio, irrita esse pronunciatur. Nulla est istarum donationum quae horribili Dei blasphemia non vos obstringat. At nihil ducendae sunt eiusmodi leges. Quis autem vobis permisit alienas copias vestro arbitrio obtainere, quae dum adscripta lege vobis ceduntur, nisi illa intercedente vestra non fiunt? Ius enim istud pactorum, quae mutuam habent obligationem, pervulgatum est ac cuivis cognitum: ut agere ex pacto non possit, nec fructum ullum percipere, nisi qui defunctus promisso fuerit. Itaque aut aliena usurpatis, aut ea conditione vestra sunt, quam in se receperunt, quorum per manus vobis sunt tradita. Quod si flagitia haec illis pacisci fas non fuit, vobis in pacti societatem succedere qui liceat, considerate. Itaque nisi accensa

1) Une maxime generale, *veritatem translator gallicus.* 2) Donation pour cause, *idem.*

purgatorii flamma, calere hac parte culina vestra non potest: quo exstincto, tantundem remittatur oportet. Nam ~~whom~~<sup>hunc</sup> quidem oculis praestigias, quibus ludificantur, offundere promptum est: ad Dei autem tribunal ubi causa vestra vocata fuerit, quemadmodum certe olim vocabitur, solo furti praedaeque titulo praetexta corruet. Quae autem donarium et anathematum nomine templis oblata in crumenas vestras recidunt (quod tertium fecimus vestiarum opum genus) sic anathemate referta sunt omnia, ut ad ipsum contactum vos non exhorrescere valde mirer. Quibus idolis, quanta cum Dei contumelia, qua superstitione offerantur, vobis clam non est. Quo tamen haec quasi vobis dicata devoretis, vos talium sacrorum mystas et antistites profiteri nihil pudet. O Roma (ut uno verbo Radicem Omnium Malorum Avaritiam<sup>1)</sup> complectar) quot aliqui non male nata ingenia corrumpis, pessima tua educatione corrupta magis ac magis nequitia depravas, ita depravata perdis? Tantane caecitate percussos esse homines, ut quum e manibus offerentium suscipiant consecrata idolis donaria, quae talium superstitionum antistitibus sint destinata, tota idolatriae participatione illigari se non cogitent? Si tantus Domini furor in Israelitas exarsit, ob claniculariam anathematis expilationem (Ios. 7, 1 ss.): quam impunitatem exspectant, qui ad deglutiendas execrationis plenas oblationes, idolorum sacrificii praeesse non verentur? Sequuntur iam exactiones, quae iura spiritualia vobis autoribus censentur: quae ab oblationibus voluntariis eo differunt, quod illis quidem fraudulentem populus circumscribitur, his autem hostiliter vexatur. Ac tui [pag. 73] quidem ordinis homines, quorum latrociniis putet latior campus, opimiores praedas agunt. Sic enim inter suos distinxit romanus archipirata, ut quo quisque gradu proprius ad eum accedit, eo licentius praedetur. Aequae tamen immaniter depopulant alii omnes, quod suae rapacitati putant attributum. Itaque obsignator ille rapinarum tuarum annulus, copiosiore multo praeda quotannis te onerat, quam minutum aliquem paroecum sua in corradendo converrendoque strenuitas: nihilo tamen minus dirae ac sanguinariae sunt illius vexationes, quibus plebem ille suam pro suo modo exercet ac fatigat. Porro quantum quisque accipit, tanto se peculatu obligat. O nunquam satis detestatas opes, quamlibet insana hodie multorum cupiditate (quae est saeculi nostri perversitas) furiose expetantur, in quibus nummus nullus

est non furto, aut sacrilegio, aut latrocinio pollutus! Illisne placide fruentur, ac se beabunt Christiani? Scilicet, si tanti sunt, ut earum causa spe aeternae haereditatis nosmet ipsos abdicare debeamus: quam sane neque fures, neque rapaces unquam consequentur (1 Cor. 6, 9). Sed operae pretium est audire speciosam quorundam exceptionem. Sunt enim qui se pulcherrime excusatos putent, quod has utcunque partas facultates, non turpiter, nec libidinose dilapident: sed partim in moderatos vitae usus conferant, partim vero decidunt sublevandae pauperum egestati. Quasi vero ista satis ad furem praeodonemve purgandum defensio valeat, si suam domi parsimoniam et frugalitatem approbarit: aut accepta sit Domino benignitas, qua furtorum reliquias egenis impartimur. Qui frangere quidem esurienti panem iubet, sed nostrum; qui iubet elargiri pauperibus, sed de nostra substantia (Ies. 58, 7; Prov. 3, 9). Contra vero, vehementi interdicto canis mercedem sibi vetat offerri (Deut. 23, 19): quo symbolo immundam et scelere quaesitam quamvis oblationem, abominationi sibi esse designat. Adeo verum est quod scripsit ille (Eccles. 34, 24), eum qui e pauperis substantia sacrificium offert, non secus aestimari coram Domino, quam qui filium in patris conspectu mactat. Tu vero, tuique similes, quorum turpitudini ne<sup>1)</sup> sub hoc quidem inani et perfluo integumento locus est, quid obtendetis? Iam vobiscum summo iure, hoc est, Dei verbo non discep tabo: sed quid, si ius ipsum canonicum (cuius beneficio vivitis) repetundarum vos etiam damnet? ac item non multo minoris quam pro nostra postulatione aestimet? Velitis, nolitis, fateri hoc convenit, nihil hic a vobis plus<sup>2)</sup> usurpandum, quam quod ipsis canonibus [pag. 74] defertur. Atqui non adeo Spartacum<sup>3)</sup> vestrum depuduit, quin ferinis suis sanctionibus hoc saltem Hieronymi verbulum insereret: Bona clericorum, bona pauperum esse, quibus ultra exigua frugique alimenta si quis abutitur, eum pauperibus furari. Immanis autem illa profusio, quae domi vestrae visitur, quid cum hac regula simile habet? Iniuriam, scio, vobis a me fieri clamabit, omnes pseudoevangelici praesules, qui sub iugum piis omnibus executiendum indigne vos adigam. Mihi vero hic de vestra aut libertate, aut servitute non est institutus sermo: sed quemadmodum in agri iure dignoscendo, non quallem habeat dominum, sed quo ipsum iure leges regionis esse definierint, quaeritur: ita seposita vestri mentione, quae in papae ditione sacerdotia, non nisi illius permisso, ac secundum eius leges obtinetis, fundum

1) Sola editio princeps hic literis uncialibus utilur, scilicet acrostichidis ludo (ROMA) adversarios acierius lacessitura. De quo ipsum autorem cogitasse eo magis probabile est, quod ipsa sententia verbo tenus ex 1 Tim. 6, 10 desumpta etiam antea et ab aliis in eundem finem usurpata fuerat. Vide Oli vetani versionem gallicam S. S. ad Apoc. 14, 8.

Calvini opera. Vol. V.

1) ne, vitiouse omittunt recentiores 1576 seqq. 2) plus, omittunt eadem. Gallus habet: sinon autant que les Canous le permettent. 3) Vostre grand brigand. G.

suum sequi dico: hac inquam lege teneri vos dico, ne quid plus e sacerdotii in rem vestram convertatis, quam per papisticos canones vobis conceditur. Quorum vinculis adstringi si vos piget, illis ne vos ultro implicetis. Sed quid in hac re evincenda anxie labore? quandoquidem eos, quorum liberalitate locupletates estis, nihil dubium est non ideo detracatas haeredibus proprias opes vobis tam plena manu fuisse elargitos, ut regiis lautiis instrumentum ministrarent: sed vestrae fidei commisisse, quae bonis viris cum pauperibus communes forent. Itaque non tam earum vos dominos, quam oeconomos instituerunt. Si extremum est perfidiae genus in deposito fidem fallere, vobis sane ignoscendum nullo modo est, qui adeo insigni improbitate pauperibus prævertitis,<sup>1)</sup> quod apud vos depositum in hoc fuerat, ut in eorum manus perveniret.

Huic malo alterum quoque proximum est: quod eam personam non potestis sustinere, quin multa offensionum semina variis modis spargatis. Ut istud unum sati causae sit homini christiano, quo centum simul sacerdotiis, quamlibet optimis et splendidis, se protinus abdicet. Nemo enim fere piorum est, qui non isto exemplo magnopere perturbetur. Qui paulo sunt adhuc imbecilliores, hac dubitatione percelluntur, iocone an serio, malitiosene an sincere adversus papistas contendamus: dum nostrae partis homines papae stipendiarios<sup>2)</sup> simul vident. Alii dubitare malunt, sitne res licita, a qua viros, quos ipsi non malos existimant, nequaquam abhorrende vident. Quidam etiam animosiores ad imitandum accenduntur. Plerique totam fabulae ac ludibrio religionem vobis esse, merito persuasum habent. [pag. 75] Christi autem adversarii, quibus non calumniis sanctum Dei evangelium proscindunt? quibus non loedoriis Christi servos subsannant? quos non triumphos agunt? Quid dicam? Perquam pauci sunt, qui non ad vitae vestrae lapidem, aut hoc, aut illo modo impingant. Qualis hic (malum)<sup>3)</sup> est stupor: ad omnia proborum aequa ac pravorum hominum iudicia nec tantillum commoveri? praesertim ubi per vestram ignominiam, sannasque illas ac scommata, quibus caeca vestra cupiditas iure optimo perstrigitur, ipsam quoque Dei maiestatem illudi, sacrum eius evangelium maledictis lacerari, venerandam eius religionem conculcari intelligitis? Si sanae mentis guttula, ut ita dicam, in vobis resedisset, ac non illa vos nescio quae rabies corpore et animo peni-

tus transversos<sup>1)</sup> egisset, primo statim limine vos Dominus admonebat, ne ad hoc letale præcipitum gradum iaceretis. Quibus enim primordiis estis auspicati? An non in papae nomen ac verba iurat totum illud cornutum episcoporum, abbatum, ac priorum pecus, dum romanae sedi obsequentes, studiososque dignitatis illius vindices sacramento adacti, se pollicentur? Minorum autem classum sacrificuli, an non etiam ipsi, sua quadam iuramenti forma, sanctae matris ecclesiae obsequio devoventur? Huiusmodi auspicia quem faustiore eventum portendere<sup>2)</sup> valent? Imo quam nullis ambagibus infeliciem exitum minantur? Quare, vestram hebetudinem minus iam mirari incipio: qua hand dubie vindicari tantus ille Dei contemptus merebatur. Quatamen excusatione culpae partem nonnulli deprecantur, practereundum non est. Nam etsi ingenue fatentur, reprehensione se non penitus carere, minori tamen publico malo ecclesiis se præcessere dictant, quam si deteriores illis praesiderent (quales sunt iurati Christi hostes) qui evangelii ruinam ex professo machinantur.<sup>3)</sup> At si haec ratio recipitur, cur non speluncas occupamus? itinera obsidemus? in insidiis excubamus, eo animo, ne viatores, ut efferati isti solent latrones, violamus, sed spoliatos dimittamus? Sic enim mitioribus latrociniis mundus infestaretur. Enimvero boni viri est, non imbororum hominum subire vices, quo mala quadam tenus moderetur, sed cum improbis, ac cum ipsa etiam improbitate acerrimum bellum gerere: quo suo conatu si parum proficit, suum tamen officium sic praestiterit. Quod illi satius esse debet, quam delicto uno mille flagitiis occurtere. Fures itaque excipiendis praedis, latrones hominibus iugulandis sannamus esse intentos: nos vero, si Christiani [pag. 76] sumus, in omnem puritatem, innocentiam, sanctitatem vocatos meminerimus.

Si tantum exhortatione mea profectum est, ut te ad dandas Domino manus, affectumque tuum illius imperio penitus subiiciendum compararis, non dubito, quin iam in me respicias, mecumque deliberes, qua ratione in meliorem viam recipere te queas. Ego vero, quanquam opportunitate praesenti ad aliquid pro Christi gloria fortiter animoseque gerendum uti te malim, nisi quid tamen melius potes, ex eundem tibi primo quoque die censeo. Te enim quoquo modo ex hac palude evolvi praestat, quam diutius illic haerendo, et in illius gurgite profundius in dies defigi, et coeno magis magisque conspurcari. Satius illud quidem et longo optabilius, ne tantam illustrandae Domini gloriae occasionem

1) Sic sola princeps. *Edd.* 1550—1576: *praeripitis.* 1597 seqq.: *præcipitis* (*Vous frustrez G.*). 2) *Princeps habet:* stipendiarii, *quod correctoris oscitaniae deberi videtur* (quand ils voient des gens de nostre partie estre vassaux du pape G.). 3) In hoc vocabulo errorem aliquem latere facile conieceris. Gallus tacet. Editiones omnes parenthesi includunt.

1) *Edd.* 1576—1611: *transverso, male. Amstelodamensis genuinam lectionem restituit.* 2) *pertendere,* 1576—1611. 3) *Princeps habet:* *machinentur.*

e manibus amittas: quando ea est rerum agenda-  
rum penes te facultas, quae si tota in Dei obsequia  
optima fide impendatur, multum momenti ad pro-  
movendum evangelium afferre possit. Et nostrarum  
est partium, non ignavia torporeque nostro admit-  
tere, ut hoc genus opportunitates, e Dei manu no-  
bis oblatae, infructuosae pereant. Sed enim si praes-  
tando veri fidique pastoris officio nullo modo idoneum  
te vides, hoc secundum est, male tibi assignat-  
num munus ut deponas potius, quam indigne ac  
perfidiose administres. Cedendo enim, episcopum te  
non esse saltem declarabis: cuius personam nunc  
sustines, et functionem profiteris. Evidem si aut  
ecclesiae christianum in morem utcunque compositae  
legitimo ritu praefectus esses, aut etiam plebem istic  
haberes tua sedulitate Christo acquisitam, cuius  
oculi in te ceu ducem ac pastorem converterentur,  
nunquam concedarem, ut abiecta temere non dubia  
Domini vocatione libertatem tibi sumeres alio, quo  
ferret animus, demigrandi. Christianis enim (quos  
in sua vocatione perstare decet) aliena est desul-  
toria ista levitas. Sed ab hac minime recta vivendi  
via, in quam te Satana, non Domino, vocante con-  
tulisti, quo minus pedem referas, quid te impedit  
non video. Omnino sane, aut tibi quod ab episcopo  
requiri audis praestandum est, aut sedes episcopi  
deserenda. Flebiles illas vestras querimonias novi:  
quibus si quis ad indulgendarum vobis veniam non  
permovereatur, eum non hominem esse iudicatis.  
Quid? Ergone fortunis omnibus exuti, hinc nos ve-  
lut e presentaneo incendio proripiems? Quid au-  
tem fiet miseris nobis? Scilicet ut qui tranquille  
[pag. 77] ac placide in nostro habitamus, vagi ac  
palantes in alienas concedamus, nobisque incognitas  
terras? Quorum largitate vivunt plurimi, precariam  
paene vitam aliorum beneficio agitemus? Qui de-  
liciis assuevimus, non sine dignitate, tenuiter, aspere,  
contumeliose victitemus? Quibus nunc otiosis seritur  
ac metitur, atrum ex iure hesterno panem, ut ille in-  
quit, sudore nostro manibusque partum voremus? Ve-  
rum adeo speciosis querelis uno verbo respondeo. Er-  
go Christiani ne sitis. Christianum enim haec manet  
necessitas, ut si furabatur, furari iam desinat: sed ma-  
nuum labore potius, et sua, et fratum inopiae succur-  
rat (Ephes. 4, 28). Grave quidem, non secus atque  
abiecta sui cura, subsidiis praesentis vitae omnibus  
exuere se ac nudare: sed multo gravius haberi debet,  
tot maleficiorum conscientiam sustinere, cuius  
flagellis exagitari te, cuius aculeis perpetuo lanci-  
nari (si tamen Deum vivere, atque alteram quan-  
dam in eius regno vitam fore putas) necesse est. Du-  
rum et istud quoque est, fateor: natale solum, ubi  
et amoenissime et honorifice accipiaris, aliena re-  
gione, in qua futurus sis abiectus hospes, exsiliis spe-  
cie vertere: sed multo etiamnum durius, quoquo te  
vertas, iudicium hoc circumferre. Quod ne dubium

nobis foret, Dominus per suum praecomenem iam pri-  
dem promulgavit: sic enim apud Zachariam (11, 17)  
legimus: O pastor inanis, derelinquens gregem! gladius  
super brachium eius et super oculum dextrum eius:  
brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter  
eius obscurabitur. Quanquam hic etiam mirificum  
artificem Dominum experintur fidoles, qui rem ho-  
minum iudicio tam acerbam, paupertatem dico, suau-  
em illis, verbi sui condimento, gratiosamque redi-  
dit. Non quod asperitatem prorsus nullam gustu  
percipient: sed quia illa condimenti suavitate tem-  
peratam non nimis aegre, quin nec sine eximia iu-  
cunditate ferunt. Quod si tamen alterutrum eligen-  
dum tibi sit, ut vel calamitosam probitatem secteris,  
vel calamitatem nequitia effugias: cur non sanctam ac  
dignam vocatione tua vitam potius in miseriis agas,  
meliori expectatione fretus, quam momentaneam  
nescio quam mollitatem Dei indignatione et aeternae  
mortis ultione redimas? Ita est sane: si ad illam  
populo Dei promissam haereditatem serio adspiras,  
Mosen te viae ducem sequi oportet: qui eiurato  
Pharaonis genere, satius sibi esse cum Dei populo  
affligi duxit, quam temporiam habere peccati frui-  
tionem: pluris Christi opprobrium quam omnes Aegyptiorum [pag. 78] divitias aestimans (Hebr. 11, 25).  
Nam ut ille simul et nepos vocari Pharaonis, et in-  
ter Abrahae filios censeri non potuit, nec Dei be-  
nedictionem una cum Aegyptiis opibus possidere,  
ita vanissima spe te ipsum lactas, si locum tibi in  
Dei populo esse confidis, dum in Antichristi castris  
meres: si et coeleste regnum cum Dei filio, et cum  
scelestis latronibus furta ac rapinas participare te  
simul posse speras. Quare nec illa solenni vobis  
deprecatione magnopere moveor, nisi multa huma-  
nae imbecillitatis vitia, qualia scilicet in piorum carne  
semper resident, toleramus (ut in hominibus nihil  
est perfectum), nos Christianum neminem posthac  
relicturos. Quin neque penes nos mansurum Chris-  
tianorum nomen, nisi cum venia vita nostra ex-  
pendatur. Hoc autem vestrum delictum, si quod  
nominari aliud potest, eiusmodi esse cui merito sit  
ignoscendum. Nostram illam communem omnium  
imbecillitatem scimus sane, et hanc veniam petimus  
que damusque vicissim: ne propterea quod interdum  
titubamus ac labimur (quod perfectissimo cuique  
saepius quam optandum faerit accident), Christiani  
tamen inter nos haberi desinamus. Sed non alia lege,  
nisi qui sic claudicat, vacillat ac decidit, viam nihilo  
minus Domini sequatur: neque vero claudicatione  
sic impediatur, quin enitatur contra, incedendique  
difficultatem eluctari strenue contendat: utcunque  
vacillando trepidet, nunquam deficiat animo: collap-  
sus, etiam in pedes se recipiat: nulla denique re-  
mora sic tardetur, quin intentis in Dei regnum oculis  
coemptum iter persequatur. Eos, inquam, cum  
suis delictis et lapsibus fraterna benignitate com-

plectimur, eos fratrum in numero, retinemus, eos in sinu nostro fovemus, quos vita christiane instituta toto animo aspirare ad Dei regnum appetet. Etsi ne pios quidem sic cum suis vitiis ferimus, ut ea palpando ac blandiendo nutriamus: sed quos Dominus servos suos agnoscit, e nostro consortio non abiicimus. In te vero quid prorsus simile? cuius vita nec christianam ullam vocationem praefert, et toto cursu a via Domini aversa est? Proinde quamdiu pauperum sanguinem furtis ac direptioni-

bus exsuges quem postea luxuriose profundas, quamdiu locum pastoris ad perdendas nequissima perfidia oves occupabis, quamdiu in eo eris hominum grege quos latrones et sanguinarios ecclesiae suae praedones Christus appellat, de te, ut voles, aestimabis: mihi certe nec vir bonus eris, nec Christianus. Vale.<sup>1)</sup>

1) Vale, deest in editione principe.

A p o c . 3.

Scio opera tua: quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans et confirma caetera quae moritura erant. Non enim inveni opera tua plena coram Deo.

I b i d e m .

Scio opera tua: quia neque frigidus es neque fervidus. Utinam frigidus esses, aut fervidus. Itaque quoniam tepidus es, et nec frigidus nec fervidus, incipiam te evomere ex ore meo.

CATECHISMUS  
SIVE  
CHRISTIANAE RELIGIONIS INSTITUTIO  
COMMUNIBUS RENATAE NUPER IN EVANGELIO GENEVENSIS ECCLESIAE SUFFRAGIIS  
RECEPTA,  
ET VULGARI QUIDEM PRIUS IDIOMATE,  
NUNC VERO LATINE ETIAM,  
QUO DE FIDEI ILLIUS SINCERITATE PASSIM ALIIS ETIAM ECCLESIAS CONSTET,  
IN LUCEM EDITA.

IOANNE CALVINO AUTORE.

BASILEAE, ANNO M D XXXVIII.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

OMNIBUS CHRISTI EVANGELIUM RELIGIOSE COLENTIBUS  
MINISTRI GENEVENSIS ECCLESIAE GRATIAM ET PACEM, VERAEQUE PIETATIS  
INCREMENTUM A DOMINO PRECANTUR.

Ne quis eximia Catechismi huius nostri elogia exspectet, talem esse libenter confitemur, ut consutius futurum fuisse videri forte nonnullis queat, ipsum intra ecclesiae nostrae fines contineri, neque latius invulgari. Nam ut est pia magis facilitate, quam acuta sublimique eruditione conscriptus, ita rarum quendam doctrinae fructum inde colligi posse, praesertim inter latinos homines, non adeo magna spes est. Neque sane eramus edituri, nisi nos alia, quam industriam nostram apud exteris gentes venditandi, ratio impulisset: quam ideo vobis exponere libet, ne quis editionis istius consilium secus interpretetur, quam animus noster tulerit. Quod in primis nostra referre scimus, ut se mutua dilectione ecclesiae omnes complecantur, non alia via melius obtineri potest, quam si ultro citroque compertam ac testamat habeant suam in Domino consensionem: qua nobis nullum exstat arctius vinculum, ad retinendam animorum concordiam. Id autem si quando alias conducibile fuit, nostro certe saeculo maxime est necessarium: quod tanta suffusum malignitate conspicimus, ut a falsis criminacionibus nulla innocentia, nulla simplicitas a suspicionibus satis tutu sit. De aliis tacemus. Sed nos ipsi compluribus iam experimentis plus satis edocti sumus, quantum delatoria iniquitas, non ad diducendos modo bonorum aliqui virorum animos, sed ecclesias quoque ipsas paene divellendas proficiat, quoties de re non plane explorata sinistros rumores spargere potest. Porro ut non temere restinguitur incendium, quod longe lateque iam exarserit: sic talibus malis, ubi semel exorta fuerint, obviam ire nobis serum est. Mirum enim quantum exiguo temporis spatio serpat calumniarum virus: ut nunquam mederi prius queas, quam multorum mentes infecerit. Iam vero remedium ipsum perquam difficile est: quo scilicet difficilius, mentem hominis vitiosis opinionibus imbutam repurgare, quam inquinare. Siquidem ad prima indicia concipienda, nihil nobis proclivius: semel suscepta non nisi aegerrime deponimus. Quum ergo vanis delationibus aliquoties exagitati, didicerimus valde esse metuendas: iis in posterum, quoad licet, ansam praecidere malumus, quam exspectare: dum

consertis manibus cum illis luctandum sit. Id quoniam nullo compendio promptius assequi posse nobis videbamur, quam si publice extaret certum aliquod doctrinae nostrae specimen, vel catholica potius testificatio, Catechismum hunc, qui vulgari nostro idiomate dudum editus fuerat, publicandum etiam apud alias ecclesias censuimus, quo veluti obside accepto, nostrae secum unionis certiores fiant. Et si non ambiguas suae erga nos benevolentiae sinceraeque dilectionis significaciones, et praebuerunt antea, et assidue praebent ecclesiastici pastores, quos pietatis, sanctimoniae, eruditionis ergo plurimi aestimamus. Ut appareat de religionis nostrae puritate, nihil minus secure esse persuasos, quam si monimentis centies consignata foret. Sed nec illi soli sunt, quorum haberi rationem convenit: et minime timendum est, ne modum hac in re excedamus, in qua nihil nimium esse potest. Porro doctrinam, qua plebem nobis a Domino commendatam instituimus, sic sanctae veritati consentaneam esse confidimus, ut nemo futurus sit piorum, qui non istic quem habet de religione sensum, recognoscat. Quando non nostra ingerere studuimus: sed e puro Dei verbo sumpta sobrie fideliterque administrare. Praesertim vero qui non iniquissime iudicare volent, facile statuere poterunt, quam iniurius ille nobis fuerit, qui nos non minus obscura quam obliqua suspicione apud bonos gravare conatus est: ac si nostra, de personali in Deo uno distinctione, sententia non nihil ab orthodoxo ecclesiae consensu dissentiret. Et ille quidem, prout eius non impietas modo, sed flagitosissima etiam vita meretur, hominum iudicio ad tempus elapsus est, ut divinae ultioni servaretur, cuius manifestas iam notas in eo apparere, omnes vident. Dominus autem innocentiae nostrae vindicem in tempore se exhibuit: qui viam mature praeclusit mendacio tam impudenti, ne vel serperet longius vel diutius piis pectoribus insideret. Nos certe, gratia Domini, nec male adeo in scripturis exercitati, nec adeo infeliciter versati sumus, ut in luce tam perspicua caecutiamus. Utcunque enim aliis involuta et tantum non caliginosa videatur istaec demonstratio, nos tamen illic in una Dei essentia per-

sonarum trinitatem plusquam evidenter designari agnoscamus. Iam vero confessionem, solenni iure*iu*re*iu*rand*o* ab*u*niverso*p*opulo editam, non sine ratione adiungendam curavimus. Nempe ut si quopiam temerarius de hac re fuerit delatus rumor, cuius non levem auram sentire coepimus, ne (ut usu venire solet, quum res ad liquidum comperta non est) sint, qui nos quipiam novo exemplo esse admolitos suspicentur: quod senatus nostro fuimus autores sacramenti istius exigendi. Evidem facti nostri aequitatem clarius elucere arbitramur, quam ut defensione ulla, saltem apud cordatos prudentesque viros, opus habeat. Atqui ne sic quidem quorundam criminationes effugere potuit. Tanta est imperitia morositas, ut vel in rebus probatissimis, habeat semper quod reprehendat. Nos ergo qui officii nostri esse ducimus, omnibus quantum in nobis est, satisfacere: paucis indicabimus quam solida nobis istius consilii ratio constet. Quanquam post abominationem papismi, verbi virtute hic prostrata, senatus consulta edictum fuerat, ut sublati superstitionibus, earumque instrumentis, ad evangelii puritatem urbis religio componeretur: nondum tamen ea extare nobis videbatur ecclesiae facies, quam legitima munera nostri administratio requireret. Ut cunque enim aestiment alii, nos certe functionem nostram adeo exiguis finibus terminatam non putamus, ut concione habita, ceu persoluto penso, conquiescere liceat. Propius multo ac vigiliori opera curandi sunt, quorum sanguis, si desidia nostra perierit, a nobis reposcetur. Si quando autem alias nos anxijs habebat haec sollicitudo, tum vero acerrime urebat ac discruciat, quoties distribuenda erat Domini coena. Quum enim multorum dubia nobis foret, et maxime etiam suspecta fides, omnes tamen promiscue irrumpebant. Et illi quidem iram Dei vorabant potius, quam vitae sacramentum participabant. Atqui an non ipse quoque pastor tantum mysterium profanare credendus est, qui delectum in eo communicando nullum habet? Quare non alia lege pacem ac quietem obtinere cum nostris ipsorum conscientiis potuimus, quam ut solenni professione nomen Christo darent, qui in eius populo censori, atque ad spirituale sacrosanctumque illud epulum admitti vellent. Id in baptismo, inquit, semel factum fuerat. Sed nemo non defecerat a baptisi professione. Si militiae desertori primum sacramentum, quod perfidia sua violavit, sufficere autem, verbum pro causae nostrae patrocinio non faciemus. Sin ipse quoque sensus communis aliud dictat, omni calumnia liberamur. Neque vero aut illustribus exemplis, aut scripturae etiam suffragio destituimur. Circumcisionis foedus habebat in corpore suo impressum populus, quem ad novum foedus paciscedendum Moses exhortatus est. Eadem foederis renovatio a sanctis regibus Iosia et Asa exi-

miis postea libertatis vindicibus, Esra et Nehemia facta est. Cui iam criminacioni patere factum nostrum potest, tot classicis autoribus munitum? Tanta igitur necessitate adacti, senatum ea de re nostrum appellavimus: et oblata confessionis formula, impense rogravimus, ut ne dare Domino gloriam in profitenda eius veritate gravaretur. Aequum esse, ut in actione tam sancta populo suo praesarent, cui se omnis virtutis exemplar esse oportere noverat. Quae erat postulati nostri aequitas, facile imprevimus, ut plebs decuriatim convocata in confessionem istam iuraret. Cuius in praestando iuramento non minor fuit alacritas, quam in edicendo senatus diligentia. Atque divinae legis observacionem iure*iu*rand*o* polliceri iussi sunt, id vero excusari nullo modo potest. Qui tam inconsiderate obstrepere audent, non animadvertisunt quibuscum certamen suscipiant. Quale enim est foedus, quod Iosias, approbante Domino, suo populique nomine percussit? Nempe ut coram Domino ambularet, praecpta et testimonia et iustificationes eius custodiret in toto corde suo et tota anima: quibus conditionibus universi Iudei fidem suam, non sine iure*iu*rand*o*, obstrinxerunt. Sub Asa iisdem legibus foedus sancitum fuit, iuratumque in toto corde cum iubilo, cum voce magna, clangore tubae, et sonitu buccinarum. Idem sacramentum, stipulantibus Esra et Nehemia, praestitum fuit: in quo etiam parentes pro tenellis liberis, et fratres natu grandiores pro nondum adultis spondebant. Eiusmodi iuramentis, quibus ad servandam Dei legem homines obstringebantur, praefuisse Dominum, scriptura testatur. Neque mirum, quum sub aeterno illo foedere continerentur, quod semel, ipso praeside, auspice atque autore, statim post legem promulgatam, sancitum fuerat. Cum tot ergo ecclesiae primoribus, cum principe omnium prophetarum Mose, cum Deo ipso discepient, qui talem promissionis formam licentiosa maledicentia insectari sibi permittunt. Sed quo iure Dominus in peierandi fraudem suos induxisse putabatur, qui legis suae observationem stipulando, misericordiam vicissim et peccatorum veniam promittebat? Cur periurii populus arguetur qui se obstringendo, gratiam sibi oblatam simul apprehendebat? Quod si tamen hanc, quam conscripsimus sacramenti formulam, cum illa mosaica compararint, tot sanctis viris damnatis, absolvere nos cogentur. Nos enim sumus internunci foederis, quod Dominus dum per Ieremiam pollicetur (Ier. 31, 31 ss.), inviolabile fore pronunciat. Siquidem nobis mandatum est verbum reconciliationis (2 Cor. 5, 19), cuius summa est: Christum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccati purgationem esse factum, ut iustitia Dei in illo simus. Hic non exigitur ab hominibus, ut legis iustitiam consequentur: verum ut propria iustitia destituti, Christi iustitia induan-

tur. Quin nostra confessione continetur, observationem divinae legis impossibilem esse. Et sunt tamen qui palam tremant, nos simpliciter populum ad promittendam legis impletionem sacramento adegisse: propterea quod se confessionem servaturos iurarunt, in qua lex Domini comprehensa foret. Neque respiciunt, quid de lege ipsa disertis verbis illic doceatur. Iam ad vos peculiariter sermonem convertimus, o Fratres, qui regendis pascendisque Christi ecclesiis, spiritus sancti auspiciis estis designati. Si uni principi, adversus eundem hostem, uno belli gerere,<sup>1)</sup> iisdem in castris militamus, iis omnibus membrinus ad concordiam unanimitateunque non mediocriter nos incitari. Non est certe parvi honoris, quod dux tantus suis ordinibus nos dignatus est. Proinde ingratissimi sumus, nisi nos illi devovemus totos. Quod ut fiat, non modo studium, ad gerenda eius negotia, bona fide applicare, sed utroque etiam oculo in eius nutum intueri convenient. Utrumque autem valde necessarium. Inde enim ut plurimum certamina ebulliunt, quod se ipsum quisque, non Christum quaerit. Nec minores interdum contentiones accidunt, qui ad exsequenda sua munia fideliter animi studio intenti, sensum tamen suum magis quam ducis signum sequuntur. Quanquam si vere aestimare placet, bene agendi principium militibus est, deposita omni contumacia, prorsus a ducis arbitrio pendere. Sibi enim profecto studet, qui ut cunque sibi addictus est. Quod si imperatori Christo nostra obsequia approbare cupimus, piam inter nos conspirationem ineamus necesse est, ac mutuam pacem foveamus, quam suis non commendat modo, sed etiam inspirat. Quid? an non hostis quoque ipse diabolus aculeos nobis ad syncretismum agendum admovere debet? Tametsi enim belua est tot capitum, videmus tamen ut ad impetendum Christi regnum in densum cuneum se agglomeret? Si in principe odiorum, factionum, dissidiorum, ea est consensio: quanto nos pressius animos et copias coniungere decet, qui pro rege pacis adversus eum confligimus? Huc nos et pugnae species hortatur. Adversus Satanae mendacia quibus armis instruimur, nisi Dei veritate? Ea sublata, nudi atque exarmati relinquimur. Atqui ut una est et sibi constans, ita nostris concertationibus distrahi se non patietur. Postremo, quum ad propugnanda eadem castra simus collocati, quid nobis volumus, dum intestinis praetiliis tumultuamur? Quod si parum nos afficiunt tot rationes, animum saltem advertamus ad id quod Christus clamat: Non posse servis suis vulnus imprimi, quin ipse sibi inflictum imputet. O si men-

tem nostram subiret haec cogitatio, periculum esse, ne in Christum impingamus, quoties ad suscipiendum cum iis certamen titillamur, in quibus vel scintilla una pietatis emicat: quot pullulantia contentionum semina suffocaret, quot effervescentes iras extinguqueret, quot exorientes rixas opprimeret? Verum et nos ipsi, altera ex parte, servi Dei sumus. Tanto igitur magis curandum est ut Domini nostri insignia et ornamenta, ubique apparent, reveremur et colamus. Ita pro se quemque iure suo ultro cedere, et multum remittere par est: nisi di gladiando volumus Dei dona concerpi et lacerari: quibus suus honor haberi nequit, quin simul detur venia vitiis, quibuscum permixta sunt. Eatenus autem quum procedere aequitas nostra et moderatio beat, quam graviter delinquimus, dum ob incertas, atque eas interdum nihil, suspiciunculas dissilimus ab iis, quorum habemus pietatem, sinceritatem, probitatem luculentis documentis compertam? Duplex autem animadvertisimus suspicionum genus, unde plurimum malorum et olim accepit et hodie accipit ecclesia. Aut dum sinistrorum, quae geruntur a fratribus symmystisque nostris, interpretamur: quae si dextros benignosque arbitros nacta sint, in optimam partem accipi, vel certe quoque modo excusari possint. Aut dum ad hauriendos imbibendosque rumores quoslibet nimium proni inclinamus. Quae autem inde consequantur mala, cogitare malimus quam experiri. Atque ideo cogitemus, quo praecavendis omnem impendamus operam. Proinde, quod incredibili bono futurum nobis est, mutua potius benevolentia caritateque certenus, praesidio alii aliis esse contendamus, alii alios ad officium et exemplo et adhortatione provocemus. His certainum et contentionum formis non fatigatur, non vexatur, non affligitur ecclesia: sed vigescit potius, florescit, non visque incrementis confirmatur. Si coniunctionis pacisque studium est, doctrinae potius animorumque urgeamus unitatem, quam caeremoniis ad unguem conformandis morosius insistamus. Indignissimum est enim, ut in quibus libertatem Dominus reliquit, quo maior esset aedificandi facultas, servilem praeterita aedificatione conformitatem quaeramus. Atqui ubi ad summum illud tribunal ventum fuerit, ubi reddenda erit olim functionis nostrae ratio, minima erit de caeremoniis quaestio: neque omnino haec in rebus externis conformitas, sed legitimus libertatis usus ad calculum vocabitur: legitimus demum censebitur, qui ad aedificationem plurimum contulerit. Tota ergo sollicitudo, vigilantia, industria, sedulitas nostra in hanc aedificationem incumbat: quam tantum succedere sciamus, quantum in serio Dei timore, sincera pietate, morumque non facta sanctitate profectum fuerit.

1) *Lege*: genere.

## CATECHISMUS

SEU

CHRISTIANAE RELIGIONIS INSTITUTIO ECCLESIAE GENEVENSIS, VULGARI PRIUS  
IDIOMATE EDITA, NUNCQUE POSTREMO LATINITATE ETIAM DONATA,  
IOAN. CALVINO AUTORE.

### OMNES HOMINES AD RELIGIONEM ESSE NATOS.

Quum nemo hominum reperiatur, quamlibet barbarus sit, ac toto pectore efferatus, qui non aliquo afficiatur religionis sensu: nos in hunc finem creatos omnes esse constat, ut maiestatem agnoscamus creatoris nostri, agnitam suspiciamus, omnique et timore, et amore, et reverentia colamus. Verum ut impios omittamus, qui illam animis suis insitam Dei opinionem, nil aliud quam e memoria delere quaerunt: nobis, qui pietatem profitemur, cogitandum est fluxam hanc et mox collapsuram vitam nil aliud esse debere, quam immortalitatis meditationem. Porro aeternam et immortalem vitam nisi in Deo nusquam invenire licet. Haec igitur praecipua vitae nostrae cura et sollicitudo sit oportet, Deum quaerere et ad eum omni animi studio adspirare, nec alibi nisi in ipso acquiescere.

### QUID INTER FALSAM AC VERAM RELI- GIONEM INTERSIT.

Quoniam hoc communi sensu receptum est, si a [pag. 2] vita nostra absit religio, miserrime nos vivere, adeoque brutis pecudibus nihilo excellere, nullus est qui a pietate cultuque Dei prorsus alienus videri velit. Atqui in ipso declarandae religionis modo longum est discrimen, nam hominum melior pars non serio Dei timore tangitur: sed quia, velint nolint, hac cogitatione subinde recurrente constringuntur, divinitatem esse aliquam, cuius arbitrio stent vel cadant: tantae potestatis opinione perculsi, ne ipsam nimio contemptu in se provocent, qualicunque eius veneratione defunguntur. Interim tamen vita perditissime instituta, abiectoque omnis

probitatis studio, summam in contemnendo Dei iudicio securitatem produnt. Deinde quia Deum non infinita ipsius maiestate, sed fatua stupidaque ingeni sui vanitate metiuntur, a vero Deo ita desciscunt. Proinde quantalibet colendi Dei cura sese postea fatigent, nihil efficiunt: quoniam non Deum aeternum, sed cordis sui somnia et deliria pro Deo adorant. Vera autem pietas non in timore sita est qui Dei iudicium libenter quidem fugiat, sed quia effugere nequeat, formidet: sed sincero magis affectu constat, qui Deum non secus ac patrem diligat, perinde ac dominum timeat ac revereatur, iustitiam eius amplexetur, offensionem morte peius horreat. Et quicunque sunt ea praediti, non quemlibet sibi Deum pro sua temeritate fingere audent: sed veri Dei cognitionem ab ipso petunt, non alium concipientes, quam qualem se ipse exhibet ac declarat.

### QUID DE DEO NOBIS COGNOSCENDUM.

Porro quoniam ipsa in se Dei maiestas humani intellectus captum longe superat, atque adeo ipso [pag. 3] comprehendi nequaquam potest, eius sublimitatem adorari magis quam perscrutari convenit, ne tanto fulgore penitus obruumur. Quare in suis operibus quaerendus est nobis Deus, et investigandus: quae hac ratione in scripturis vocantur spectacula rerum invisibilium, quia quod de Domino intueri alioqui non possumus, nobis repraesentant. Id autem est, non quod nostra ingenia inanibus vanisque speculationibus suspendat: sed quod nostra scire referat, solidamque pietatem, hoc est fidem cum timore coniunctam in nobis pariat, nutriat, ac confirmet. Contemplamur enim in hac rerum universitate, Dei nostri immortalitatem, e qua omnium principium origoque fluxerit; potentiam, quae tan-

tam molem et condiderit, et nunc sustentet; sapientiam, quae tantam ac tam confusam varietatem ordine tam ~~distinctib~~<sup>tib</sup> composuerit et perpetuo moderetur; bonitatem, quae ipsa sibi causa fuerit ut haec crearentur et nunc consistant; iustitiam, quae in defensione piorum, impiorum vero ultiōne mirifice se profert; misericordiam, quae ad resipiscētiam quo nos vocet, nostras iniqūitates tanta mansuetudine tolerat. Hinc quidem abunde, quantum nobis satis est, doceri debueramus, qualis sit Deus, nisi ad tantam lucem nostra hebetudo caecutiōt. Neque sola tamen caecitate hic peccamus: sed ea nostra est perversitas, quae in censendis Dei operibus nihil non perperam ac praeponere interpretetur, totamque coelestem sapientiam, quae in iis perspicue relucet, prorsus invertat. Veniendum ergo ad Dei verbum, ubi probe nobis a suis operibus describitur Deus: dum opera ipsa non ex iudicii nostri pravitate, sed aeternae veritatis [pag. 4] regula aëstimantur. Hinc ergo discimus, Deum nostrum unum atque aeternum omnis vitae, iustitiae, sapientiae, virtutis, bonitatis, clementiae fontem esse: a quo ut sine ulla exceptione fluit omne bonum, ita lans omnis merito redire ad eum debeat. Atque istac quidem omnia tametsi in singulis coeli ac terrae partibus lucidissime appareant: quorū tamen potissimum spectent, quid valeant, quem in finem a nobis sint intelligenda, tum demum assequimur, dum in nos ipsos descendimus, ac consideramus quibus modis suam in nobis vitam, sapientiam, virtutem, Dominus exserat: suam iustitiam, bonitatem, clementiam erga nos exerceat.

#### DE HOMINE.

Homo primum ad imaginem et similitudinem Dei formatus fuit, ut in suis ornamentis, quibus a Deo splendide vestitus erat, eorum autorem susiceret, et qua decebat gratitudine veneraretur. Verum quoniam tanta naturae suae excellentia confusus, scilicet oblitus unde et profecta esset et subsisteret, efferre se extra Dominum conatus est: omnibus Dei beneficiis, quibus stolidē superbiebat, spoliari ipsum opportuit: ut Deum, quem beneficentia eius dives contemnere ausus erat, omni gloria nudus ac destitutus agnosceret. Quam ob rem quicunque ex semine Adae originem ducimus, oblitterata Dei similitudine, caro ex carne nascimur. Nam quamvis anima constemus et corpore, nil tamen nisi carnem sapimus. Ut in quamcunque hominis partem vertamus oculos, nihil nisi impurum, profanum, ac Deo abominabile spectare liceat. Prudentia enim eius caeca, [pag. 5] et infinitis erroribus involuta. Dei sapientiae semper adversatur. Voluntas prava, corruptisque affectibus reforta, nil magis odit quam illius iustitiam. Vires ad bonum omne opus enervatae, ad iniqūitatem furiose ruunt.

#### DE LIBERO ARBITRIO.

Hominem esse peccati servum testantur passim scripturæ: quo significatur, eius ingenium sic alienatum a Dei iustitia, ut nihil non impium, contortum, iniquum, impurum, concipiāt, concupiscat, molietur. Cor enim peccati veneno penitus delibutum, nihil quam peccati fructus efflare potest. Neque tamen ideo putandum est, hominem quasi violenta necessitate coactum peccare. Delinquit voluntate propensissima. Sed quia pro affectus sui corruptione ab omni Dei iustitia longe abhorret, in omne vero malitiae genus ferret, libera eligendi boni ac mali facultate, quam Liberum Arbitrium vocant, praeditus esse negatur.

#### DE PECCATO ET MORTE.

Peccatum in scripturis appellatur, tam ipsa naturae humanae vitiositas, fons vitiorum omnium, quam quae inde oriuntur improbae cupiditates, et quae ab ipsis cupiditatibus emergunt iniqua facinora: qualia sunt, caedes, furta, adulteria, et caetera eius generis. Nos ergo ab utero peccatores, ad iram et ultionem Dei omnes nascimur: adulti, gravius subinde iudicium nobis cumulamus, tota denique vita ad mortem progredimur. Nam si omnem iniqūitatem Dei iustitiae exsecrabilem esse nihil dubium est, quid nos miseri ab eius conspectu exspectemus, nisi certissimam confusionem, qualem [pag. 6] fert eius indignatio, qui et ingenti peccatorum mole oppressi, et infinita colluvie inquinati sumus. Haec cogitatio quanquam hominem terrore consternat, ac desperatione obruit, nobis tamen necessaria est: quo propria iustitia exuti, propriae virtutis fiducia deiecti, omni vitae exspectatione depulsi, discamus paupertatis, miseriae, ignominiae nostrae conscientia coram Domino consternari, iniqūitatis, impotentiae, ruinae nostrae agnitione, omnem illi sanctitatis, virtutis, salutis gloriam deferre.

#### QUOMODO IN SALUTEM AC VITAM RESTITUAMUR.

Ab hac nostri cognitione, quae nostram nobis ostendit, siquidem animis nostris serio insederit, ad veriorem quoque Dei notitiam facilis patet accessus. Imo vero iam ipse in regnum suum primam ianuam aperit: ubi nocentissimas duas pestes, vindictæ suae securitatem, falsamque nostri confidentiam, labefactavit. Tunc enim in coculum oculos attollere incipimus, qui antea in terris defixi haerebant: et qui acquiescebamus in nobismet ipsis, ad Dominum suspiramus. Ipse autem misericordiae pater, quanquam longe aliud nostra iniqūitas merebatur, pro sua tamen inenarrabili benignitate, sic

afflictis et perculsis ultro se profert: ac nos, quibus gradibus expedire imbecillitati nostrae novit, ab errore in viam rectam, a morte in vitam, a ruina in salutem, a regno diaboli in regnum suum revocat. Quum igitur Dominus, quos in vitae coelestis haereditatem restituere dignatur, iis omnibus primum hunc gradum statuat, ut peccatorum suorum [pag. 7] conscientia vulnerati et pondere fatigati, ad ipsius timorem excitentur, legem nobis primum suam proponit, quae ad eam cognitionem nos exerceat.

### DE LEGE DOMINI.

In lege Dei perfectissima totius iustitiae regula traditur, quam, optima ratione aeternam Domini voluntatem appellare licet. Nam illic duabus tabulis quidquid a nobis requirit, ad plenum et liquidum complexus est. Priore, quis sibi maiestatis suae cultus probetur: altera, quae caritatis officia proximo debeantur, paucis mandatis praescripsit. Eam ergo audiamus: tum postea, quid ex ea doctrinae capiendum, simul quid fructus colligendum sit nobis, videbimus.

### EXODI XX.

**EGO sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram facie mea.**

Pars huius praecepti vice est praeftationis in totam legem. Nam dum se dominum Deum nostrum esse pronunciat, eum se esse innuit, qui ius habeat praecipendi, et cuius praeceptis obedientia debeatur. Quemadmodum per prophetam (Mal. 1, 6) suum ait: si ego pater, ubi amor? Si dominus ubi timor? simul beneficium commemorat, quo nostra ingratitudo arguatur, nisi eius voci auscultamus. Quia enim benignitate iudaicum populum semel ex Aegypti [pag. 8] servitute vindicavit, eadem quoque servos suos omnes e perpetua fidelium Aegypto, hoc est, e peccati potestate liberat. Quod autem deos alienos habere vetat, significat, ne, quod Dei proprium est, alteri quam sibi deferamus: et addit, coram facie sua: quo non externa modo confessione Deum se agnoscí, sed intimi cordis veritate haberi velle, declarat. Haec autem Dei unius propria sunt, quae sine sacrilegio transferri alio nequeant: ut solum ipsum adoremus, in ipsum tota fiducia speque recumbamus, ipsi, quidquid usquam bonum sanctumque est, acceptum feramus, omnisque bonitatis ac sanctitatis laudem ad ipsum referamus.

**Non facies tibi sculptile nec similitudinem, etc.**

Quemadmodum proximo mandato, Deum se unum esse pronunciavit, ita nunc qualis sit, et quomodo colendus, denunciat. Prohibet ergo, ne similitudinem ullam sibi affingamus. Cuius rei rationem reddit Deut. 4. et apud Iesaiam (40, 18): quia nil simile spiritui cum corpore. Tum deinde vetat, ne quam imaginem, religionis causa, honoremus. Discamus ergo ex hoc praecepto, spirituale esse Dei cultum: quia ut ipse spiritus est, ita coli postulat in spiritu et veritate (Ioann. 4, 23). Subiicit autem horribilem comminationem, qua innuit quam graviter huius mandati transgressione offendatur. *Ego sum Dominus Deus, etc.<sup>1)</sup>* Hoc vero perinde est, ac si diceret, se solum esse, in quo haerere debeamus, nec consortem ferre posse: vindicem etiam futurum suae maiestatis ac gloriae: si qui eam ad sculptilia aut res alias transferant, neque id brevi aut simplici [pag. 9] vindicta, sed quae in filios, nepotes et pronepotes sit pretendenda: qui scilicet paternae impietatis imitatores erunt. Quemadmodum perpetuam quoque, in longam posteritatem, iis misericordiam ac benignitatem suam exhibet, qui se diligunt, ac legem suam custodiunt. Ubi misericordiae suae amplitudinem nobis commendat, quam in mille generationes extendit: quum generationes duntaxat quatuor vindictae assignarit.

**Non usurpabis nomen domini Dei tui in vanum.**

Ubi vetat, ne sacro suo nomine in iuramentis, vel ad inanes nugas, vel ad confirmando mendacia, abutamur. Iuramenta enim non nostrae vel libidini, vel voluptati, sed iustae necessitatì servire debent: ubi vel Domini gloria vindicanda, vel asserendum quod in aedificationem spectet. Ac omnino prohibet, ne sacrum suum nomen ulla in re polluamus, quin potius ipsum reverenter et cum summa dignitate, pro eius sanctitate, usurpemus, sive iuremus, sive quemcunque de eo sermonem habeamus. Quando autem potissimum usus usurpandi huius nominis invocatione continetur, eam nobis hic praecepit intelligamus. Demum poenam edicit, ne ultionem se effugere posse confidant, qui periuris aliisque blasphemias sanctitatem sui nominis profanarint.

**Recordare diei Sabbati, etc.**

Tres fuisse huius mandati causas observamus. Voluit enim Dominus, sub diei septimi quiete po-

1) *Instit. pag. 57 (Ed. 1536).*

pulo Israel spiritualis requiem figurare: qua a [pag. 10] propriis operibus feriari debent fideles, ut Dominum in se operari sinant. Deinde statum diem esse voluit, quo ad legem audiendam, et caeremonias peragendas, convenienter. Tertio servis, et iis qui sub aliorum imperio degerent, quietis diem indulgendum censuit, quo aliquam haberent a labore remissionem. Quantum ad primam causam, non dubium quin in Christo cessaverit. Ille enim est veritas, cuius praesentia figurae omnes evanescunt: corpus, cuius adventu umbrae relinquuntur. Ideo sabbatum umbram rei futurae fuisse affirmat Paulus (Col. 2, 17): cuius veritatem alibi (Rom. 6, 8) explicat, dum nos Christo conseptulos esse docet, ut per eius mortem carnis nostrae corruptioni emoriatur. Id autem fit non uno die, sed toto vitae nostrae cursu, donec penitus nobismet ipsis mortui, Dei vita impleamur. A christianis ergo abesse debet dierum superstitionis observatio. Sed quoniam duae posteriores causae veteribus umbris annumerari non debent, sed saeculis omnibus peraeque convenienti: abrogato sabbato, inter nos tamen etiamnum locum istud habet, ut statis diebus ad audiendum verbum, ad mystici panis fractionem, ad publicas orationes conveniamus: deinde, ut servis et operariis sua detur a labore remissio. Non enim, quae nostra est infirmitas, obtineri potest, ut eiusmodi conventus singulis diebus agantur. Quamobrem, quod ad evertendam superstitionem expeditiebat, sublatus est Iudeis observatus dies: quod ordini ac paci in ecclesia retinendae necessarium erat, alter in eum usum destinatus est. Ut ergo sub figura Iudeis tradebatur veritas, ita nobis sine umbris commendatur. Primo, ut perpetuum tota vita sabbatismum meditemur a [pag. 11] nostris operibus, quo Dominus in nobis, per suum spiritum, operetur. Deinde, ut legitimum ecclesiae ordinem ad verbum audiendum, ad sacramentorum administrationem, ad publicas orationes constitutum observemus. Tertio, ne nobis subditos inhumaniter premamus.

### Honora patrem et matrem, etc.

Quo pietas erga parentes, et eos qui parentum vice nobis, ordinatione Domini, praesunt, ut magistratus, nobis praecipitur, nempe ut summa reverentia, obedientia, gratitudine, et quibus possumus officiis, ipsos prosequamur. Nam haec est Domini voluntas, ut mutuam vicem his rependamus, qui nos in hanc vitam sustulerunt. Nec interest, dignine an indigni sint, quibus honor iste deferatur. Nam qualescumque sint, parentum loco nobis a Domino praefecti sunt, qui eos honorari voluit. Et hoc quidem est mandatum primum cum promissione, ut inquit Paulus (Eph. 6, 2), qua dum praesentis vitae

benedictionem Dominus pollicetur filiis, qui parentes, qua decet, observatione coluerint: simul innuit omnibus immorigeris ac inobsequentibus certissimam imminere maledictionem. Sed istud etiam obiter adnotandum, quod illis obedire non nisi in Domino iubemur. Proinde non committendum, ut in eorum gratiam Domini legem transgrediamur. Tum enim non parentes nobis habendi sunt, sed extranei, qui nos a veri patris obedientia subducere conantur.

### Non occides.

Quo nobis violentia omnis ac iniuria, et omnino quaevis noxa, qua proximi corpus laedatur, [pag. 12] interdicta est. Nam si hominem ad imaginem Dei meminerimus esse conditum, sacrosanctum eum habore debemus: utpote qui violari nequeat, quin imago quoque Dei violetur.

### Non moechaberis.

Quo omne scortationis et impudicitiae genus facessere a nobis iubet. Dominus enim virum mulieri sola coniugii lege adiunxit. Et eam societatem, sua autoritate initam, sua quoque benedictione sanctificavit. Unde constat, aliam, quam coniugii societatem coram ipso maledictam esse. Itaque qui continentiae dono, singulari quidem illo, nec in cuiuslibet potestate sito, praediti non sunt, carnis sue intemperantiae honesto matrimonii remedio succurrant. Honorabile enim inter omnes matrimonium (Hebr. 13, 4): scortatores autem, et adulteros, iudicabit Deus.

### Non furaberis.

Quo alter alterius facultatibus insidiari, in universum prohibemur. Omnes enim rapinas, quibus imbecilles vexentur ac opprimantur, omnes fraudes, quibus simpliciorum innocentia circumveniatur, longe a populo suo abesse vult Dominus. Quare si puras et innocentes a furto manus servare volumus, non minus ab omni calliditate ac versutia, quam a violenta direptione, nobis abstinendum.

### Non falsum testimonium dices, etc.

Ubi maledicentiam et conviosam procacitatem, qua fratri nostri fama proscinditur, tum omne mendacium, quo ulla in parte laeditur, damnat [pag. 13] Dominus. Nam si quibuslibet thesauris pretiosius est nomen bonum, nihil minore noxa nominis integritate, quam fortunis, spoliatur. In diripienda autem eius substantia, non minus interdum falso testimonio quam manuum rapacitate proficitur. Quare, ut proximo manus, ita hoc mandato lingua cohibetur.

**Non concupisces uxorem proximi tui, etc.**

**www.QlibDominus frenum cupiditatibus nostris omnibus iniicit, quae caritatis fines transsiliunt. Quidquid enim praeter dilectionis regulam, opere admittere praecepta alia vetant, hoc, animo conceperem prohibet. Proinde hoc praecepto odium, invidia, malevolentia, non secus atque antea homicidium, damnantur. Libido, et interior cordis spurcitia, aequae ac scortatio, prohibitentur. Ubi prius rapacitas, vafrities, hic avaritia: ubi maledicentia, hic malignitas ipsa compescitur. Videmus quam sit generalis, quamque longe ac late pateat huius mandati sententia. Mirabilem enim requirit affectum Deus, et fratribus amorem supra modum ardenter, quem ne ulla quidem cupiditate, contra proximi bonum ac commodum, vult excitari. Haec igitur praecepti summa: sic nos esse animatos debere, ut neque ulla, praeter dilectionis legem, cupiditate titillemur: et reddere unicuique, quod suum est, libentissime parati simus. Id autem uniuscuiusque esse reputandum est, quod illi ex officio nostro debemus.**

#### **LEGIS SUMMA.**

Quorsum autem universa legis praecepta specient satis declaravit Christus dominus noster, dum [pag. 14] totam legem duobus capitibus comprehensam esse docuit. Ut dominum Deum nostrum diligamus ex toto corde nostro, ex tota anima, ex tota virtute. Deinde, ut proximum amemus, aequae ac nos ipsos (Math. 22, 37). Quam interpretationem ex ipsa lege sumpsit. Nam prior pars Deuter. 6. legitur, altera Levit. 19.

#### **QUID EX SOLA LEGE AD NOS REDEAT.**

En verum iustae ac sanctae vitae exemplar, adeoque imago iustitiae ipsius absolutissima. Ut si quis vita legem Dei expresserit, ei ad perfectionem coram Domino nihil sit defuturuin. Quod ut ipse testatum faciat, non eximias modo vitae praesentis benedictiones, quae Levit. 26. et Deuter. 27. recensentur: sed aeternae etiam vitae remunerationem pollicetur iis, qui legem suam impleverint. Rursum aeternae mortis ultionem in omnes pronunciat, qui non impleverint opere quaecunque illis mandavit. Moses quoque, lege promulgata, coelum ac terram attestabatur, quod populo bonum ac malum, vitam ac mortem proposisset. Verum etiamsi viam vitae ostendat, videndum tamen, quid ea demonstratione nobis conferre possit. Sane si voluntas nostra tota in obedientiam divinae voluntatis formata compositaque foret, plane ad salutem sufficeret sola cognitio legis. At quum natura nostra, carnalis et corrupta, cum spirituali Dei lege hostiliter pugnet, nec eius

disciplina quidquam emendetur, restat ut lex ipsa, quae in salutem data erat, si auditores idoneos nacta fuisset, in peccati et mortis occasionem cedat. Quandoquidem enim omnes eius transgressores esse convincimur, quo Dei iustitiam [pag. 15] clarius reserat, eo nostram ex adverso iniquitatem magis detegit. Rursum quo maioris nos transgressionis deprehensos tenet, eo gravioris simul iudicii reos agit. Ac sublata aeternae vitae promissione, sola maledictio superest, quae nobis omnibus a lege impendet.

#### **LEGEM GRADUM ESSE AD CHRISTUM.**

Quod autem omnium nostrum iniquitas et damnatio legis testimonio consignatur, non ideo fit ut desperatione concidamus, ac despensis animis, in precipitum corrueamus. Nos quidem iudicio legis damnatos esse apostolus testatur, quo os omne obstruatur, et obnoxius reddatur omnis mundus Deo (Rom. 3, 19). Idem tamen alibi docet, Deum omnes sub incredulitate conclusisse, non ut pordat, aut etiam perire sinat: sed ut omnium misereatur (Rom. 11, 32). Dominus ergo nostraræ tum imbecillitatis, tum impuritatis, per legem admonitos, virtutis ac misericordiae suae fiducia solatur. Idque in Christo suo, per quem nobis se benevolum ac propitium patrem exhibit. In lege enim non nisi perfectae iustitiae, qua nos omnes destituti sumus, remunerator: contra autem severus scelerum iudex appetit. In Christo autem, facies eius gratiae ac benignitatis plena, erga miseros etiam ac indignos peccatores, reluet. Hoc enim admirabile immensae suae dilectionis exemplum praebuit, quod proprium filium nobis exposuit, ac in ipso thesauros omnes clementias bonitatisque sua resignavit.

#### **CHRISTUM FIDE A NOBIS APPREHENDI**

Quemadmodum filium suum evangelii verbo nobis [pag. 16] offert misericors pater: ita fide ipsum amplectimur, ac quasi datum agnoscimus. Verbum quidem ipsum evangelii omnes in Christi participationem vocat: at plurimi incredulitate obsecrati et obdurati, tam singularem gratiam aspernantur. Soli ergo fideles Christo fruuntur, qui ad se missum recipiunt, qui sibi donatum non respuunt, qui vocantem sequuntur.

#### **DE ELECTIONE ET PRAEDESTINATIONE.**

In hoc autem discrimine sublime divini consilii arcanum necessario considerandum est. In his enim solis demum verbi Dei semen radicem dicit, ac fructificat, quos Dominus sibi filios regnique coelestis haeredes, aeterna sua electione, praedestinavit:

reliquis omnibus, qui eodem Dei consilio, ante mundi constitutionem, reprobati sunt, clarissima veritatis praedicatio nihilquamlibetodormortis in mortem esse potest. Porro cur illos misericordia sua Dominus dignetur, in hos iudicii sui severitatem exerceat, rationem penes illum esse sinamus, quam nos omnes, nec sine optima ratione, celatos esse voluit. Non enim vel tantam lucem ingenii nostri hebetudo ferre, vel tantam sapientiae magnitudinem tenuitas capere valeat. Ac omnino quicunque se hic attollere contendent, nec cohibere mentis suae temeritatem sustinebunt, verum esse experientur quod ait Solomon: Scrutatorem maiestatis oppressum iri a gloria (Prov. 25, 2).<sup>1)</sup> Tantum id nobiscum statuamus, illam Domini dispensationem, tametsi occulta nobis est, iustum nihilominus et sanctam esse. Nam si universum hominum genus perderet, id faceret iure suo. In iis quos a perditione [pag. 17] revocat, nil nisi summam eius bonitatem contemplari licet. Electos ergo vasa esse misericordiae ipsius, ut sunt, agnoscamus: reprobos, vasa irae, sed non nisi iustae. Ab utrisque argumentum ac materiam praedicandae eius gloriae sumamus. Neque rursum, quod plerisque usu venire solet, ad stabiliendam salutis nostrae certitudinem, quaeramus in ipsum coelum penetrare, et quid ab aeterno de nobis Deus decreverit percontari: quac cogitatio nihil quam misera anxietate ac perturbatione vexare nos potest. Sed testimonio contenti simus, quo satis superque nobis ipsam Dominus confirmavit. Nam ut in Christo electi sunt omnes, quicunque ante iacta mundi fundamenta praeordinati ad vitam fuerunt (Eph. 1, 4): ita is est, in quo electionis nostrae pignus nobis exhibetur. Siquidem ipsum fide excipimus et amplectimur. Quid enim in electione quaerimus, nisi ut vitae aeternae simus participes? Atqui eam in Christo obtinemus, qui et vita erat ab initio (Ioann. 1, 4), et nobis in vitam praepositus est, ut omnes qui credunt in eum, non pereant, sed fruantur vita aeterna (Ioann. 3, 16). Quod si Christum fide possidentes, vitam simul in eo possidemus, ultra de aeterno Dei consilio quidquam percontari, nostra minime refert. Christus enim non speculum est duntaxat, quo Dei voluntas nobis repraesentatur: sed pignus, quo veleti obsignatur.

#### QUID SIT VERA FIDES.

Fides autem christiana non nuda aut Dei cognitione, aut scripturae intelligentia putanda est, quae in cerebro volutata cor minime afficiat: qualis solet esse opinio earum rerum, quae probabili [pag. 18] ratione nobis confirmantur. Sed firma est ac solida

cordis fiducia, qua in Dei misericordia, per evangelium nobis promissa, secure acquiescimus. Sic enim a promissionis substantia petenda est fidei definitio: quae sic eo fundamento nititur, ut sublato ipso protinus corruat, vel potius evanescat. Proinde dum misericordiam nobis suam per evangelicam promissionem defert Dominus, si promittenti certo ac extra haesitationem confidimus, fide verbum eius apprehendere dicimur. Neque ab hac definitione aliena est illa apostoli, ubi docet esse rerum sperandarum subsistentiam, probationem non apparentium (Hebr. 11, 1). Intelligit enim certam quandam ac securam possessionem eorum, quae a Deo promissa sunt, et evidentiam rerum non apparentium: nempe vitae aeternae, cuius expectationem fiducia divinae bonitatis, per evangelium nobis oblatae, concipimus. Quum autem omnes Dei promissiones in Christo confirmentur (2 Cor. 1, 17), et quodammodo praestentur ac impleantur, constat procul dubio, Christum ipsum perpetuum fidei obiectum esse, in quo universas divinae misericordiae dicitias contempletur.

#### FIDES DONUM DEI.

Si recte nobiscum reputamus, et quantum ad coelestia Dei mysteria mens nostra caecutiat, et quanta diffidentia cor nostrum in omnibus labore, nihil dubitabimus, quin fides vim omnem naturae nostrae longe superet, et Dei donum sit eximum ac singulare. Nam si humanae voluntatis, ut Paulus ratiocinatur, nemo est testis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (1 Cor. 2, 11), divinae voluntatis qui certus esset homo? Et si Dei veritas apud nos in iis etiam rebus vacillat, [pag. 19] quas oculo praesenti intuemur, qui firma stabilisque foret, ubi Dominus ea pollicetur, quae nec oculus videt, nec ingenium hominis capit? Itaque nihil obscurum est, quin fides illustratio sit sancti spiritus, qua et mentes nostrae illuminantur, et confirmantur corda in certain animi persuasionem, quae statuat tam certam esse Dei veritatem, ut non possit non praestare, quod se facturum sancto suo verbo recepit. Ob eam rem et arrha vocatur, quae divinae veritatis certitudinem animis nostris stabilit: et signum, quo in diem Domini corda nostra obsignantur: quia ille est qui spiritui nostro testificatur, Deum esse nobis patrem, nosque vicissim eius filios (2 Cor. 1, 22; Eph. 1, 13; Rom. 8, 16).

#### IN CHRISTO IUSTIFICAMUR PER FIDEM.

Postquam perpetuum fidei obiectum esse Christum in confessu est, quid per fidem assequamur, aliter scire non possumus, quam si in ipsum intuemur. Ipse autem ideo nobis a patre datus, ut in

1) Cf. *Instit.* p. 141.

eo vitam aeternam obtineamus. Quemadmodum ait hanc esse vitam aeternam, Nosse unum Deum patrem, et quem ille misit Iesum Christum (Ioann. 17, 3). Item: Qui credit in me, non morietur in aeternum; quod si mortuus fuerit, vivet (Ioann. 11, 26). Qui vero istud fiat, nos qui peccatorum sordibus contaminati sumus, in ipso omundari oportet: quia in regnum Dei nihil inquinatum ingreditur. Nos ergo sic facit sui participes, ut qui peccatores in nobis sumus, illius iustitia coram throno Dei iusti reputemur atque ita propria iustitia spoliati, Christi iustitia induimur: et operibus iniusti, Christi fide iustificamur. Fide enim iustificari dicimus, [pag. 20] non quia aliqua iustitia nos intus imbuamur: sed quia Christi iustitia, perinde ac si nostra esset, nobis accepta fertur, propria iniquitate nequaquam nobis imputata: ut hanc iustitiam uno verbo vere appellare peccatorum remissionem liceat. Quod perspicue declarat apostolus, dum operum iustitiam cum fiduci iustitia saepius confert, alteraque alteram everti docet (Rom. 10, 3; Phil. 3, 9). Qua autem ratione hanc iustitiam meritus sit nobis Christus, et quibus partibus contineatur, in simbolo videbimus, ubi omnia singulatim recensentur, quibus fides nostra fundata est ac nititur.

#### PER FIDEM SANCTIFICAMUR IN LEGIS OBEDIENTIAM.

Quemadmodum sua iustitia Christus apud patrem pro nobis intercedit, ut eo veluti sponsore pro iustis censemur: ita spiritus sui participatione ad omnem puritatem et innocentiam sanctificat. Si quidem requievit super eum spiritus Domini citra mensuram: spiritus, inquam, sapientiae et intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, timoris Domini (Ies. 61, 1; item 11, 2): ut de eius plenitudine huius omnes, et gratiam pro gratia (Ioann. 1, 16). Falluntur ergo, qui fide Christi gloriantur, sanctificatione spiritus eius prorsus destituti. Christum factum esse nobis non iustitiam modo, sed sanctificationem quoque, scriptura docet. Proinde recipi a nobis iustitia eius fide non potest, quin illam sanctificationem simul amplectamur. Eodem enim pacto Dominus, quod in Christo nobiscum ferit, se nostris iniquitatibus propitium fore, et legem suam cordibus nostris inscripturum pollicetur (Ier. 31, 33). Non ergo nostrae facultatis opus est, legis observatione, sed spiritualis [pag. 21] virtutis: qua fit, ut corda nostra a sua corruptione repurgentur, et ad iustitiae obedientiam emoliantur. Iam vero longe alius legis usus est Christianis, quam qui sine fide esse possit. Ubi enim cordibus nostris iustitiae suae amorem insculpsit Dominus, externa legis doctrina, quae antea nihil quam tum imbecillitatis, tum transgressionis nos accusabat, nunc lucerna est pedibus

nostris, ne a recto itinere aberremus: sapientia nostra est, qua ad omnem integritatem formemur, instituamur, excitemur: disciplina nostra est, quae nos improbiore licentia diffluere non sinat (Ps. 119, 105; Deut. 4, 6).

#### DE POENITENTIA ET REGENERATIONE.

Hinc iam intelligere promptum est, cur poenitentia cum fide Christi semper coniungatur: cur etiam Dominus affirmet, neminem in regnum coelorum ingressi posse, nisi qui regeneratus fuerit (Ioann. 3, 3). Poenitentia enim conversionem significat: qua mundi huius perversitate valere iussa, in viam Domini nos recipimus. Christus autem ut peccati minister non est, nequaquam ideo scelerum inquinamentis ablutos iustitiae suae participatione vestit, quo tantam gratiam novis subinde sordibus profanemus: sed ut in Dei filios cooptati, vitam imposterum nostram patris nostri gloriae consecremus. Huius autem poenitentiae effectus a regeneratione nostra pendet, quae ipsa duabus partibus constat: carnis nostrae, hoc est ingenitae nobis corruptionis mortificatione, et vivificatione spirituali (Rom. 6, 5; Col. 3, 3 et alibi): qua hominis natura in suam integritatem instauratur. In hanc ergo meditationem tota vita nobis est incumbendum, ut [pag. 22] peccato mortui, ac nobis ipsis, Christo et eius iustitiae vivamus. Quumque generatio ista nunquam impleatur, quamdiu in mortalis corporis carcere degimus: perpetuum ad mortem usque poenitentiae studium sit, oportet.

#### QUOMODO BONORUM OPERUM ET FIDEI IUSTITIA SIMUL CONVENIANT.

Bona autem opera, quae ab eiusmodi conscientiae puritate proficiuntur, Deo accepta esse, nihil dubium est. Quandoquidem enim suam iustitiam in illis agnoscit, non potest non approbare ac commendare. Sollicite tamen cavendum, ne sic vana efforamur eorum fiducia, ut iustificari nos sola Christi fide obliviscamur. Nulla quippe est operum iustitia coram Domino, nisi quae illius iustitiae respondeat. Itaque qui ab operibus iustificari quaerit, ei unum aut alterum opus producere non sufficit: sed perfectam legis obedientiam afferre necesse habet, a qua profecto absunt adhuc longissime, qui optime in Domini lege pree aliis profecerunt. Deinde etiamsi uno duntaxat bono opere satisfieri sibi pateretur Dei iustitia, ne unum quidem opus in sanctis suis Dominus inveniret, cui iustitiae laudem suo merito redideret. Nam istud, quanquam mirum videri queat, verissimum tamen est: nullum omnino exire a nobis opus summa perfectione consummatum, ac non aliquo veluti naeve inquinatum. Quare quum peccatores simus omnes, et plurimis vitiorum reliquis as-

persi, extra nos iustificemur oportet. Nempe Christo semper opus habemus, cuius perfectione tegatur nostra imperfectio, ~~lhius~~ puritate nostra immundities [pag. 23] ablatur, cuius obedientia nostra iniqitas deleatur, ob cuius denique iustitiam nobis iustitia gratis imputetur, sine ulla operum nostrorum ratione, quae tanti nullo modo sunt, ut in Dei iudicio subsistant. Caeterum dum maculae nostrae, quae contaminare alioqui opera nostra coram Deo poterant, sic continguntur: Dominus in illis nihil nisi summam puritatem ac sanctitatem respicit. Itaque praeclaris elogiis ea dignatur. Nam et iusticias appellat, ac reputat, et amplissimam iis remunerationem pollicetur. Denique sic in summa statuendum est, tantum valere Christi societatem, ut ob ipsam non modo iusti gratis censemur: sed nostra quoque opera in iustitiam nobis imputentur, et aeterno praemio compensentur.

### SYMBOLUM FIDEI.

Dictum est supra, quid in Christo per fidem consequamur: nunc quid in Christo fides nostra inquieti, ad sese confirmandam, et considerare debeat, audiendum est. Id autem in symbolo, quod vocant, explicatur, nempe qua ratione factus sit nobis a patre Christus sapientia, redemptio, vita, iustitia, sanctificatio (1 Cor. 1, 30). Neque vero magnopere refert, a quo sit autore edita, vel a quibus potius conscripta haec fidei epitome: quae nihil humanum prorsus habet, sed ex certissimis scripturae testimoniis collecta est. Ne quem vero perturbet, quod in Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum credere nos confitemur, paucis de hac re praefandum est. Dum Patrem, Filium, ac Spiritum nominamus, non tres deos nobis fingimus, sed in simplicissima Dei unitate, et scriptura, et ipsa pietatis experientia Deum patrem, eius [pag. 24] Filium ac Spiritum nobis ostendunt. Ut concipere intelligentia nostra Patrem nequeat, quin et Filium simul complectatur, in quo viva eius imago reluet: et Spiritum, in quo potentia virtusque eius conspicua est. In uno igitur Deo tota mentis cogitatione defixi haereamus: interim tamen Patrem cum Filio et Spiritu suo contemplemur.

### Credo in unum Deum patrem, omnipo-tentem, creatorem coeli et terrae.

His verbis non Deum ut esse credamus, simpliciter docemur: sed magis ut esse Deum nostrum agnoscamus, ac nos esse in eorum numero confidamus, quibus pollicetur se fore Deum et quos in populum recipit (Lev. 26, 12 et alibi). Tribuitur illi omnipotencia, qua significatur et providentia sua administrare omnia, et voluntate gubernare, et virtute

*Calvini opera. Vol. V.*

manuque sua moderari. Coeli ac terrae creator dum nuncupatur, simul intelligendus est perpetuo fovere, sustinere, vivificare, quidquid semel condidit.

### Et in Iesum Christum filium eius uni-cum Dominum nostrum.

Quod ante docuimus Christum fidei nostrae proprium obiectum esse, ex eo facile appetit, quod omnes salutis nostrae partes hic in ipso representantur. Iesum vocamus ipsum, quo titulo coeleste oraculum ipsum insignivit, quia missus est ut populum suum a peccatis salvum faciat (Luc. 1, 68), quare scripturae affirmant, non aliud datum nomen hominibus, in quo salvos fieri oporteat (Act. 4, 12). Christi epitheton<sup>1</sup>) omnibus spiritus sancti gratis perfusum [pag. 25] fuisse designat, quae ideo in scripturis olei nomine indicantur, quod sine iis aridi ac steriles tabescamus. Hac autem unctione primum constitutus a patre rex fuit, qui omnem sibi potestatem in celo et in terra subiiceret, ut in ipso reges essemus, imperium habentes supra diabolum, peccatum, mortem et inferos. Deinde et sacerdos consecratus, qui suo sacrificio patrem nobis placaret ac reconciliaret: ut in ipso sacerdotes essemus, ipso intercessore ac mediatore, patri preces, gratiarum actiones, nosmet ipsos et nostra omnia offerentes. Praeterea filius Dei prae-dicatur, non ut fideles, adoptione duntaxat et gratia: sed naturalis et verus, ideoque unicus, ut a caeteris discernatur. Dominus autem noster est, non tantum secundum divinitatem, quam cum patre unam ab aeterno habuit: sed in ea carne, in qua exhibitus nobis fuit. Unus enim Deus, ex quo omnia, inquit Paulus: et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia (1 Cor. 8, 6).

### Qui conceptus fuit ex spiritu sancto, na-tus ex Maria virgine.

Hic habemus, qua ratione factus nobis fuerit filius Dei, et Iesus, id est, salvator, et Christus, id est unctus in regem, qui nos protegeret: ac sacerdotem, qui nobis patrem reconciliaret. Siquidem carnem nostram induit, quo filius hominis factus nos secum Dei filios faceret: recepta in se nostra paupertate, suas ad nos divitias transferret: suscepta nostra mortalitate accepta, sua nos immortalitate donaret: in terras delapsus in [pag. 26] coelum nos erigeret. Natus est autem ex virgine Maria (Matth. 1, 23), ut scilicet verus ille Abrahae Davidisque filius agnosceretur: qui in lege ac prophetis promissus erat (Gen. 15, 4; Psal. 132, 11): verus homo,

1) Cf. ad h. l. Instit. p. 129 seq.

per omnia similis nobis, excepto duntaxat peccato, qui nostris infirmitatibus tentatus ipsis condolescere disceret.<sup>1)</sup> Idem tamen in mirabili nobisque inenarrabili spiritus sancti virtute in ipsius virginis utero conceptus fuit, ne qua carnali corruptione inquinatus, sed summa puritate sanctificatus nasceretur.

**Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus descendit ad inferos.**

His verbis doceuntur, quomodo nostram redemptionem, cuius causa natus homo mortal is erat, pergerit. Nam quia hominis inobedientia provocatus erat ad iram Deus, eam ipse sua obedientia delevit, patri se obedientem praebens, usque ad mortem (Rom. 6, 12 ss.; Phil. 2, 8). Ac morte quidem sua in sacrificium se patri obtulit, quo ipsius iustitia semel in omne tempus placaretur, quo aeternum sanctificantur fideles, quo aeterna satisfactio impleretur (Hebr. 7, 9 s.). Sacrum suum sanguinem in pretium redemptionis effudit, quo et Dei furor extingueretur, adversum nos accensus, et nostra iniquitas purgaretur. Sed nihil est in ipsa redemptione quod mysterio careat. *Passus est<sup>1)</sup> sub Pontio Pilato, iudicis scilicet sententia damnatus, pro nocente et malefico, ut apud summi iudicis tribunal eius damnatione absolveremur. Crucifixus, [pag. 27] ut in cruce, quae Dei lege maledicta erat, maledictionem nostram sustineret, quam peccata nostra merebantur* (Deut. 21, 23; Gal. 3, 10). *Mortuus, ut morte sua mortem vinceret, quae nobis imminebat* (Hebr. 2, 14): ac absorberet, a qua eramus absorbendi. *Sepultus, ut illius consortes, efficacia mortis eius, peccato sepeliamur* (Rom. 6, 3), a diaboli et mortis imperio liberati. Quod ad inferos descendisse dicitur, id significat a Deo afflictum fuisse, ac divini iudicii horrore severitatemque sensisse, ut irae Dei intercederet, eiusque severitati nostro nomine satisfaceret. Ita debitas solvens ac luens poenas, non suae, quae nulla unquam fuit, sed nostrae iniquitati. Non quod pater illi fuerit unquam iratus (quomodo enim dilecto filio, in quo complacitum illi est, irasceretur? aut eius intercessione placatur, cui infensus foret?) sed hoc sensu dicitur divinae severitatis gravitatem sustinuisse, quoniam manus Dei percussus et afflatus, omnia irati et punientis Dei signa expertus est: ut coactus fuerit urgente angustia exclamare, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti* (Matth. 27, 46)?

1) Cf. ad h. l. Institut. p. 130 seq.

Resurrexit a mortuis, ascendit in celum, sedet ad dexteram patris, inde venturus ad iudicandum vivos et mortuos.

Ex eius resurrectione certam victoriae fiduciam colligere licet, de mortis imperio obtinendo. Nam ut eius doloribus ipso detineri non potuit (Act. 2, 24), sed emersit supra omnem eius potestatem: [pag. 28] ita omnes eius aculeos sic retudit ne iam ad exitium pungere nos queant. Est ergo eius resurrectio, primum certissima veritas et hypostasis nostrae resurrectionis olim futurae: deinde praesentis quoque vivificationis, qua in vitae novitatem suscitamus (Rom. 6, 8 ss.). *Suo in celum ascensu<sup>1)</sup> aditum regni celorum, qui in Adam omnibus clausus erat, nobis aperuit: siquidem celum in carne nostra, quasi nostro nomine ingressus est, ut iam in ipso per spem celum possideamus, adeoque inter coelestes quodammodo sedeamus* (Ephes. 2, 6). Neque illic est sine summo nostro bono, quin potius pro aeterni sacerdotii officio sanctuarium Dei non manufactum ingressus, pro nobis perpetuus advocatus et mediator intercederit (Hebr. 9, 11). Quod autem *sedere<sup>2)</sup> ad patris dexteram dicitur, significatur constitutum ac declaratum regem, arbitrum ac dominum super omnia, quo nos sua virtute conservet ac moderetur: ut regnum eius et gloria nostrum sit robur, virtus et adversus inferos gloriatio: deinde omnes spiritus sancti gratias in dispensationem accepisse, quibus fideles suos locupletaret (Ephes. 1, 3). *Itaque<sup>3)</sup> quamquam in celum sublatus, corporis sui praesentiam e conspectu nostro sustulit, non tamen auxilio ac potentia desinit adesse suis fidelibus, manifestaque praesentiae suae virtutem ostendere (Ephes. 4, 8 ss.); quod etiam pollicitus est. Ecce, inquit, vobiscum sum usque ad consummationem saeculi (Matth. 28, 20). Postremo subiicitur, ipsum visibili forma inde descensurum, qualis ascendere visus est, supremo scilicet die, quo omnibus apparebit, cum ineffabili regni sui maiestate, iudicaturus vivos et mortuos: hoc est, tam quos dies illae superstites deprehenderet, quam qui antea morte sublati fuerint: ac [pag. 29] mercedem omnibus redditurum, secundum opera sua, ut se quisque fidem suis operibus aut infidelem approbarit. Et hinc eximiaredit ad nos consolatio, quod iudicium delatum esse audimus ei, cuius adventus non nisi in salutem nobis esse possit.**

### Credo in spiritum sanctum.

Dum in spiritum sanctum docemur credere, simul etiam exspectare inde iubemur, quod illi in scrip-

1) Cf. Institut. p. 133.

2) Ibidem.

3) Ibid. p. 134.

turis tribuitur. Nam Christus per spiritus sui virtutem quidquid usquam est boni operatur. *Per*<sup>1)</sup> *eam agit, sustinet, vegetat, vivificat omnia: per eam nos iustificat, sanctificat, expurgat, ad sese vocat ac trahit, ut salutem consequamur.* Itaque spiritus sanctus, dum in nobis ad hunc modum habitat, *is est qui nobis suo lumine illucet, quo discamus et plane agnoscamus, quam ingentem divinae bonitatis opulentiam in Christo possideamus.* Corda nostra incendit ardore caritatis, tum Dei, tum proximi, magisque in dies excoquit et exurit concupiscentiae nostrae vita, *ut, si qua sunt in nobis bona opera, fructus sint gratiae ipsius ac virtutis.* Nostrae vero sine ipso dotes, mentis sunt tenebrae, corisque perversitas.

### Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Fontem unde ecclesia scaturit, iam inspeximus: quae nobis hoc loco credenda proponitur in hunc finem, ut confidamus universum electorum numerum, per fidei vinculum in unam coire ecclesiam<sup>2)</sup> ac societatem, unumque Dei populum, cuius [pag. 30] Christus dominus noster dux sit et princeps, ac tanquam unius corporis caput: prout in ipso, ante mundi constitutionem, sunt electi, ut in Dei regnum omnes aggregarentur. Haec autem societas catholica est, id est universalis, quia non duas aut tres inventre liceat: Verum electi Dei sic omnes in Christo uniuntur et coadunantur, ut quemadmodum ab uno capite pendent, ita in unum velut corpus coalescant, ea inter se compositione cohaerentes, qua eiusdem corporis membra, vere unum facti, qui una fide, spe, caritate, eodem Dei spiritu simul vivunt, in eandem vitae aeternae haereditatem vocati. Sancta etiam est: quia quotquot aeterna Dei providentia electi sunt, ut in ecclesiae numerum cooptarentur, spirituali regeneratione omnes a Domino sanctificantur. Posterior particula qualis ipsa sit, clarius adhuc interpretatur. Nempe tantum valere fidelium communionem, ut quidquid<sup>3)</sup> donorum Dei uni obtigit, eius omnes fiant quodammodo participes: tametsi Dei dispensatione id uni sit peculiariter datum, non aliis. Quemadmodum unius corporis membra quadam communitate inter se participant: sunt nihilominus sua singulis peculiares dotes, distinctaque ministeria. Nam, *ut dictum est, in unum collecti ac compacti sunt corpus.* Ea autem lege sanctam esse ecclesiam, eiusque communionem credimus, ut solida in Christum fide freti, eius nos quoque confidamus esse membra.

1) *Instit.* p. 136.  
p. 148.

2) *Ibid.* p. 137 seq.

3) *Ibid.*

### Credo remissionem peccatorum.

Quo fundamento consistit suffultaque est nostra salus. Quando<sup>1)</sup> *peccatorum remissio via est,* [pag. 31] *qua ad Deum accedatur, ratio quae nos in eius regno retinet ac tuetur.* Siquidem peccatorum remissione continetur omnis fidelium iustitia: quam consequuntur non ullo suo merito, sed una Domini misericordia, dum peccatorum suorum conscientia oppressi, afflitti, et confusi, divini iudicii sensu consternantur, sibique ipsis displicant, et velut sub gravi pondere genuunt ac laborant, hocque peccati odio ac confusione carnem suam, ac quidquid ex se est mortificant. Caeterum ut gratuitam peccatorum remissionem nobis Christus compararet, eam sanguinis sui pretio ipse redemit, in quo universam eorum emundationem ac satisfactionem quaerere debemus. Docemur ergo credere, divina liberalitate, intercedente Christi merito, peccatorum remissionem ac gratiam nobis fieri, qui in ecclesiae corpus asciti et inserti sumus. Nullam vero peccatorum remissionem aut aliunde, aut ulla alia ratione, aut aliis dari. Quando extra hanc ecclesiam et sanctorum communionem nulla est salus.

### Credo carnis resurrectionem, vitam aeternam.

Ubi primum de futurae resurrectionis exspectatione docemur: futurum scilicet, ut qui ante extremum iudicii diem morte absulti fuerint, eorum carnem Dominus eadem, qua filium a mortuis excitavit, potentia, a pulvere et corruptione in novam vitam revocet. Nam qui tum superstites deprehendentur, subita magis immutatione, [pag. 32] quam naturali mortis forma in novam vitam transibunt (1 Cor. 15, 51). Porro quoniam piorum simul et impiorum communis erit resurrectio, sed dispari conditione: additur particula, quae inter nostram illorumque sortem discernat: nempe sic habituram nostram resurrectionem, ut tum nos Dominus ex corruptione in incorruptionem, ex mortalitate in immortalitatem suscitabit, corporeque et anima glorificatos in beatitudinem recipiat, sine fine perstatram, extra omnem mutationis aut corruptionis sortem. Quae vera erit solidaque in vitam, lucem, iustitiam perfectio, quum inseparabiliter Domino adhaeremus, qui eorum, velut fons inexhaustus, plenitudinem in se continet. Illa<sup>2)</sup> vero beatitudo, regnum erit Dei, omni claritate, gaudio, virtute, felicitate refertum: rebus ab hominum sensu nunc remolissimis, et quas non nisi per speculum et in aenigmate nunc intuemur: donec venerit dies ille, quo nobis suam gloriam Dominus facie ad faciem conspiciendam ex-

1) *Instit.* p. 149 seq.

2) *Ibid.* p. 151 seq.

hibebit (1 Cor. 13, 12). *Contra reprobri ac impii, qui sincera Deum fide nec quaesierint, nec coluerint, quando nullam in Deo ac regno eius partem habituri sunt, in mortem immortalem, ac incorruptibilem corruptionem cum diabolis coniicientur. Ut extra omne gaudium, virtutem, ac caetera regni coelestis bona, aeternis tenebris, aeternoque cruciatu damnati, verme immortali arrodantur, et igne ardeant inexstingibili* (Ies. 66, 24).

### QUID SIT SPES.

*Si fides,<sup>1)</sup> ut auditum est, certa est de veritate Dei persuasio, quod nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita esse queat: qui hanc certitudinem conceperunt, [pag. 33] simul profecto exspectant, fore, ut promissio-nes suas Deus praestet, quae, eorum opinione, non nisi verae esse possunt. Ut in summa nihil aliud sit spes, quam eorum exspectatio, quae vere a Deo pro-missa fides credit. Ita fides Deum veracem credit, spes exspectat ut in temporis occasione veritatem suam exhibeat. Fides credit, nobis esse patrem: spes ex-spectat, ut se talem erga nos semper gerat. Fides datam nobis vitam aeternam credit: spes exspectat, ut ali- quando reveletur; fides fundamentum est, cui spes in-cumbit: spes fidem alit, ac sustinet. Nam ut exspec-tare a Deo nemo quidquam potest, nisi qui prius eius promissis crediderit, ita rursus fidei nostrae imbecil- litatem, ne velut fessa concidat, sustineri ac foveri, pa-tienter sperando et exspectando, oportet.*

### DE ORATIONE.

*Homo vera fide probe institutus, facile primum perspicit,<sup>2)</sup> quam sit bonorum omnium egenus atque inanis, quamque sibi omnia desint salutis adiumenta. Quare, si praesidia quaerit quibus inopiae suae suc-currat, extra se exeat oportet, et aliunde ea sibi com-paret. Rursum Dominum sese ultro ac liberaliter in Christo exhibentem contemplatur, ac in eo coelestes omnes thesauros aperientem: ut dilectum illum filium suum tota eius fides intueatur, ab ipso tota eius ex-spectatio pendeat, in ipso tota spes eius haereat et ac-quiescat. Restat ergo, ut in ipso quaerat, et ab ipso precibus postulet, quod in ipso esse didicit. Alioqui scire Deum, bonorum omnium dominum ac largito-rem, qui nos ad se poscendum invitet: ipsum vero nec adire, nec [pag. 34] poscere, adeo non prodesset, ut per-indie id futurum sit, ac si quis indicatum thesaurum, humi sepultum ac defossum, negligat.*

### QUID IN ORATIONE SPECTANDUM.

*Quum oratio cuiusdam inter nos et Deum arbitrii instar habeat, quo vota, gaudia, suspiria, cogi-*

tationes denique cordis nostri omnes coram ipso effundimus, diligenter prospiciendum est nobis, quoties Dominum invocamus, ut in intimos cordis nos-tri recessus descendamus, et inde, non ex gutture aut lingua, Deum appellemus. Tametsi enim in oratione lingua interdum conduit, sive ut mens in Dei cogitationem intenta eius exercitio retineatur, sive ut pars illa nostri, praedicandae Domini glo-riae peculiariter destinata, simul cum corde, in me-ditanda Domini bonitate occupetur: quid tamen sine animo valeat, Dominus per prophetam (Ies. 29, 13; Matth. 15, 7 s.) declaravit, gravissima ultio in omnes promulgata qui corde ab ipso alienati, labiis eum honorant. Quod si vera oratio nihil aliud esse debet, quam sincerus animi nostri sensus, ad Deum accessuri, omni gloriae nostrae cogitatione, omni propriae dignitatis opinione, omni denique nostri fiducia decedamus oportet: quemadmodum a propheta (Daniel 9, 5 ss.) admonemur, non in iustitiis nostris fundere preces, sed in misericordiis eius magnis, ut ille nos propter semet ipsum exaudiat, ut super nos invocatum est nomen eius. Neque vero hic miseriae nostrae sensus deterrere nos ab accessu Domini debet, quoniam non instituta est oratio, qua nos arroganter coram Deo efferamus, aut aliquid nostrum magno aestimemus: sed qua nostras [pag. 35] calamitates confiteamur ac deploremus: quemadmodum filii apud parentes suas querimonias familiariter deponunt. Quin hic potius sensus nobis instar calcaris ac stimuli esse debet, quo acrius ad orationem incitemur. Duo autem sunt quae ad orationis studium vehementer nos impellere debeant: *mandatum<sup>1)</sup> Dei, quo orare prae-cipit: et promissio, qua pollicetur impetraturos quidquid petierimus. Insigni enim consolatione friuntur, qui eum invocant ac requirunt, quod intelligent sic agendo se agere rem illi acceptam: deinde eius veritate freti, se exauditum iri certo confidunt. Petite, inquit, et dabitur vobis, pulsate et aperietur, quaerite et in-venietis (Luc. 11, 9). Et Psal. 50 (v. 15): Invoca me in die necessitatis: eruam te, et glorificabis me. Ubi etiam duas orationis partes breviter, sed ele-ganter complexus est: invocationem seu petitionem, et gratiarum actionem. Priore cordis nostri deside-ria apud Deum deponimus, altera eius erga nos be-nefacta recognoscimus, utraque autem in usu nobis continenter esse debet. Tanta enim rerum angustia nos undique urget ac premit, ut satis sit causae omnibus, etiam sanctissimis, cur assidue gemant ac sus-pirent ad Deum, supplicesque ipsum invocent. Ad haec tanta ac tam effusa benefactorum Dei largitas nos paene obruit, tot ac tam ingentia eius miracula, quaquaversum species, cernuntur, ut nunquam no-bis desit laudis ac gratiarum actionis materia.*

1) *Instit. p. 153.*

2) *Ibid. p. 157 seq.*

1) *Instit. p. 160 seq.*

## ORATIONIS DOMINICAE ENARRATIO.

Iam clementissimus pater, praeterquam quod nos [pag. 36] monet atque hortatur, ut se in omni necessitate quaeramus, quoniam tamen videbat ne id quidem nos perspicere, quid aequum postulare, quidve e re nostra foret, huic etiam nostrae ignorantiae occurrat: et quod captui nostro deerat, de suo suppletivit ac sufficit. Ex qua<sup>1)</sup> eius benignitate magnum consolationis fructum percipimus, quod nihil absurdum, nihil alienum aut importunum, nihil denique non illi acceptum postulare nos intelligimus, qui paene ex eius ore rogamus. Haec orandi seu forma, seu regula, sex petitionibus constituta est. Quarum tres priores Dei gloriae peculiariter destinatae sunt, quam solam in illis intueri oportet, nullo commodi nostri, ut aiunt, respectu. Tres reliquae nostri curam gerunt, ac proprie*is*, quae ex usu nostro sunt, postulandis sunt assignatae. Sic tamen, ut Domini gloriam, quam unam prioribus illis spectamus, bonum nostrum, a cuius cogitatione mentem avertimus, ultro sequatur: rursum quod commodo nostro expetimus, non aliter quam in Domini gloriam postulare liceat.

## Pater noster, qui es in coelis.

Primum<sup>2)</sup>. in ipso limine occurrit, omnem a nobis orationem offerri Deo debere, in Christi nomine: ut nulla alio nomine commendari illi potest. Nam ex quo patrem appellamus Deum, nomen certe Christi praetendimus. Quando<sup>3)</sup> sane nemo est hominum dignus, qui Deo se repraesentet, ac in eius conspectum prodeat, ipse coelestis pater, ut nos hac confusione evimeret, quae nostros omnium animos deincere debebat, filium nobis suum [pag. 37] donavit, Iesum Christum, qui apud ipsum nobis sit advocatus et mediator, cuius ductu ad ipsum secure accedamus, tali intercessore confisi, nihil, quod eius nomine petierimus, nobis denegatum iri: ut illi a patre nihil denegari potest. Thronum quoque Dei, non maiestatis tantum esse thronum, sed gratiae, apud quem eius nomine multa fiducia apparere audeamus, misericordiam consequuturi et gratiam inventuri, in auxilio opportuno (Hebr. 4, 16). Atque ut lex de invocando Deo posita est, ut promissio data, exauditum iri, qui invocaverint: ita in nomine Christi, invocare peculiariter iubemur: et propositionem habemus propositum, impetraturos quod in eius nomine petierimus (Ioann. 14, 16 et 15, 7). Adscribitur, ipsum esse in coelis: quo inenarrabilis<sup>4)</sup> eius maiestas, quam aliter mens nostra, pro sua crassitate, concipere non potest, designata est, quia coelo nihil augustius, aut maiestate plenius sub aspectum nostrum venire potest. Quod perinde valet, ac si dic-

tus esset potens, sublimis, incomprehensibilis. Id vero dum audimus, exserenda est altius nostra cogitatio, quum de Deo sermo est, ne quidquam terrenum aut carnale de ipso somniemus, ne ipsum nostris modulis metiamur, ne eius voluntatem ad nostros affectus exigamus.

## Prima petitio. Sanctificetur nomen tuum.

Nomen Dei est, quo propter virtutes suas inter homines memoratur ac celebratur: quales sunt eius sapientia,<sup>1)</sup> bonitas, potentia, iustitia, veritas, misericordia. Hanc ergo maiestatem in eiusmodi virtutibus sanctificari petimus: [pag. 38] non in Deo ipso, cui apud se nihil accedere aut decedere potest: verum ut ab omnibus sancta habeatur, hoc est, vere agnoscatur et magnificetur. Et quidquid agit Deus, omnia eius opera gloriosa, ut sunt, appareant, ut, sive ipse puniat, iustus: sive ignoscat, misericors: sive praestet quod promisit, verax praedicetur. Denique nulla omnino res sit, in qua non eius gloria insculpta reluceat, et ita in omnibus animis, in omnibus linguis laudes eius personent.

## Secunda. Adveniat regnum tuum.

Regnum<sup>2)</sup> Dei est, sancto suo spiritu agere ac regere suos, quo in omnibus eorum operibus divitias bonitatis ac misericordiae suae conspicuas faciat. Rursum reprobos, qui regno suo subiici nolunt, perdere ac confundere et sacrilegam eorum arrogantium prosternere: quo manifestum fiat, nullam esse potestatem, quae suae potestati resistere queat. Oramus itaque, ut regnum Dei adveniat: hoc est, ut novum in dies fidelium populum Dominus multiplicet, qui gloriam suam modis omnibus celebrent, in eos gratiarum suarum ubertatem largius semper effundat, per quas magis indies ac magis vivat in illis ac regnet, donec perfecte sibi adiunctos totus impleat: simul ut lucem ac veritatem suam novis semper incrementis illustret, quibus Satanae, regnique eius tenebras ac mendacia evanescant, dispellantur, ac pereant. Dum autem hunc in modum precamur, ut regnum Dei adveniat, simul optamus ut perficiatur tandem et impleatur: in revelationem scilicet iudicii eius, quo die solus ipse exaltabitur, eritque in omnibus omnia (1 Cor. 15, 28): collectis ac receptis in gloriam [pag. 39] suis, regno vero Satanae turbato penitus et prostrato.

## Tertia. Fiat voluntas tua, ut in coelo, ita in terra.

Qua<sup>3)</sup> postulamus, ut quemadmodum in coelo sollet, ita in terra, omnia pro sua voluntate temperet at-

1) Instit. p. 173 seq.  
p. 162 seq.

2) Ibid. p. 175.

3) Ibid.  
p. 181.

1) Instit. p. 181.  
2) Ibid. p. 182 seq.  
3) Ibid. p. 184 seq.

*que componat, omnes rerum eventus moderetur, omnibus suis creaturis pro suo arbitrio utatur, omnes omnium voluntates sibi subiiciat. Atque id quidem postulantes nostris omnibus desideriis abrenunciamus, quidquid in nobis est affectuum Domino resignantes ac permittentes: rogantesque ne res ex voto nostro nobis fluere, verum, ut ipse prospiceret ac decreverit, succedere faciat. Neque vero id solum petimus, ut affectus nostros, qui voluntati suae adversantur, Deus vanos et irritos faciat: sed potius ut novas mentes novosque animos, nostris extinctis, in nobis cred: ut nullus cupiditatis motus in nobis sentiatur, quam purus cum voluntate sua consensus. In summa, ne quid ex nobis ipsis velimus, sed ut spiritus suus veli in nobis, quo intus docente discamus amare ea, quae illi placita sunt: odisse vero, atque abominari, quaecunque dispergant.*

#### Quarta. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

*Qua,<sup>1)</sup> in genere omnia, quibus corporis usus sub elementis huius mundi indiget, a Deo petimus: non modo quo alamur, ac vestiamur, verum etiam quidquid omnino conducere nobis prospectit: ut panem nostrum in pace comedamus. [pag. 40] Quia breviter nos in eius curam tradimus, ac providentiae committimus, ut nos pascat, foveat, servet. Non enim deditur optimus pater corpus etiam nostrum in fidem ac custodiam suam suspicere, ut fidem nostram minutis istis in rebus exerceat, dum ab eo omnia, usque ad micam panis, et guttam aquae exspectamus. Porro quod Quotidianum et Hodie dicimus, significat petendum duntaxat quantum necessitati nostrae satis est, et velut in diem: hac certa fiducia, patrem nostrum, ubi nos hodie nutrierit, neque nobis crastinum defuturum. Quantacunque autem rerum copia nobis affluat, semper tamen panem quotidianum nos petere convenit, hoc cogitantes, omnem substantiam nihil esse, nisi quatenus effusa sua benedictione Dominus prosperat et foecundat: et quae in manu nostra est, ne nostram quidem eam esse, nisi quatenus in singulas horas portiunculam nobis dispensat, usumque permittit. In eo quod Noster dicitur, magis adhuc eminet Dei benignitas, quae nostrum facit, quod nobis nulla ratione debebatur. Quod dari petimus, significatur esse simplex ac gratuitum Dei donum, undecunque nobis adveniat, etiam ubi maxime visus fuerit arte atque industria nostra quaesitus.*

#### Quinta. Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

*Qua peccatorum<sup>2)</sup> veniam et remissionem condo-*

1) Institut. p. 186 seqq.

2) Ibid. p. 188 seqq.

*nari nobis petimus, omnibus, sine ulla exceptione, omnibus necessariam. Et debita nuncupamus, quod eorum poenam Deo, ceu pretium, debemus: nec satisfacere ullo modo possemus, [pag. 41] nisi hac remissione liberaremur, quae venia est gratuita misericordiae ipsius. Eam nobis indulgeri petimus, ut ipsi debitoribus nostris remittimus: hoc est, ut iis parcimus, ac veniam condonamus, a quibus ulla in re laesi sumus, aut forte<sup>1)</sup> inique tractari, aut dicto contumeliose accepti. Quae conditio non additur, ac si nostra, quam aliis facimus, remissione, Dei remissionem mereamur: verum signum hoc apponitur, quo confirmemur, tam certo nobis esse a Deo peccatorum remissionem, quam certo consci sumus aliis eam a nobis fieri: si tamen animus nobis omni odio, livore, vindicta vacuus purgatusque est. Contra autem e numero filiorum Dei expungantur, qui ad ulciscendum praecipites, ad remittendum difficiles, pertinaces iniurias exercent, ne Deum pro patre invocare ausint, et indignationem, quam adversus alios fovent, a se deprecari.*

#### Sexta. Ne nos inducas in temptationem, sed libera nos a malo.

*Qua non flagitamus, ne<sup>2)</sup> ulla omnino tentaciones sentiamus, quibus potius excitari, pungi, vellicari magnopere nostra refert, ne nimium resides torpeamus: qualiter electos suos quotidie tentat Dominus, eos per ignominiam, paupertatem, tribulationem, et alias crucis species castigans: sed haec nostra est postulatio, ut una cum temptatione faciat eventum, ne ullis temptationibus vincamur ac obruamur: sed eius virtute firmi ac robusti, contra omnes adversas virtutes, quibus oppugnamur, fortes consistamus. Deinde, ut in eius custodiam ac fidem suscepti, ac spiritualibus eius gratia sanctificati, [pag. 42] eius protectione muniti, supra diabolum, mortem, inferorum portas, et totum diaboli regnum invicti stemus, quod est a malo liberari. Observandum autem, quomodo ad caritatis regulam formatas esse nostras orationes velit Dominus, qui nos non ad petendum, quod nobis expediat, omissa fratrū ratione, instituit: sed de illorum bono, perinde ac de nostro, esse sollicitos iubet.*

#### ORANDI PERSEVERANTIA.

*Hoc demum<sup>3)</sup> prospicere convenit, ne certis circumstantiis Deum alligare velimus, qualiter et hac oratione docemur, nullum illi legem praefigere, aut conditionem imponere. Nam antequam ullam pro nobis pre-*

<sup>1)</sup> Sic legitur in Catechismo. Quod Institutio habet: facto, omnino praeferendum videtur. <sup>2)</sup> Institut. p. 192 seq. <sup>3)</sup> Ibid. p. 197 seqq.

*cem concipimus, praefamur, ut eius voluntas fiat, ubi iam eius voluntati nostram subiicimus, quo velut freno iuncto coercita, Deum in ordinem cogere ne praesumat. Si, animis in hanc obedientiam compositis, providentiae divinae arbitrio nos regi patimur, facile discemus in oratione perseverare, ac suspensi desideriis patienter exspectare Dominum: certi, etiam si minime appareat, nobis tamen semper adesse, suoque tempore declaratur, quod non habuerit surdas aures precibus, quae in hominum oculis neglectae videbantur. Quod si demum, nec post longam expectationem, assequatur sensus noster, quid orando profectum sit, nec fructum inde ullum sentiat: fides tamen nostra quod sensu percipi non poterit, nobis certum faciet, nos obtinuisse quod expediebat. Atque ita efficiet, ut in paupertate abundantiam, in afflictione consolationem possideamus. Nam ut deficiant omnia, Deus tamen [pag. 43] nunquam nos destituet: qui expectionem ac patientiam suorum frustrari non potest. Erit ipse unus nobis pro omnibus, quando bona omnia in se complectitur, quae olim nobis ad plenum revelabit.*

### DE SACRAMENTIS.

Sacraenta ideo sunt instituta, ut tum coram Deo, tum apud homines fidei nostrae exercitia essent. Ac coram Domino quidem fidem nostram exercent, dum in Dei veritate ipsam confirmant. Nam quod ignorantiae carnis nostrae expedire Dominus providebat, sublimia coelestiaque mysteria sub carnalibus elementis contemplanda proposuit. Non quod tales inditae sint dotes naturis rerum, quae in sacramentis nobis proponuntur: sed quia Domini verbo in hanc significationem signatae sunt. Praecedit enim semper promissio, quae verbo continetur: additur symbolum, quod promissionem ipsam firmet atque obsignet, nobisque velut testatem faciat, quomodo nostrae tenuitatis captui convenire prospicit Dominus. Sic<sup>1)</sup> enim exigua est et imbecilla nostra fides, ut nisi undique fulciatur, ac modis omnibus sustentetur, statim concutatur, fluctuetur, vacillet. Iam et ipsa exercetur apud homines sacramentis, dum in publicam exit confessionem, et ad referendam Domino laudem excitatur.

### QUID SACRAMENTUM.

*Est<sup>2)</sup> ergo sacramentum signum externum, quo bonam suam erga nos voluntatem Dominus nobis praesentat ac testificatur, ad imbecillitatem fidei nostrae sustinendam. Aut brevius ac clarius: Testimonium gratiae Dei, externo symbolo declaratum. Duo bus omnino sacramentis utitur christiana ecclesia.*

[pag. 44]

### DE BAPTISMO.

*Baptismus<sup>1)</sup> nobis a Deo datus, primum ut nostre apud se fidei, deinde ut confessioni apud homines serviret. Fides promissionem respicit, qua misericors pater Christi sui communicationem offert, ut ipso induiti, omnium eius bonorum participes simus. Duo tamen peculiariter praesentat: purgationem, quam in Christi sanguine obtainemus: carnis nostrae mortificationem, quam eius morte sumus assequuti. Iussit enim Dominus suos baptizari in remissionem peccatorum. Et Paulus docet, ecclesiam a spenso Christo sanctificatam esse, et mundatam lavacro aquar, in verbo vitae (Ephes. 5, 29). Rursum in Christi mortem baptizatos esse nos, interpretatur, morti eius consepultos, ut in vitae novitate ambulenuis (Rom. 6, 4). Quibus non significatur, purgationis ac regenerationis causam, vel etiam efficaciam aquae subesse: sed duntaxat talium donorum in hoc sacramento percipi cognitionem, quando accipere, obtainere, impetrare dicimur, quod nobis credimus a Domino datum: sive id tum primum agnoscamus, sive agnatum antea certius persuademur. Confessioni<sup>2)</sup> autem nostrue apud homines sic servit, siquidem nota est, qua palam profitemur, nos Dei populo accenseri velle, quo unum cum omnibus piis Deum, eadem religione colamus. Quum ergo baptismo praecipue foedus Domini nobiscum sanciatur, iure infantes nostros baptizamus, consortes scilicet foederis semipiterni: quo pollicetur Dominus se fore Deum, non nostrum modo, sed seminis nostri.*

[pag. 45]

### DE COENA DOMINI.

*Quem<sup>3)</sup> in finem institutum sit coenae mysterium, ac quorsum spectet, promissio illic addita perspicue declarat. Nempe ut nobis confirmet, corpus Domini sic pro nobis semel traditum, ut nunc nostrum sit, ac perpetuo etiam futurum: sanguinem eius sic pro nobis semel effusum, ut noster sit semper futurus. Symbola sunt, panis et vinum, sub quibus veram corporis ac sanguinis sui communicationem Dominus exhibit: sed spirituale, quae scilicet vinculo spiritus eius contenta, praesentiam aut carnis sub pane, aut sanguinis sub calice conclusam et circumscriptam minime requirat. Tametsi enim ipse in coelum sublatus residere in terra desuit, in qua nos adhuc peregrinamur, nullum tamen intervallum eius virtutem solvere potest, quin fideles semetipsa pascat, ac efficiat ut loco absentes, tamen praesentissima sui communicatione fruantur. Huius rei documentum nobis in coena praebet adeo certum ac luculentum, ut procul dubio statuendum sit, Christum cum suis omnibus divitiis, nobis ex-*

1) *Instit. p. 201.*2) *Ibid. p. 200.*1) *Instit. p. 217 seqq.* 2) *Ibid. p. 227.* 3) *Ibid. p. 236.*

hiberi, non secus ac si praesens ipse aspectui nostro obiceretur, ac manibus attractaretur: atque adeo<sup>1)</sup> ~~w~~ <sup>tanta</sup> virtute, <sup>et</sup> tantaque efficacia, ut non modo indubitatem vitae aeternae fiduciam animis nostris afferat: sed de carnis etiam nostrae immortalitate securos nos reddat. Siquidem ab immortali eius carne iam vivificatur, et quodammodo eius immortalitati communicat. Proinde sub pane et vino repreäsentantur corpus et sanguis. Quo discamus, non modo nostra esse, sed nobis esse in vitam et alimentum, sic, quum panem videmus in [pag. 46] Christi corpore sanctificatum, haec<sup>2)</sup> statim concipienda est similitudo. Ut corporis nostri vitam panis alit, sustinet, tuctur: ita Christi corpus, vitae nostrae spiritualis cibum ac protectionem esse. Quum vinum in symbolum sanguinis profertur, quos afferit corpori usus, eosdem spiritualiter Christi sanguine nobis afferri reputemus. Porro hoc mysterium, ut est tantae erga nos divinae largitatis documentum, ita simul<sup>3)</sup> admonere debet, ne tam effusae benignitati ingrati simus. Quin potius eam, quibus par est laudibus praedicemus, gratiarumque actione celebremus. Tum ut nos vicissim ea amplectamur unitate, qua compacta inter se eiusdem corporis membra connectuntur. Nullus enim ad excitandam<sup>4)</sup> inter nos mutuam caritatem admoveri acrior stimulus poterat, quam dum Christus se ipsum nobis donans, non modo suo nos exemplo, ut alter alteri nos mutuo devoveamus ac dedamus invitat: sed ut se facit omnium communem, ita quoque omnes unum in semet ipso esse facit.

#### DE ECCLESIAE PASTORIBUS ET EORUM POTESTATE.

Quoniam quum verbum, tum sacramenta, hominum ministerio dispensari voluit Dominus, pastores ecclesiis praeesse oportet, qui et sincera doctrina publice privatimque plebem erudiant, sacramenta ipsa administrent, et optimo exemplo ad vitae sanctitatem ac puritatem instituant. Hanc disciplinam et hunc ordinem qui aspernantur, non hominibus, sed Deo sunt contumeliosi, adeoque se ab ecclesiae societate factiose subducunt: ut quae sine eiusmodi ministerio consistere nullo [pag. 47] modo potest. Non enim parvi momenti est, quod semel testatus est Dominus: semet ipsum recipi, dum illi recipiuntur: pariter et abiici, dum illi abiiciuntur (Matth. 10, 40). Ac ne contemptibile foret eorum ministerium, insigni mandato instruuntur ligandi et solvendi (Matth. 16, 19): addita promissione, quaecunque in terris ligaverint aut solverint, ligari et solvi in coelo

1) *Instit.* p. 247. 2) *Ibid.* p. 238. 3) *Ibid.* p. 251  
*seq.* 4) *Ibid.* p. 254.

(Ioann. 20, 23). Ligare autem, alibi peccata retinere: solvere, remittere, Christus ipse interpretatur. Iam quae sit solvendi ratio, exponit apostolus (Rom. 1, 16), dum evangelium virtutem Dei esse docet, ad salutem omni credenti. Eursum quis ligandi modulus, dum promptam penes apostolos vindictam esse dicit adversus omnem inobedientiam (2 Cor. 10, 6). Siquidem evangelii summa est, nos peccati mortis que servos, solvi ac liberari per redemtionem quae est in Christo Iesu, quem qui redemptorem non suscipiunt, eos novis gravioris damnationis vinculis constringi. Verum meminerimus illam, quae pastoribus in scriptura defertur, potestatem, totam verbi ministerio terminatam esse. Non enim hanc potestatem hominibus proprie Christus dedit: sed verbo suo, cuius homines ministros fecit. Itaque verbo<sup>1)</sup> Dei, cuius positi sunt dispensatores, confidenter omnia audeant, eius maiestati omnem mundi virtutem, gloriam, sublimitatem cadere<sup>2)</sup> atque obedire cogant: per ipsum omnibus, a summo usque ad novissimum, imperent, Christi domum aedificant, Satanae regnum subvertant, oves pascant, lupos interficiant, dociles instuant et exhortentur, rebelles et pervicaces arguant. increpant, revincant: sed omnia in verbo. A quo si ad sua somnia, capitisque sui figmenta divertant, [pag. 48] iam non pro pastoribus habendi: sed, quum lupi sint potius pestilentes, abigendi sunt. Non enim alios audiri Christus praecipit, quam qui nos doceant, quae ab eius verbo sumpserint.

#### DE TRADITIONIBUS HUMANIS.

Quum generalem Pauli sententiam habeamus, ut decenter et ordine fiant in ecclesiis omnia (1 Cor. 14, 40), civiles observationes, quibus ceu vinculis, ordo et decorum in Christianorum coetu consistat, vel concordia retineatur, nequaquam inter humanas traditiones numerandae sunt: sed ad illam apostoli regulam potius referendae, modo ne vel ad salutem necessariae credantur, vel conscientias religione obstringant, vel ad Dei cultum conferantur, vel in illis pietas reponatur. Quae vero sub titulo spiritualium legum, ad ligandas conscientias, velut ad Dei cultum necessariae feruntur, iis fortiter est resistendum. Non enim libertatem solum, quam nobis Christus acquisivit, evertunt: sed veram quoque religionem obscurant, ac Dei maiestatem violant, qui solus in conscientiis nostris regnare vult per verbum suum. Fixum ergo istud maneat, Omnia nostra esse, nos autem Christi (1 Cor. 3, 23): frustra vero coli Deum, ubi docentur doctrinae, hominum praecepta (Matth. 15, 9).

1) *Instit.* p. 427 *seq.* 2) Sic legitur in Catechismo, Institutio exhibet caedere, i. e. cedere.

### DE EXCOMMUNICATIONE.

Excommunicatio est, qua manifestarii scortatores, adulteri, fures, homicidae, avari, rapaces, iniqui, iurgatores, comessatores, ebriosi, seditiosi, decoctores, postquam admoniti non resipuerunt, e fidelium consortio, secundum Domini [pag. 49] mandatum cibiantur. Non quod in perpetuam ruinam ac desperationem eos ecclesia coniiciat, sed eorum vitam ac mores damnat: et nisi resipuerint, eos iam suae damnationis certos facit. Est autem haec disciplina ideo necessaria inter fideles, quod ecclesia corpus Christi quem sit, eiusmodi foetidis membris pollui et contaminari non debet, quae in capitibus dedecus recidunt. Deinde ne eiusmodi improborum consuetudine, quod evenire solet, sancti corrumpantur. Conducit et iis ipsis, suam nequitiam ita castigari, qui aliqui indulgentia obstinatiore fierent, nunc pudore confusi resipiscere discunt. Quod si obtineatur: eos in communionem benigne ecclesia recipit, ac in participationem eius unitatis, a qua exterminati fuerant. Ne quis autem ecclesiae iudicium contumaciter spernat, aut parvi aestimet, se fidelium suffragiis damnatum, testatur Dominus, tale fidelium iudicium non aliud esse, quam sententiae suae promulgationem, ratumque haberi in coelis, quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Dei, quo perversos damnent; habent verbum, quo resipiscentes in gratiam recipient (Matth. 18, 18).

### DE MAGISTRATU.

Magistratum functionem non modo sibi probari, acceptamque esse, testatus est Dominus, sed honorificis insuper elogiis eius dignitatem prosequutus, mirifice nobis commendavit. Nam et sapientiae suae opus esse affirmat, quod reges regnant, quod consiliarii iusta decernunt, quod magnifici terrae sunt iudices (Prov. 8, 15): et alibi deos nuncupat (Psal. 82, 6), quoniam negotium suum gerunt, alio etiam loco [pag. 50] iudicium pro Deo, non pro homine, exercere dicuntur (Deut. 1, 17). Et Paulus<sup>1)</sup> (Rom. 12, 7), *inter Dei dona, praefecturas nominat. Ubi vero longiorem de iis disputationem instituit, clarissime do-*

cet, eorum potestatem Dei ordinationem esse. Ipsos autem ministros esse Dei, bene agentibus in laudem, malis ad iram ultores (Rom. 13, 4). Quam ob rem principum ac magistratum est, cogitare, cui in suo munere serviant, nec quidquam indignum Dei ministris ac vicariis admittere. Tota autem corum prope sollicitudo in hoc incumbere debet, ut publicam religionis formam impollutam conservent, ut populi vitam optimis legibus forment, ut suae ditionis bonum ac tranquillitatem publice privatimque procurent. Haec autem obtineri nequeunt, nisi iustitia et iudicio, quae duo illis a propheta potissimum commendantur (Ier. 22, 2 ss.). *Iustitia<sup>1)</sup> quidem est, innocentes in fidem suscipere, complecti, tueri, vindicare, liberare: iudicium autem, impiorum audaciae obsistere, vim comprimere, delicta punire. Subditorum vicissim partes sunt, praefectos suos non modo honorare et revereri: sed eorum quoque salutem ac prosperitatem Domino precibus commendare, eorum imperio sese ultrro subiicere, edictis ac constitutionibus parere, onera quae ab illis imponuntur non detrectare, seu vectigalia sint, seu tributa, seu munera civilia, et quidquid est eiusmodi. Neque vero iis solum praefectis obsequentes nos praebeamus oportet, qui probe, et qua debent fide imperium administrant: sed eos quoque ferre convenit, qui potestate sua insolenter abutuntur, donec legitimo ordine simus ab eorum iugo liberati. Nam ut bonus princeps, divinae beneficentiae documentum est, ad [pag. 51] salutem hominum conservandam: ita malus et improbus, eius flagellum est, ad castiganda populi delicta. Hoc tamen in universum habendum est, utrisque datum a Deo potestatem: neque illis resisti posse, quin Dei ordinationi resistamus. At vero<sup>2)</sup> in praefectorum obedientia unum semper excipiendum, ne ab eius obedientia nos deducat, cuius decretis regum omnium iussa cedere par est. Dominus ergo rex est regum, qui ubi os aperuit, unus pro omnibus simul ac supra omnes, est audiendus. Iis deinde, qui nobis praesunt, hominibus subiecti simus: sed non nisi in ipso. Adversus ipsum si quid imperent, nullo sit nec loco, nec numero: sed illa potius sententia locum habeat, obediendum Deo magis quam hominibus.*

1) *Instit. p. 476.*

1) *Instit. p. 482.* 2) *Ibid. p. 513 seq.*

FINIS.

[pag. 52]

## CONFESSIO FIDEI,

IN QUAM IURARE CIVES OMNES GENEVENSES ET QUI SUB CIVITATIS EIUS DITIONE AGUNT, IUSSI SUNT: EXSCRIPTA E CATECHISMO QUO UTITUR ECCLESIA GENEVENSIS.

1 Petr. 2, 2: *Veluti nati infantes lac rationale et sincerum concupiscite.*

1 Petr. 3, 15: *Parati estote ad reddendam unicuique eius quae in vobis est spei rationem.*

1 Petr. 4, 11: *Qui loquitur loquatur ut eloquia Dei.*

### DE VERBO DOMINI.

Principio, pro fidei et religionis nostrae regula, nos unam scripturam sequi velle profitemur, neque illi admisceri quidquam patimur hominum sensu, citra verbum Dei, excogitatum: neque aliam in spirituale regimen, doctrinam amplectimur, quam quae ab eo verbo sumpta fuerit: ita ut nihil addatur, nec detrahatur, quemadmodum docemur Dei interdicto.

### DE UNO DEO.

Itaque, ut scripturae doctrina sumus instituti, Deum unum agnoscamus, quem omnes nos adorare, cui servire, in quo totam spem et fiduciam nostram reponere conveniat: cum hac certa persuasione omnem in illo sapientiam, virtutem, iustitiam, bonitatem et misericordiam contineri: atque ut spiritus est, ita in veritate et spiritu colendum credimus. [pag. 53] Proinde abominationem esse ducimus, si quis fiduciam spemque suam in creatura reponat, si quem alium adoret, vel angelum, vel hominem; si quem alium pro animae suae domino recipiat, sive ex sanctis mortuis, sive ex vivis hominibus. Praeterea si cultum illi debitum in caeremoniis externis et carnalibus observationibus quis constituat, ac si talibus nugis Deus oblectaretur: si statuam aut imaginem repraesentandae eius divinitati erigit, aut ultra ratione adorandam proponat.

### LEX DEI UNICA.

Quandoquidem solus ille est Dominus, penes quem potestas et imperium in conscientias nostras esse debet: quando eius voluntas unica est universae iustitiae regula, vitam nostram ad canonem

sanctae legis ipsius exigendam esse confitemur: in qua omnis iustitiae perfectio comprehensa est. Nec aliam bene recteque vivendi regulam quaerimus: nec admittimus quaerenda esse alia bona opera, quibus illi gratificemur, quam quae illic nobis commendavit, ut habetur Exod. 20, 2 ss. Ego sum Dominus Deus tuus, etc.

### DE HOMINIS NATURA.

Arbitramur hominem, si in natura sua consideretur, tenebris mentis excaecatum, cordis perversitate ac corruptione refertum, ut nequaquam sit per se idoneus ad Dei cognitionem, qualem habere decet, obtinendam: aut studium probac ac sanctae vitae consectandum. Quin potius, si a Deo sibi reliquatur, non posse nisi ex ignorantia in ignorantiam ire praecipitem, atque in omnem [pag. 54] iniuriam proruere. Quam ob rem quo veram salutis suae notitiam assequatur, illuminatione opus habet: et quo ad iustitiae studium se applicet, prius in rectam iustitiae Dei obedientiam affectus eius reformari necesse est.

### HOMO IN SE DAMNATUS.

Quum homo ita, ut dictum est, lumine ac iustitia Dei penitus sit natura vacuus, nihil in se ipso, nisi certam iram ac maledictionem Dei exspectare potest, ideoque salutis suae rationem extra se ipsum quaerere debet.

### SALUS IN CHRISTO.

Iesum ergo Christum a Patre datum nobis famem, in quo recipiamus quidquid nobis apud nos

deest. Quidquid autem fecit et passus est in redemptionem nostram Christus, extra controversiam verum esse ~~ducimus~~ quemadmodum in symbolo perscriptum habemus: Credo in Deum patrem omnipotentem, etc.

### IUSTITIA IN CHRISTO.

Quare haec a Deo patre beneficia nobis in Christo collata esse recognoscimus. Primum quod quum natura inimici Deo essemus, iudicio ipsius et irae obnoxii, reconciliati illi sumus, atque in gratiam recepti intercedente Christi innocentia atque iustitia, per quam remissionem peccatorum obtinemus: ac sanguinis eius effusione, per quam abluti sumus et maculis omnibus purgati.

### REGENERATIO IN CHRISTO.

Deinde quod per spiritum eius in novam ac spiritualem naturam regeneramur, dum scilicet [pag. 55] pravae nostrae carnis cupiditates eius gratia mortificantur, ne posthac in nobis regnent. Rursum divinae voluntati nostra conformatur, quo placere per omnia Deo ac obsequi studeat. Atque ita, quod per ipsum a peccati servitute vindicamur, in qua detinemur, quantum ad naturam nostram attinet, captivi: cuius liberationis beneficio obtinemus, ut ad bona opera simus idonei.

### CONDONATIO IMPERFECTIONIS PERPETUA.

Porro talis est haec regeneratio, ut donec corpore isto mortali exonerati fuerimus, plurimum semper imperfectionum et infirmitatum in nobis persist. Unde intelligimus, nos etiamnum miseros esse peccatores, ac tametsi novos in dies progressus in iustitia Domini facere nos decet, nunquam tamen ad perfectionem aut plenitudinem venitur, quamdiu in carcere carnis nostrae habitamus. Proinde semper necessaria est nobis misericordia Domini ad obtinendam delictorum et lapsuum veniam. Unde sequitur, quaerendam semper nobis esse in Christo iustitiam nostram, non apud nos, atque abiecta operum fiducia, securitatem in ipso nostram oportere acquiescere.

### QUIDQUID BONI HABEMUS, A GRATIA DEI ESSE.

Ergo quo laus omnis et gloria ad Deum referatur, quemadmodum illi iure deberi palam est, quo etiam veram pacem et quietem conscientiae nostrae consequantur, quae supra commemoravimus beneficia, intelligimus nobis ex mera clementia

[pag. 56] misericordiaque Domini provenire, nulla dignitatis nostrae ratione habita, nulloque operum merito in calculum veniente, quibus non alia remuneratione debetur, quam aeternae confusionis. Quanquam Dominus, ubi nos pro sua benignitate in filii sui communionem semel reccpit, opera nostra grata acceptaque habet: non quod ita promereantur, sed quia condonata ipsorum imperfectione, nil in illis intuetur, nisi quod a spiritu eius profectum, purum ac sanctum est.

### FIDES.

Iam fide aditum nobis patefieri intelligimus ad tantas Dei divitias, quae liberaliter in nos offunduntur, dum scilicet certa fiducia et cordis securitate evangelii promissiones suscipimus, ac Christum amplectimur, talem qualis offertur nobis a patre, ac in scriptura demonstratur.

### INVOCATIO DEI SOLIUS PER CHRISTI INTERCESSIONEM.

Quemadmodum supra testati sumus, non alibi quam in Deo patre per Christum, recidere salutis atque omnis felicitatis fiduciam oportere, ita unum ipsum in omni necessitate invocandum dicimus: idque per Christi nomen, unici mediatoris et advocati, per quem accessus ad thronum coelestem nobis patet. Simul in omni prosperitate referendam illi gratiarum actionem. Contra vero, fictitiam illam sanctorum qui ex vita hac demigrarunt intercessionem pro superstitione, praeter scripturam inventam explodimus. Praesertim [pag. 57] quum non aliunde nata fuerit, quam ex diffidentia intercessionis Christi.

### NE PRECATIONI DESIT SENSUS ET INTELLIGENTIA.

Praeterea quum oratio nihil quam perversa simulatio sit, nisi ab interiori cordis affectu oriatur, concipiendas esse certa intelligentia orationes credimus, quo vero intelligamus quid sit a Deo postulandum, orationem ediscemus Christi ore nobis traditam, Matth. 6, 9 ss. Pater noster qui es in celis, etc.

### DE SACRAMENTIS.

Sacramenta, quae Dominus ecclesiae suae commendavit, esse fidei exercitamenta confitemur: quae tum ad ipsam in Dei promissionibus confirmandam et corroborandam, tum apud homines testificandam valere debeant. Duo autem duntaxat christianae ecclesiae, Dei autoritate, instituta esse admittimus, Baptismum et Coenam Domini. Quam ob rem quod

de sacramentis septem in regno papae receptum est, pro fabula ac mendacio habemus.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

### DE BAPTISMO.

Baptismus externum est signum, quo Dominus testatur, se velle nos in filiorum locum cooptare, ceu Christi filii sui membra. Itaque nobis in eo representatur peccatorum nostrorum purgatio, quam in Christi sanguine obtainemus: mortificatio carnis nostrae, quam consequimur ex eius morte, ut ipsi in posterum per spiritum quem dedit nobis vivamus. Quando vero in eiusmodi foedere, [pag. 58] quod nobiscum percussit Dominus, liberos quoque nostros, adhuc infantes, complexus est, signum externum iure illis communicari non dubitamus.

### DE SANCTA COENA.

Coena Domini signum est, quo sub pane et vino veram, sed spiritualem communicationem, quam in eius corpore et sanguine habemus, nobis representat. Porro secundum eius institutum, inter fidèles distribuendam putamus, ut quicunque Christo in vitam suam frui volunt, eam simul participant. Iam vero quum missa papalis maledictum et diabolicum inventum fuerit, in eversionem mysterii sanctae coenae confictum, nobis execrabilem esse pronunciamus, non secus ac idolatriam a Deo damnatam. Idque multis rationibus: nempe, quatenus pro sacrificio in redemptionem animarum aestimatur, quatenus etiam panis illic Dei loco adoratur. Etiam ut praetereamus horrendas alias blasphemias et superstitiones, ac pravum divini verbi abusum, quod illic frustra, nullo cum fructu, nullaque aedificatione usurpatur.

### DE HUMANIS TRADITIONIBUS.

Quae retinenda externae ecclesiarum politiae necessariae sunt leges, ac duntaxat ad pacem, decorum atque ordinem in Christianorum coetu retinendum pertinent, pro humanis traditionibus non ducimus: quum sub generali apostoli praecepto comprehendantur, quo decenter et ordine geri omnia inter nos iubet. Verum quae in hoc feruntur ac statuantur, ut conscientias illaqueant, ut necessitatem earum rerum iniiciant, quae non sunt a Deo praeceptae, ut cultum Dei erigant alium quam quem ipse postulat: quia [pag. 59] christianam libertatem imminuunt et violant, ceu Satanae perversa dogmata, damnamus. Quum Dominus clare pronunciet, frustra se coli doctrinis ab hominibus traditis. Quo numero reponimus votivas peregrinationes, monachatus, ciborum discrimina, matrimonii prohibitio, auricularem confessionem, et id genus reliqua.

### DE ECCLESIA.

Tametsi unica est Christi ecclesia, fieri tamen non aliter posse agnoscamus, quin fidelium conventus in varia loca distribuantur, quorum singuli vocantur ecclesiae. Et vero quum non omnes pariter coetus in nomine Domini convenient, quin potius plerique ad ipsum suis sacrilegiis polluendum concurrunt, certissimam discernendae Christi ecclesiae notam et tesserae esse hanc reputamus: ut illic iudicemus esse ecclesiam, ubi pure ac fideliter verbum Domini adnuntiatur, auditur et servatur: ubi sacramenta legitime administrantur, utcunque multum adhuc imperfectionum et lapsuum supersit, ut vitia nunquam in hac vita inter homines abstergentur. Contra, ubi evangelium nec adnuntiari, nec audiri, nec recipi videmus, illic nullam agnoscamus ecclesiae faciem.

### DE EXCOMMUNICATIONE.

Quoniam vero nunquam desunt Dei ac sacri eius verbi contemptores, apud quos nihil monendo, exhortando, reprehendendo proficitur: asperiori cum illis castigatione agendum ducimus. In hunc usum excommunicationis disciplinam, rem sanctam ac fidelibus salubrem testamur: ut revera non sine ratione a Domino instituta fuit. Hic autem finis est, ne impura sua consuetudine, flagitosi bonos [pag. 60] inquinent: ne dedecori sint Deo et ecclesiae, ut pudore suffusi aliquando resipiscant. Quapropter expedire arbitramur, ut secundum Dei institutum, omnes manifestarii idololatrae, sacrilegi, homicidae, fures, scortatores, falsi testes, seditiosi, rixatores, obtrectatores, percussores, ebriosi, decoctores, et eius formae caeteri, nisi in viam se receperint, ubi legitime fuerint admoniti, e fidelium consortio exterminentur, donec resipiscentiae signa dederint.

### DE MINISTRIS VERBI.

Non alios reputamus ecclesiae pastores, quam fidios verbi Dei ministros, et qui Christi gregem eo pascant, docendo, admonendo, consolando, exhortando, reprehendendo, prout necessitas postularit. Rursum, eodem verbo, falsis doctrinis omnibus ac Satanae imposturis strenue resistant, nihil scripturæ puritati de sua admiscentes, nec sua somnia aut mendacia ingerentes. Nec aliud quidpiam imperii vel autoritatis illis deferimus, quam ut Dei populum sibi creditum eodem verbo deducant, regant et moderentur. Cuius ministerium dum exercent, ius habent ac potestatem iubendi, prohibendi, promittendi et minandi: ut sine ipso nihil tentare, neque aggredi possunt, aut debent. Porro ut fideles verbi ministros, non secus atque ipsius Dei nuncios ac legatos suscipimus, quos perinde ac Deum

ipsum auscultare oporteat: horumque ministerium et Dei mandato adprobatum, et ecclesiae necessarium esse creditus: ita e converso pronunciamus, [pag. 61] impostores, omnesque pseudoprophetas, qui relicta evangelii puritate, ad sua commenta declinant, nequaquam esse ferendos, qualescunque pastorum titulos praeferant: quin potius, ceu lupos rapiaces e medio ecclesiae eliminandos et abigendos.

### DE MAGISTRATU.

Dominationem ac potestatem, tam regum ac principum, quam reliquorum magistratum, inter res sanctas ac legitimas Dei ordinationes numeramus. Atque ut illi, dum munere suo perfunguntur, Deo serviunt et christianam sequuntur vocationem, sive innocentibus opitulentur, quos inique opprimi videant: sive improborum audaciam, severe in eos vindicando, coerceant: sic nos vicissim eos revereri debemus ac suscipere, subiectionem ac obedientiam illis exhibere, eorum iussa exequi, onera et munia

ab illis imposita proferre, quatenus crita Dei offensionem licet. Denique non secus atque Dei vicarii aestimandi sunt, quibus repugnare nemo possit, qui cum ipso Deo bellum gerat. Illorum etiam munus, pro sancta administratione a Deo demandata est habendum, ad quod sunt assumpti, ut nobis praesint ac dominantur. Quam ob rem christiani hominis partes esse iudicamus, magistratum, sub quibus agit, prosperitatem precibus Deo commendare: legibus atque edictis, quae cum Dei praeceptis non pugnant, obedienter parere: publicam tum utilitatem, tum tranquillitatem, promovere: principum honori ac communi totius populi bono ex animo studere, ab omnibus [pag. 62] factionibus religiose abstinere, unde turbae ac tumultus nasci queant. Contra vero eos omnes, qui infideles se gerunt erga magistratum, nec ad publicam regionis in qua versantur utilitatem curandam animum applicant, pronunciamus ea perversitate prodere suam in Deum perfidiam.

FINIS.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

LACOBI SADOLETI

ROMANI CARDINALIS

EPISTOLA AD SENATUM POPULUMQUE GENEVENSEM

QUA IN OBEDIENTIAM ROMANI PONTIFICIS EOS

REDUCERE CONATUR.

---

IOANNIS CALVINI

RESPONSIO.

ARGENTORATI PER WENDELINUM RIHELIIUM

MENSE SEPTEMBRI. ANNO M. D. XXXIX.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## IACOBUS SADOLETUS

EPISCOPUS CARPENTORACTI, S. R. E. TITULI SANCTI CALIXTI PRESBYTER CARDINALIS,

SUIS DESIDERATIS FRATRIBUS

MAGISTRATUI, CONCILIO, ET CIVIBUS GEBENNENSIBUS.

*Carissimi in Christo fratres, pax vobis et noscum, hoc est, cum catholica ecclesia, matre omnium nostrum atque vestrum, amor atque concordia, a Deo patre omnipotente, et unico eius filio Domino nostro IESU CHRISTO, sanctoque simul spiritu, quae est unitas in tribus perfecta: cui laus est et imperium in omne saeculorum aevum, Amen.*

*Arbitror, fratres carissimi, aliquibus vestrum esse notum, me nunc degere Carpenteracti: quo veni ab Nicea, sumnum illuc pontificem, ad pacificandos reges ex urbe Roma proficiscentem, prius [pag. 4] prosequutus. Amo enim ecclesiam et civitatem hanc quam mihi spiritualem et sponsam et patriam Deus esse voluit: populosque hosce meos vere paterna caritate complector, disiungique me ab illis valde aegre fero. Quod si honos iste cardinalatus, qui mihi inopinanti et inscio delatus est, Romam me coegerit redire (ut certe coget), quo in ea vocatione in qua sum vocatus ibidem Deo serviam, non is tamen meum animum atque amorem ab his populis avocabit, quos habiturus sum in mediis cordis mei penetralibus semper infixos. Igitur Carpenteracti quum essem, audiremque multa quotidie de vobis, quae partim quidem mihi dolorem, partim etiam spem nonnullam excitarent, ut non diffiderem, nos et vos, qui fuimus quandam in recta erga Deum religione unanimes, eodem Deo benignius nos respiciente, ad eundem consensum cordium esse redituros, visum est spiritui sancto et mihi (sic enim scriptura loquitur, et certe quaecunque integro et pio erga Deum geruntur animo ex spiritu sancto omnia sunt) visum est mihi, inquam, scribere aliquid ad vos, et eam animi curam ac sollicitudinem, quam pro vobis capio, literis vobis declarare. Non enim, carissimi, nova est haec mea erga vos suscepta et benevolentia et voluntas: sed quum ab eo tempore quo ego Dei*

*voluntate episcopus Carpenteractensis factus sum, annis abhinc tribus fere et viginti, propter commercium quod vobis cum meis his populis frequens est, multa de vobis absens et de moribus [pag. 5] vestris cognovissem, amare iam tum coepi nobilitatem urbis vestrae, ordinem formamque reipublicae, dignitatem civium, et illam in primis vestram laudatam ac probatam apud omnes, erga externos homines et advenas humanitatem: et quoniam vicinitas quoque non exiguum saepe partem ad diligendum afferit, sicut in urbe propinquae domus, sic in orbe finitiae provinciae amoris inter vicinos conciliatrices sunt. Non contigit ante hoc tempus, scilicet, ut vos huius mei erga vos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod signum indiciumque haberetis. Non enim opera uspiam egistis mea, quae vobis profecto paratissima fuisset: verum nulla sese adhuc nobis obtulit occasio. At nunc quidem certe non contingit<sup>1)</sup> solum mihi, verum etiam necesse est, ut quo in vos animo sim affectus vobis demonstrare adnitar, si fidem mean erga summum Deum, et christianam illam in proximum caritatem retinere mihi cupio. Etenim postquam fuit ad aures meas delatum, homines quosdam astutos, inimicos christiana unitatis et pacis, id quod in aliis antea nonnullis fortissimae gentis Helvetiorum oppidis et pagis iam fecissent, item in vobis et civitate vestra malaे discordiae semina iecisse, Christique fidelem populum a via patrum maiorumque suorum, et a perpetua catholicæ ecclesiae avertisse sententia, omniaque dissidiis et seditionibus implesse (qui tamen mos proprius eorum semper est, qui autoritate ecclesiae oppugnanda novas*

<sup>1)</sup> Sic Lugd. et Arg.; caeterae omnes contigit, quibuscum facit versio gallica.

sibi potentias et novos honores [pag. 6] quaerunt) testor Deum omnipotentem, cum ipsum qui nunc intimus ~~meis~~<sup>v</sup> libitationibus praesens adest, me et indoluisse graviter, et duplici quadam misericordia affectum fuisse: quum ex una parte viderer mihi audire geminum plorantis matris nostrae ecclesiae et lamentantis, quae tot et tam dilectis filiis uno tempore esset orbata: ex altera, vestris, o carissimi, incommodis et periculis commoverer. Sciebam enim ego, tales viros novatores veterum et bene constitutarum rerum, tales turbas, talia dissidii, non solum animabus hominum pestifera (quod tamen malum omnium maximum malorum est), sed rebus etiam et privatis et publicis perniciosa existere. Id quod vos quoque ipso eventu rerum edocti cognoscere potuistis. Quid ergo est? quum meus erga vos amor, et mea in Deum pietas me cogat, ut tanquam frater fratribus, et amicus amicis, intimum omnem animi mei sensum vobis libere exponam, vos plurimum rogatos volo, ut bonitatem illam vestram, qua semper uti consuevistis, mihi quoque in praesentia, meis non ingrate accipiendis et legendis literis, praebatis. Spero enim, si aequis modo mentibus haec quae scribo attendere volueritis, vos, si non consilium meum, at animum certe rectum et simplicem, et vestrae in primis salutis cupientem, non minimum probaturos: neque me quae mea sunt, sed quae vestra commoda atque bona, quaerere intellecturos. Neque ego tamen spinosas et subtiles ordinar disputationes, [pag. 7] quam philosophiam beatus Paulus vocat, et fideles Christi semper monet, ne se per eam patientur decipi, per quam isti quidem vos circumduxerunt, quum inter imperitos obscuram quandam iactarent scripturae interpretationem, fraudemque et malitiam, praeclaro illo quidem, sed falso atque alieno doctrinae et sapientiae nomine honestarent. Ego ea proponam, quae clara sunt atque illustria, quae nullam in se erroris latetram, nullum fraudis et fallacie habent diverticulum; cuiusmodi tumen semper est veritas. Ea enim et in tenebris lucet, et nemini non perspicua est, et a doctis iuxta atque indoctis facillime percipitur: praecipueque in christiano genere doctrinæ, non syllogismis, nec verborum captionibus, sed humilitate, sed religione, sed erga Deum obedientia est submixa. Vividus est enim sermo Dei et efficax, et concidentior omni acuto utrinque gladio, penetratque ad iuncturas spiritus atque animae, et ad intima compaginum ac medullarum, neque animos illaqueat impeditis argumentationibus, sed coelesti quodam interveniente cordis affectu, planum sese et patentem mentibus nostris offert: ut non tam humana intus ad intelligendum ratio, quam ipse, ad se qui nos vocat, operetur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectae intelligentiae supplex precor, ut et mihi ad dicendum et vobis ad percipiendum, ea adiumenta suae benignitatis praebat, per quae possimus iterum in uno corde erga ipsum et in una mente consentire. Atque, ut inde ini-

tium capiamus, [pag. 8] unde maxime opportunum esse dicimus: ego, fratres carissimi, sic existimo, me et vos, et reliquos practerea omnes qui in Christo spem et fidem suam posuerunt, id ea una de causa ita facere et fecisse, quo<sup>1)</sup> salutem sibi atque animabus suis, non hanc mortalem et cito interitaram, sed illam semipaternam et immortalem quaererent, quae in coelo solum vere obtineri, in terris autem nullo modo potest. Est quidem ita dispartitum hoc officium nostrum, ut iacto primum fidei fundamento, hic deinde laboremus, quo illic quiescamus: in terra semen iaciamus, quod in coelo postea possimus demetere: et quibus hic in operibus, quibusve in studiis nosmet ipsos exercuerimus, similes deinde atque dignos operum et laborum nostrorum fructus in altera vita adipiscamur. Quumque via Christi ardua, et ratio degendae nobis secundum eius leges et praecepta vitae perdifficilis sit, propterea quod animos nostros ab omni terrenarum incunditatum contagione avocare, et in eo ipso uno figere, despiceremus praesentia bona quae in manibus habemus, et futura quae non cernimus appetere iubemus: tanti est tamen unicuique nostrum sua et suae animae salus, ut nihil recusare asperum, nihil laboriosum non pati, animum inducamus, quo tandem aliquando una nobis spe salutis nostrae proposita, per aerumnas, per multas sollicitudines,<sup>2)</sup> praeeunte semper actionibus nostris Dei clementia et misericordia, stabilem salutem illam et perpetuam consequamur. Hac spe [pag. 9] Christus annunciator veri boni, quondam ab orbe terrarum tanto consensu et studio omnium acceptus fuit: hac ratione a nobis adoratur et colitur vereque agnoscitur Deus esse, et Dei veri filius: quod unus ipse ab initio omnium saeculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo solo vita est, immortuos,<sup>3)</sup> ac huius quidem mundi fallacibus et caducis blanditiis paulum temporis viventes, mox prorsus et ex omni sui parte ad interitum condemnatos, a mortuis, hoc est, ab hoc maxime perniciose mortis genere excitavit: primusque ipse semet salutem et liberationem et doctrinam nostram esse volens, morte carnis accepta, et paulo post vita non iam amplius mortali recuperata, suo exemplo nos instruxit et docuit: ut contraria longe ac prius consueveramus via, mundo huic et carni, hoc est, peccato mortui, Deo deinde viveremus, spesque in eo nostras bene ac beate perpetuo vivendi poneremus: quae est propria, et vere digna Dei omnipotentis gloria et maiestate, nostrorum omnium a mortuis suscitatio: quae non unus aut alter homo, sed cunctum hominum genus a tetra et funesta animae morte, ad veram et celestem eiusdem animae vitam revocatum est. Hanc huiusmodi a mortuis suscitatorem sibi proponens Paulus, maximumque in eam intuens divinitatis Christi ar-

1) quod, 1576 seqq.

2) per aerumnas multas et per sollicitudines, 1540 seqq.

3) mortuos, 1540 seqq.

gumentum atque indicium, Separatus ego in evan-  
geliū Dei, inquit, quod promiserat per prophetas in  
scripturis sanctis <sup>de filio suo, non</sup> genito quidem ex se-  
mine [pag. 10] David, secundum carnem, determinato  
autem et declarato filio Dei in potentia per spiritum  
sanctitatis, hoc est, in potentia spirituali, quae propria  
Dei potentia est: quod non corpore Deus, sed spiritu  
mirabilia sua agit. Imperare enim ventis, et caecis  
verbo lumen reddere, et mortuos excitare, non corpo-  
rea, sed spirituali, quae eudem et divina est, fiebat po-  
testate. Declarabatur igitur Christus Dei filius ex hac  
spirituali potentia, quae sola divina est. Et quod sub-  
iungit Paulus, ex suscitione a mortuis: non tam ea  
quidem, qua corpus Lazari, aut filium viduae, aut  
principis synagogae filiam (quoniam ista quoque opera  
Dei erant) verum ea etiam suscitione magis, qua se  
ipsum suscitavit, aut certe <sup>1)</sup> qua Mariam Magdale-  
nae a daemonis septem, Matthaeum a teloneo, <sup>2)</sup> mul-  
tos a terrena et moribunda vita, omne denique genus  
humanum a peccato et peccati morte, et a potestate  
huius mundi tenebrarum, ad coelestem appetendam at-  
que sperandam et cognationem et lucem <sup>3)</sup> excitavit, de-  
mersosque in luto terrae hominum animos erexit ad  
coelum, atque extulit. Atque hoc maximum Iesu Christi  
erga nos beneficium, praecipuumque in eo ipso divini-  
tatis argumentum, idcirco et institutum a Deo in mis-  
sione filii sui, et ab ipso filio susceptum, et suo nobis  
tempore per eum datum tributumque est: ut omnibus  
et divinis et humanis in uno Christo consiliis, auxi-  
liis, virtutibusque adiuti nos animas Deo nostras sal-  
vas sistere possemus. Tanta [pag. 11] est nobilitas,  
tam insigne pretium, tam grandis aestimatio huiusce  
rei, quae anima hominis est, ut quo ne ea perderetur,  
sed et Deo ipsi et nobis lucriferet, conturbatis penitus  
totius naturae legibus, atque ordine rerum permutato,  
et Deus descenderet in terras, ut fieret homo, et homo  
erigeretur in coelum, ut esset Deus. Credimus ergo  
in Christum (ut dicebam) omnes, quo salutem anima-  
bus nostris, id est, nobismet ipsis vitam inveniamus:  
quo nullum optatum vehementius, nullum bonum inter-  
ius, nec magis coniunctum ac familiare nobis adesse  
potest. Quantum enim sese diligit unusquisque, tan-  
tum ipsi salus cara est sua: quae si negligatur et <sup>4)</sup>  
abiciatur, quod tandem erit praemium quod possit par-  
acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compen-  
sationem pro anima sua, inquit Dominus, aut quid  
proderit homini, vel si universum mundum lucretur,

anima autem suae iacturam patiatur? Haec igitur  
tam ampla, tam cara, tam pretiosa professio, quae  
nostrae animae salus unicuique nostrum est, omni vi  
et conatu nobis retinenda est: siquidem cætera bona  
omnia quae appetimus, externa atque aliena sunt, <sup>1)</sup>  
hoc unum bonum conservatae animae nostrae, <sup>2)</sup> non  
solum nostrum, sed vere nosmet ipsi istud ipsum bonum  
sumus. Quod qui neglexerit atque amiserit, is ne bo-  
num quidem aliud habere ullum poterit, quo fruatur,  
quippe quum ipse ille qui debuisset frui, iam se pri-  
mum prodiderit. <sup>3)</sup> Assequimur porro bonum hoc [pag.  
12] nostrae perpetuae universaque salutis, fide in  
Deum sola et in Iesum Christum. Quum dico fide  
sola, non ita intelligo, quemadmodum isti novarum re-  
rum repertores intelligunt, ut seclusa caritate, et cæ-  
teris christianæ mentis officiis, solam in Deo credu-  
litatem et fiduciam illam, qua persuasus sum in Christi  
cruce et sanguine mea mihi delicta omnia esse ignota.  
Est hoc quidem etiam nobis necessarium, primusque  
hic nobis patet ad Deum introitus: sed is tamen non  
est satis. Mentem enim praeterea afferamus oportet  
pietatis plenam erga summum Deum, cupidamque ef-  
ficiendi quaecunque illi grata sint: in quo præcipue  
spiritus sancti vis inest. Quae mens, etiam si inter-  
dum ad exteriora opera non progreditur: ipsa tamen  
ex sese ad bene operandum iam intus parata est,  
promptumque gerit studium ut Deo in cunctis rebus  
obsequatur: qui verus divinae iustitiae in nobis est  
habitus. Etenim, quid aliud significat, aut quam  
aliam nobis offert intelligentiam et notionem nomen hoc  
ipsum iustitiae, si non respectus in eo <sup>4)</sup> ad bona opera  
habeatur? Dicit enim scriptura: Quod misit Deus  
filium suum, ut faceret sibi populum acceptabilem, sec-  
tatorem bonorum operum, ad Titum cap. 2. <sup>5)</sup>, et alio  
loco: Ut aedificemur (inquit) in Christo ad bona opera. <sup>6)</sup>  
Si ergo missus est Christus, ut bene operantes per eum  
accepti Deo simus, atque ut in eo aedificemur ad bona  
opera, certe fides, quae in Deum nostrum <sup>7)</sup> per Ie-  
sum Christum est, non solum [pag. 18] ut confidamus in  
Christo, sed bene in illo operantes, operarie instituen-  
tes, ut confidamus, imperat nobis ac praescribit. Est enim  
ampulum et plenum vocabulum Fides, nec solum in se cre-  
dulitatem et fiduciam continet, sed spem etiam et studium  
obediendi Deo, et illam, quae in Christo maxime perspi-  
cua nobis facta est, principem et dominam christiana-  
rum omnium virtutum caritatem: qua in caritate proprie-

1) aliena nobis sunt, 1540 seqq. Gallus facit cum anti-  
quioribus. 2) nostrae, om. 1576 seqq. 3) Sic ed.  
princeps, assentiente Argentoratensi. Genevensis 1540 et se-  
quentes omnes: perdiderit. Gallus: il s'est aliené du bien.  
4) eo, habent Lugd. et Arg. satis inconcinné, nisi malis di-  
cere mendose. Caeterae omnes, etiam versio gallica, legunt: ea.  
5) Haec verba: ad Titum cap. 2. omissa sunt inde ab a. 1540.  
6) Respxit fortasse ad 1 Petr. 2, 5. 7) Genevensis edi-  
tio prima scripsit: nostra, quam deinde sequitae sunt recen-  
tiores. G. vero habet: nostre Dieu.

1) Haec verba: qua se ipsum suscitavit, aut certe, negli-  
gentia correctoris exciderunt in editione Genevensi 1540, et  
sic quoque in omnibus recentioribus tam latinis quam gallicis  
desiderantur. 2) telonio, 1540 seqq. 3) Editio prin-  
ceps et apographon Argentoratense mendose habent: ducem.  
Gallus omnino non virili, dicens: à une esperance d'affinité  
et compagnie celeste. 4) et, omissum est in ed. principe  
Lugdunensi.

*et peculiariter spiritus sanctus inest, vel potius ipse est caritas. Siquidem Deus caritas est. Quamobrem sicut in spiritu sancto nihil nostrum neque gratum, neque acceptum Deo est, ita neque esse sine caritate potest. Quum ergo dicimus fide sola in Deum et Iesum Christum salvos nos esse posse, in hac ipsa fide caritatem vel in primis comprehendendam esse ducimus, quae princeps et potissima<sup>1)</sup> nostrae salutis est causa.*

Sed, ut abeamus a disputatione, et revertamur eundo sumus digressi, ostendimus vobis, fratres carissimi, vel ostendere potius conati sumus (non enim aequaliter magnitudinem rei<sup>2)</sup> oratio nostra) quanti momenti sit, quantopere ad nos pertineat, nostrae nobis animae eiusque salutis procuratio, qua<sup>3)</sup> nostra in anima nosmet ipsi toti sumus, bonumque hoc proprie et unicum nostrum est, caetera bona, aliena nobis omnia atque disiuncta: quibus ne ipsis quidem frui ullis possumus, si ex hoc principe et vere nostro excidamus. Pro quo sibi tuendo et conservando animae [pag. 14] bono tot quondam Christi gloriosissimi martyres, mortalem hanc vitam prompto animo posuerunt: tot sanctissimi doctores nocturnis diurnisque sudoribus ac vigiliis, quo nos in viam rectam inducerent et constituerent, sibi elaborandum esse statuerunt: tota olim tam multas et tam graves ab impiis tyrannis et praesidibus gentium iniurias et calamitates pertulit ecclesia. Quae ideo omnia et a praepotente Deo permissa, et a fortibus illis viris, Christi vere cultoribus suscepta, tolerata, decertataque sunt, ut per omne experimentorum et probationum genus plurimis veluti malleis excusa, multo igni purgata, tantis sanctorum aerumnis atque laboribus conflata, consodata, expressa, et maximum apud Deum gratiam fidelitatis suae ecclesia obtineret, et summam apud homines autoritatem. Haec nos Deo ecclesia in Christo regeneravit, haec nos aluit, confirmavit, instruxit, quid nos sentire, quid credere, in quo spem ponere, qua via in coelum tendere nos oporteat, ipsa eadem edocuit. Nps in hac communi ecclesiae fide incedimus, nos illius leges et praecepta retinemus: et si quando fragilitate et incontinentia vici ad peccandum prolubimus (quod utinam saltem raro ac non nimium saepe in nobis<sup>4)</sup> accideret) in eadem tamen fide ecclesiae exsurginus: quibusque illa expiationibus et poenitentiis et satisfactionibus peccatum nostrum ablui, et ad integratatem pristinam, clemente erga nos semper et misericorde Deo, nos restitui docet, [pag. 15] eas expiandi et satisfaciendi rationes suscipimus et adhibemus. Idque ita quum facimus, confidimus nos veniae et misericordiae locum apud Deum invenire. Non enim practer sententiam et autoritatem ecclesiae

arrogamus nobis quidquam, non plus nos sapere quam oporteat sapere nobis ipsis persuademos, non superbiam afferimus ad contemnendum ecclesiae decreta, non animi elationem neque ingenium inter populos nostrum, aut novam quandam sapientiam ostentamus, sed (de probis et rectis Christianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: et ea quae per maiorum nostrorum sanctissimorum hominum, sapientissimorumque autoritates tradita nobis et constituta sunt, tanquam per spiritum vere sanctum dictata atque praecepta, omni cum fide suscipimus. Etenim novimus et scimus quantum habeat virium, quanti sit momenti, quanti ponderis apud Deum humilitas: quae una virtus in primis christiana est, eamque semper maxime Christus Dominus noster et monitis, et praeceptis, et factis atque operibus suis p[ro]ae se tulit, parvulusque solis, id est, humiliis propositum dixit esse regnum coelorum. Non enim refert, corporene parvi an magnisimus, sed illud plurimum refert, utrum animo simus humili, anne superbo. Superbia, quae angelos deiecit de coelo, hominibus eadem iter in coelum impedit. Unde coeleste animal angelus propter superbiam expulsum est, eo terrenum animal homo propter [pag. 16] humilitatem extollitur: ut appareat plane, constitutum esse nobis in humilitate potissimum, et adiumentum perpetuae salutis nostrae, et huic beatae ac iucundae spei, qua ad coelum tendimus, firmamentum. Quae quum ita sint, carissimi fratres, quum nostra salus nobis, quum vera vita, quum aeterna felicitas, quum nosmet ipsis denique nobis ipsis in primis et maxime caeterarum rerum omnium cari esse debeamus, quum si nosmet ivos perdiderimus, nihil uspiam nostrum, id est, quod iuvet, aut quod pertineat ad nos, simus amplius reperturi, quum nullum gravius damnum, nullum exitiosius malum, nulla acerbior calamitas amissionem et iactura animarum nostrarum accidere nobis possit: quanto, obsecro, studio, qua animi cura et sollicitudine providere debemus, ne in hoc tantum periculum salus et vita nostra coniiciatur? Dabitis vos profecto mihi et concedetis, nihil perniciosius neque funestum magis evenire nobis posse, quam amissionem animae uniuicue suae. Dabitis ergo etiam illud, op[er]or, nihil esse a nobis maiore diligentia et studio, quam ne id accidat, praeavendum. Cuius enim mali sors, si ea in nos incidat, omnium malorum est deterrima, eiusdem mali periculum maxime omnium nobis esse formidolosum debet. Etenim quanta<sup>1)</sup> est in mali moles, tantus in periculo mali necesse est ut sit timor. Atque ut qui horrent et metuant in pelagus precipitari, hi ne ad praeruptam quidem et imminentem pelago rupem audent accedere, [pag. 17] sic qui terrible illud Dei et damnatorium iudicium perhorrescant, ab

1) potissimum, *Lugd. et Arg.* 2) rei, *om. ed. princeps.* 3) *Gallasius* 1552 emendavit: quia, quem sequuntur recentiores. 4) saepe nobis, 1552 seqq. ex emendatione *Gallasii*.

1) *Ed. princeps et Argentoratensis habent: quantum.*

*eo fugiunt in primis periculo, quod semipernae illi miseriae maxime finitimum proximeque adiunctum est. Neque ego hoc in loco loco, non omnes peccare homines, non omnes nos, quoad hanc vivimus vitam, in periculo semper esse (sumus enim plane, et aberramus, et offendimus, et labimur interdum omnes, saepius, rarius, prout cuique sua et ex Deo insita ad se cohibendum virtus inest) verumtamen peccata cetera, praesertim quae non iudicio stabili, sed per fragilitatem admissa patrataque sunt, ad summi Dei misericordiam facilem redditum habent. Illud autem peccatum horribile et pertimescendum, quo prave colitur Deus, qui rectissime debet coli, et quo falsa de illo sentiuntur, qui est summa solus veritas: illud, illud, inquam, est peccatum, quod non solum in proximo periculo aeterni mali nos constituit, sed spem prope etiam et conatum declinandi et fugiendi eiusmodi periculi nobis aufert. Nam reliquias nostris in peccatis tanquam in vitac fluctibus illa tamen anchora nostrae navis salva est, quae nos prohibet a scropulo et naufragio, quod cogitationes interdum nostras in Deum concientes, et stimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis suspiriis, et confessione iniquitatis nostrae illius misericordiam imploramus. Atque ipse, ut bonitatis et clementiae plenus est, flectitur statim ad ignoscendum, moreque pri patris filiorum suorum [pag. 18] preces placatus admittit. At in hoc truci horribilique peccato praeposterae falsaque religionis nec Deum nobis nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc praecipue periculum, fratres carissimi, si salvi esse volumus, accuratissime et studiosissime vietandum nobis est. Potest hic dici, quum vel corruptae, vel integræ religionis varia sint iudicia, et diversæ hominum, in hoc praesertim tempore, sententiae, aliisque hoc modo, illo aliis interpretetur, satis videri debere, si unusquisque ad id quod primum occurrerit credendum sincero animo accedat, suumque iudicium submittat hominum se doctiorum et peritiorum iudicis. Fateor, fratres carissimi, has esse voces hominum simpliciorum, et quorum ingenia natura hebetiora sunt: quos qui detorquent et abstrahunt a via recta, maius illi multo in se peccatum habent: nam peritis quidem et callidis oratio ista non convenit. Sed ut nunc temporis causa confitear, omnibus ista et doctis et indoctis incerta esse (quod tamen est secus, habet enim catholica ecclesia certam regulam, qua a veris falsa discernat), verum, esto, concedamus dubia esse: nonne, quoniam de periculo nostrae salutis agitur, quoniam animas nostras, hoc est, nosmet ipsos plurimi facimus, nec nunc in discriminem aut fortuniarum, aut valetudinis, aut etiam corporis et mortalis huius vitae venimus (quorum omnium iacturam viri fortes pro Christo et pro sua anima constanter saepe pertulerunt) sed de nobis id [pag. 19] decernitur, utrum semperne miserrimi, an beatissimi simus victuri, circumspicere, considerare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo*

*nos constituamus in loco (de re loquor veluti dubia, quae tamen non est), ut ibi, inquam, consistamus, ubi minus multo nobis timoris atque periculi, longeque plus spei et alacritatis ostenditur? Nemo hoc, credo, negatur mihi est, quin in re anticipi et dubia, in qua praesertim summa agitur ritae et salutis nostrae, id potius capere et sequi consilii debeamus, quod ratio nobis suaserit, quam quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur ultra in parte, et in ultra secta manus sit a Deo longius nos remrevendi, et ad perpetuum exitium propius nos admovendi periculum. Quam rem ita agam et proponam, quasi habeam vos adhuc deliberaentes, neendum animi certos, quorum potius aut voluntatibus obsequi, aut consilii credere delictis. Disceptatio est, utrum vestrae saluti magis expediat, gratiusque Deo vos facturos existimetis, si ea credideritis eritisque sequuti, quae ecclesia catholica cunctum per orbem terrarum annos iam mille et quingentos amplius, aut (si claram certamque rerum gestarum memoriam et notitiam quaerimus) annos iam amplius mille et trecentos, magno consensu comprobat: an haec quae vasri homines, atque, ut sibi ipsi videntur, acuti, adversus tot saeculorum usum et contra perpetuam ecclesiae autoritatem, his annis quinque et viginti innovaverunt: qui [pag. 20] certe ipsi catholica non sunt ecclesia. Est enim catholica ecclesia, ut breviter definiamus, quae in omni anteacto et hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Christo una et consentiens, uno Christi spiritu ubique et semper directa est, in qua nullum potest dissidium existere: omnis enim ea inter se connexa et conspirans est. Quod si quid accidat dissensionis et dissidii, magnum quidem corpus ecclesiae idem permanet, fit autem apostema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum spiritu divulsa secernitur, nec de substantia ulterius corporis ecclesiastici est. Non ego hic deveniam ad singulas rerum disputationes, neque aures vestras copia verborum atque argumentorum onerabo. Tacebitur a me nunc de eucharistia, in qua nos verissimum Christi corpus adoramus. Isti sane parum mari quemadmodum in unoquoque genere doctrinae adhibere argumenta et rationes oporteat, ex alienis et longe diversis dialecticæ iunisque philosophiae rationibus, Dominum ipsum universi, et divinam in eo spiritualemque potentiam, quac prorsus libera et infinita est, in angulos corporeæ naturae, quae suis cancellis circumscripta est, conantur includere. Non loquar de confessione ad sacerdotem peccatorum: in qua, quod maximum est nostrae salutis fundamentum, vera christiana humilitas, et a scriptura demonstrata, et ab ecclesia pracepta ac constituta est: quam isti humilitatem, et per calumnias eludere, et [pag. 21] per arrogiantiam abidere studuerunt. Silebo de precibus, aut sanctorum pro nobis apud Deum, aut nostris pro mortuis: quas idem isti quum aspernantur et irrident, easque nullius penitus esse momenti dicunt, quid tandem sibi*

volunt? Num hominum<sup>1)</sup> animas arbitrantur una cum corporibus suis interire? Et nimis id videntur innuere, quod agunt etiam manifestius, quam libertatem sibi vitae ab omnibus ecclesiasticis solutam legibus, et licentiam<sup>2)</sup> cupiditatum comparare admittuntur. Si enim mortalis anima sit, edamus et bibamus, inquit apostolus, paulo post enim moriemur: sin autem sit immortalis, ut certe est, unde, quaeso, tantum et tam repente factum est corporis morte dissilium, ut et vivendum et mortuorum animae inter se nihil congruant, nihil communicant, omnis sint cognationis nobiscum, et communis humanae societatis oblitiae? Quum praesertim caritas, quae praecipuum spiritus sancti in christiano genere est donum, quae nunquam non benigna, nunquam no[n] fructuosa est, et in eo in quo inest nunquam inutiliter consistit, salva semper et efficax in utraque vita permaneat. Sed ut relinquam controversias, easque ad sua tempora reservem, excutiamus id quod prius est propositum, ut videatur et quaeratur, quid nobis magis conducat, factisque rectius sit, quid ad gratiam summi Dei obtainendam magis sit accommodatum, sentirene cum universa ecclesia, eiusque decretis et legibus et sacramentis [pag. 22] cum fide obtemperare, an assentiri hominibus dissidia et res novas quaerentibus?

Hic locus est, carissimi fratres, hoc illud est bivium quod diversa duo in itinera scinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos ducat. In hoc discrimine et delectu agitur salus animae cuique suae, aguntur pignora futurae vitae: utrum videlicet nos aeternae felicitatis, an miseriae infinitae simus futuri compotes. Quid ergo dicimus? Fingamus hic duos, qui ex utroque genere, hoc est, utroque ex itinere, ante illud terribile summi iudicis tribunal sint constituti: quorum causa cognoscatur et expendatur, quo vel damnatoria in eos sententia, vel salutaris iure ferri possit. Interrogabuntur fuerintne Christiani? Fuisse se ambo dicent. Rectene crediderint in Christum? Utrique pariter respondebunt, Nae. Quid autem crediderint, aut quomodo crediderint quum explorabuntur (num haec de fide recta cognitio, illam quae est de vita et moribus, antecedit), quum igitur ab eis exigetur rectae fidei confessio, dicet ille quidem qui in catholicae ecclesiae gremio et disciplina fuerit educatus: Ego, quum institutus essem a parentibus meis, qui et ipsi a patribus suis et avis acceperant, ut cunctis in rebus catholicae ecclesiae essem obsequens, eiusque leges et monita et decreta, tanquam a te ipso, Domine Deus, lata observarem et colorem: quumque omnes eos fere, qui in christiano [pag. 23] nomine censerentur, quique et nobis-

cum, et ante nos, longe et late per orbem terrarum tua signa essent sequuti, in eadem sententia esse et fuisse animadverterem, ut cuncti matrem fidei suae hanc ipsam ecclesiam agnoscerent et venerarentur, et ab eius praeceptis constitutisque discedere sacrilegii instar putarent, in hac eadem fide, quam catholica servat docetque ecclesia, probare tibi me studui. Et quanquam venerant homines novi scripturas multum in ore et manibus habentes, qui nova quaedam commovere, vetera labefactare, ecclesiam redarguere, obedientiam quam illi nos omnes praebebamus, eripere nobis et extorquere conarentur, in eo tamen constanter manere volui, quod a patribus meis, et a communi sanctissimorum doctissimorumque patrum consensu iam inde antiquitus in ecclesia fuisse et observatum et traditum: etsi multorum quidem praesidum hominumque ecclesiasticorum pruesentes mores essent ii, qui mihi stomachum movere possent, quibus tamen non sum a sententia deductus. Ita enim constitui, eorum praeceptis, quae certe sancta erant, obtemperare me debere, sicuti tu Deus in tuo evangelio praeceperas, vitae autem et gestorum te unum iudicem esse oportere: praesertim quum ego quoque, his tot peccatis, quae in hac mea fronte en tibi manifesta sunt, commaculatus atque infectus, aliorum dignus iudex esse non possem. Pro quibus nunc adsto ante tribunal tuum, non severitatem tuam, clementissime [pag. 24] Deus, sed misericordiam potius et placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iste causam suam. Citabitur alter, comparebit. Imperabitur illi ut dicat. Hunc habebit exorsum orationis suae (singatur enim de illis unus esse qui sunt, aut fuerunt dissensionum autores: melius enim credo tutabitus iste causam suam, qui se doctorem caeteris ad deficiendum ab ecclesia fuerit professus): Mihi, inquiet, o summe Deus, intuenti mores hominum ecclesiastorum ubique fere corruptos, et sacerdotes nihilominus religionis gratia in honore omnibus esse cernenti, opesque illorum iniquo animo ferenti, iusta, ut puto, iracundia animum inflammavit, ut me illis adversarium constituerem: quumque respicerem me ipsum, qui tot annos operam literis et theologiae dedisset, non tamen habere eum in ecclesia locum, quem labores mei meriti essent, multos autem indignos ad honores et sacerdotia extolli perspicarem, ad eos, fateor, insectandos me contuli, quos tibi quoque ipsis minime placere et satisfacere sum ratus. Et quoniam eorum potentiam revellere non poteram, nisi obliterarem prius leges ab ecclesia latas, populi magnam partem induxi, ut ea ecclesiae iura contemneret, quae diu ante rata inviolataque fuissent. Quae si in conciliis universalibus fuissent decreta, conciliorum autoritati non concedendum esse dixi: si instituta a priscis patribus et doctoribus, veteres patres ut imperitos et bonae expertes [pag. 25] intelligentiae sum criminatus: si per romanos pontifices, eos sibi astruxisse tyrannidem, et falso nomine vicarios se Christi dicere affirmavi: omnibus de-

1) Editio Genvensis 1540 mendose scripsit: Numnam animas, quod sequentes omnes servarunt. Gallus quoque, qui habet: noz ames, lectionem genuinam ignorasse videtur. 2) Lugd. et Arg. male: licentia.

nique modis contendit, ut hoc tyrannicum ecclesiae iugum, quae cibos interdum prohibet, quae dies servat, quae confiteri nos vult peccata nostra sacerdotibus, quae vota impleri iubet, quae homines in te, Christe, liberos tot servitutis vinculis alligat, a nobis cuncti qui te colimus excuteremus: solamque fidem in te, non e iam bona opera, quae maxime extolluntur et praedicantur in ecclesia, iustitiam nobis et salutem parere confidemus: quum tu praesertim poenam pro nobis peperdisse, tu quoque sancto sanguine cunctorum delicta et scelera delevisses: ut nos hac una fide in te freti, liberius deinde agere quaecunque nobis libuisse possemus. Scripturas etiam ingeniosius sum perscrutatus quam veteres illi: ac tum quidem maxime, quum aliquid quaerelam in eis, quod contra istos detorquere possem: qua etiam doctrinae et ingenii opinione apud populos jamam et existimationem nactus totum quidem ecclesiae autoritatem evertere non potui, magnarum tam seditionum in ea, et scissionum fui autor. Haec ubi iste dixerit, et vere dixerit (neque enim mentiendi apud illum coelestem iudicem est locus, tametsi multa idem de ambitione sua, de avaritia, de studio popularis gloriae, de fraudibus et malitiis intestinis, quae intus ipse agnoscat, in sese reticuerit, quae tamen [pag. 26] illi prima ipsa in fronte apparebunt inscripta), quod tandem, o Gebennenses fratres mei, quos ego in Christo, et in Christi ecclesia unanimes tecum habere opto, non solum de his, sed comitibus assectatoribusque eorum iudicium fore existimat? Nonne hic certe qui catholicam ecclesiam fuerit sequutus, nullum suum erratum in hac re afferet? Primum, quia non errat, neque adeo errare potest ecclesia, cuius illa publica et universalia decreta atque concilia spiritus sanctus assidue gubernat. Deinde etiamsi errasset ea aut erraret (quod tamen creditu et memoratu est nefas) nullus huic quidem suus exprobraretur error, qui sincero animo, et propter Deum humili, maiorum fidem suorum et autoritatem esset prosequutus.<sup>1)</sup> At iste alter suo innitens capite, neminem habens veterum sanctorum patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus episcopis conventuum, quem honore dignum putet, cui inducat animum cedere et obtemperare, omnia sibi arrogans, ad obtrectandum magis quam ad discendum docendumve paratus, quum a communi ecclesia desiscit, quem respicit portum fortunarum suarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum advocatis fretus est? ut non graviter debeat metuere, electum seiri in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, hoc est, ubi miserias suas perpetuo defleturus, et contra scemet ipsum dentibus increpiturus sit: quod quum posset, si id studuisse, illam acerbissimam [pag. 27] vitare calamitatem, id facere neglexisset. Quod<sup>2)</sup>

1) persecutus, 1540 seqq. 2) Genevensis 1540 emendat: Quam, quod sequentes receperunt omnes;

porro infausti et incommodi comites traducendae vitae sint moeror et furor, unus per sese quisque satis potest intelligere: praesertim quum illiusmodi mali atque damni nullus futurus unquam finis sit, nulla determinatio, nunquam ibi plorare, minquam desinatur irasci. Atqui, si reliqua istorum omnia aliquo tamen pacto perferriri et tolerari possent, hoc quenadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoscendum quidem illis locum ullum veniae et misericordiae apud Deum dari posse) quod sponsam hi Christi unicam discerpere sunt conati? quod tunicam illam Domini, quam profani milites dividere noluerunt, isti ausi sunt, non dividere solum, sed lacerare? Quot enim iam, istis initium facientibus, sectae ecclesiastici disciderunt, neque cum istis congruentes, et ipsae inter se discordes? quod manifestum esse falsitatis indicium omnis doctrina confirmat. Veritas enim unica semper est, varia autem et multiformalis est falsitas: et simplex, quod rectum: <sup>1)</sup> multifidum, quod obliquum. Sed huiusmodi scissionem, huiusmodi sanctae ecclesiae dilaminationem, potestne quisquam Christum agnoscent et confitentes, et cuius aliquando menti atque cordi spiritus sanctus illuxerit, non intelligere, Satanae, et non Dei propriam operationem esse? Quid imperat nobis Deus? quid praecipit Christus? Nempe ut unum omnes in ipso simus. Quo datum est nobis et coelo atque Deo illud singulare [pag. 28] et praecellens caritatis donum, quod christiano duntaxat generi, non caeteris gentibus divinitus infusum est? Norme ut omnes uno corde et ore Dominum confiteamur? An arbitrantur isti christianam religionem aliud omnino esse, quam pacem cum Deo, et cum proximo concordiam? Videamus quid ipsem loquatur in Ioanne Dominus, patrem suum pro discipulis deprecans: Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos: non pro his autem rogo solum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quod tu me misisti: et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in eis, et tu in me, ut sint perfecti in unum.

Videtis, fratres carissimi, et in clara evangelii luce discernitis, quid sit vere esse christianum: quum fides in Deum nostrum, quum Dei omnipotentis<sup>2)</sup> gloria, quae et ipsius apud nos, et nostra apud cum esse possit, in hac sola inter nos unitate consistat, quum hoc unum requirat et postulet a patre de nobis Christus, idque<sup>3)</sup> suos in hoc labores, suas aerumnas, suam susceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, suam crucem, suam mortem, sic fructum allaturam sibi pu-

1) 1540 seqq.: rectum est. 2) Dei omnis gloria, 1540 seqq. Gallica versio cum antiquioribus facit. 3) Genevensis editor emendavii: isque. Gallus vero vertit: et qu'il pense qu'à ce moyen etc.

*tet, et ad gloriam patris, quam maxime expetebat, et ad salutem nostram, pro qua erat moriturus: si nos inter nos, et in ipso fuerimus unum. Atqui hoc semper [pag. 29] laborat, hoc adiuititur ecclesia catholica, ut sit consensio nobis, et in eodem spiritu unitas: quosque homines aut spatha disiungunt terrarum, aut intervalla temporum, quod coire in unum corpus omnes non possunt, eos unus tamen spiritus, qui ubique idem semper est, et foveat et regat. Cui quidem ecclesiae catholicae et spiritui sancto hi se adversarios e regione profitentur, qui unitatem frangere, qui variis spiritus immittere, qui concessionem solvere, qui tollere concordiam de christiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto studio, tot machinationibus et artibus, ut eorum sollicitudinem et anxiatem nulla satis digne exprimere oratio possit. In quos ego quidem id non imprecabor, ut disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam: neque item, ut addat iniquitatem super eorum iniquitatem: sed ut convertat eos, et ad spiritum bonum deducat, dominum Deum meum suppplex rogado, sicuti rogo. Vosque et oro et hortor, fratres mei Gebennenses, ut, discussis aliquando ab oculis mentis vestrae erroris nebulis, et patefacta luce, ad coelum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam vestram, si in unitate ecclesiae manseritis, proposuit vobis Deus, redire in concordiam nobiscum, et fidele obsequium praestare matri nostrae ecclesiae, colereque Deum in uno nobiscum spiritu iam velitis. Nec si mores nostri vobis fortasse displicant, [pag. 30] si querundam culpa splendor ille ecclesiae, qui perpetuus et incontaminatus esse debuit, aliquando*

*fit obtusior, vestros id animos moveat, aut in diversam et contrariam trahat partem. Odisse forsitan personas nostras potestis, si id ab evangelio conceditur, doctrinum certe et fidem habere odio non debetis. Scriptum est enim: Quae dicunt facite. Neque vero nos aliud dicimus, quam quod nostram vestrae salutis cupiditatem vobis indicamus. Quae si a vobis, Gebennenses carissimi, in bonam partem fuerit accepta, si me amantissimum vestri gratis animis audiveritis: non poenitebit vos profecto, et apud Deum recuperatae pristinae gratiae vestrae, et apud homines laudis. Ego, quar meae partes sunt, et quod benevolentia erga vos mea mihi praescribit, assidius ero ad Deum pro vobis deprecator, meo quidem ipse indignus vitio, sed forsitan caritas efficiet me dignum. Tum autem quidquid valeo possumque, etsi id quoque parvum admidum est, sed si quid est in me ingenii, consilii, autoritatis, diligentiae, id ita vobis totum et vestris opportunitatibus defero, ut pro magno meo commodo habitus sim, si vos aliquod ex me commodum fructumque meae operae et laboris, et in divinis rebus, et in humanis, percipere potueritis. Extremum est, ut vos orem, ut cum nuncium quem ad vos cum his literis misi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quam et humanitas vestra, [pag. 31] et ius gentium, et in primis christiana mansuetudo postulat et requirit: quod vobis honestum, mihi autem vehementer futurum est gratum. Deus vos dirigat et propitius tueatur, fratres carissimi.*

Carpentoracti XV. Calend. Aprilis, M. D. XXXIX.

IOANNES CALVINUS  
IACOBO SADOLETO CARDINALI,  
SALUTEM.

[fol. 17] Quum in magno doctorum hominum proventu, quos tulit nostra haec aetas, id sis, quum excellentis doctrinae tuae, tunc vero insignis facundiae merito assequutus, ut te inter paucos colant ac suspiciant quicunque videri volunt bonarum artium studiosi, invitus equidem facio ut nomen tuum publice inter eruditos ista, quam a me audies, expostulatione perstringam. Neque vero eram id facturus, nisi fuisse in hanc arenam pertractus magna necessitate. Non enim ignoro, vel quantae improbitatis foret ulla cupiditate incitari ad eum virum lacessendum, qui de bonis disciplinis sit optime meritus: vel quam id quoque sit futurum odiosum apud omnes literatos, si sola importunitate percitum, nulla autem iusta causa impulsum fuisse intelligerent, ut stylum in eum stringerem, quem amore dignum et honore propter eximias dotes non sine causa iudicant. Verum ubi consilii mei rationem exposuero, non modo me omnes a culpa liberabunt, sed nemo erit, ut spero, qui non mihi concedat, causam hanc, quae a me suscipitur, nullo modo fuisse mihi deserendam, nisi officio meo turpiter deesse vellem. Literas non ita pridem scripsisti ad senatum populumque genevensem, quibus tentasti eorum animos, an sub pontificis romani iugum, quod semel excusserunt, reduci se sustinerent. In iis literis, quoniam non expediebat eos gravius vulnerare, quorum favore tibi opus erat ad causam obtinendam, fecisti quod erat boni rhetoris. Multis enim blanditiis eos demulcere coenatus es, quo in tuam sententiam pelliceres. Quidquid erat invidiae et acerbatis, in eos derivasti, quorum opera id factum erat, ut ab illa tyrannide defecissent. Atque hic, si Deo placet, plenis velis inveheris in eos, qui urbem illam sub evangelii praetextu, ad istam, quam deploras, religionis et ecclesiae conturbationem malis artibus perpulerunt. Ego autem, Sadolete, ex his, quos tam hostiliter incessis ac laceras, unum me esse profiteor. Tametsi enim

constituta iam religione, ac correcta ecclesiae forma, illuc vocatus fui: quia tamen quae a Farello ac Vireto gesta erant, non modo suffragio meo comprobavi, sed etiam, quantum in me fuit, conservare studui ac confirmare, separatam ab illis causam habere nequeo. Quod si tamen privatim abs te laesus essem, facile profecto id condonarem [fol. 18] tuae doctrinae ac literarum honori. Sed quum ministerium meum, quod Dei vocatione fundatum ac sanctum fuisse non dubito, per latus meum sauciari videam, perfidia erit, non patientia, si taceam hic atque dissimulem. Doctoris primum, deinde pastoris munere in ecclesia illa functus sum. Quod eam provinciam suscepi, legitimae fuisse vocationis iure meo contendeo. Quanta autem fide ac religione administraverim, non est cur multis nunc verbis ostendam. Perspicaciam, eruditionem, prudentiam ac dexteritatem mihi nullam arrogabo, ac ne diligentiam quidem. At certe ea sinceritate, qua in opere Domini decuit, me illic versatum esse, probe coram Christo iudice meo, et omnibus ipsius angelis, mihi conscientius sum, et boni omnes eius rei luculentum mihi testimonium reddunt. Hoc ergo ministerium ubi a Domino esse constiterit (quemadmodum certe liquidо constabit, ubi audita fuerit causa) si abs te proscindi ac infamari tacitus feram, quis non eiusmodi silentium praevaricationis damnet? Nemo ergo iam non videt, me summa officii mei necessitate constringi, neque posse evadere, quin me criminationibus tuis opponam, nisi quam mihi actionem Dominus demandavit, manifesta perfidia deserere ac prodere velim. Quod autem genevensis ecclesiae procuratione sum in praesentia explicatus, ea res efficere non debet, quin paterna caritate illam complectar: cui dum semel me praefecit Deus, perpetuo fidem illi meam obligavit. Age, ubi illi ecclesiae, cuius salutem mihi summae curae esse vult Dominus, extremas insidias intentari cerno et grave pe-

riculum imminere, nisi obviam eatur, quis mihi consulat, ut tacitus ac securus exitum exspectem? Quantae, obsecro, soordinate id esset, otiosum et velut os-  
www.orthodoxos.comcitantem connivere ad eius exitum, ad cuius vi-  
 tam tuendam et conservandam excubare debeas? At-  
 qui supervacua hic foret longior oratio, quando tu  
 ipse me omni difficultate liberas. Nam si vicinitas,  
 et illa non adeo propinqua, tantum apud te valuit,  
 ut dum tuam erga Genevates dilectionem vis pro-  
 fiteri, non dubitaris tanta atrocitate me ac meam  
 famam impetrare, mihi profecto humanitatis lege id  
 concedetur, ut dum cupio publico eius civitatis bono  
 consulere, quae mihi longe alio quam vicinitatis  
 iure commendata esse debet, mihi consilia conatus-  
 que tuos, quos in eius perniciem tendere non dubito,  
 interpellare liceat. Ad haec, ut ecclesiam Geneva-  
 tum minime respiciam (cuius certe curam non mag-  
 is quam propriae animae abiicere possum), sed ut  
 nullo eius studio afficiar, ubi tamen ministerium  
 meum (quod quidem ut a Christo esse novi, ita san-  
 guine meo, si opus sit, vindicandum mihi [fol. 19]  
 est) falso traducitur ac proscinditur, qui mihi dis-  
 simulanter id ferre liceat? Itaque non aequis lec-  
 toribus modo iudicare, sed tibi quoque, Sadolete, re-  
 putare promptum est, quot et quam iustis rationi-  
 bus coactus, in hoc certamen descenderim: si tamen  
 certamen dici meretur, simplex et moderata inno-  
 centiae meae adversus calumniosas tuas criminatio-  
 nes defensio. Meam innocentiam dico, tametsi pro-  
 me agere non possum, quin collegas simul meos complectar,  
 quibuscum rationes omnes sic mihi in admini-  
 stratione illa fuerunt coniunctae, ut quidquid de  
 illis dictum fuerit, in me libenter recipiam. Iam  
 vero quem animum in causa hac adversum te sus-  
 cipienda habui, eum ipsa quoque actione testari at-  
 que approbare studebo. Faciam enim ut omnes in-  
 telligant, non causae modo bonitate et aequitate, con-  
 scientiae rectitudine, cordis sinceritate, sermonis can-  
 dore me esse multo superiorem: sed etiam in reti-  
 nenda lenitate et modestia aliquanto constantiorem.  
 Erunt sane aliqua, quae animum tuum vel pungent,  
 vel forte etiam lancinabunt. Dabo tamen operam, ne  
 qua vox asperior a me exeat: nisi quam vel iniquitas  
 accusationis tuae, qua sum prior impetus, vel rei  
 necessitas extorserit. Deinde, ne ad aliquam usque  
 intemperiem aut impotentiam erumpat haec ipsa as-  
 peritas, neve ulla procacitatis specie ingenuos animos  
 offendat.

Ac principio, si cum alio quolibet tibi negotium  
 esset, non aliunde procul dubio inciperet, quam ab  
 eo argumento, quod ego in totum praeterire institui. Consilium enim scribendi tuum non sine magna  
 specie exagitaret, donec palam faceret, te quidvis  
 potius scribendo quaesiisse, quam quod praetendis.  
 Nisi enim magnam candoris tui fidem prius feceris,  
 suspitione non caret, quod homo alienus, cui nihil

antea cum populo genevensi necessitudinis fuerit,  
 tantam nunc repente benevolentiam erga eum tes-  
 taris, cuius nullum antea signum existiterit: et is  
 homo, qui prope a pueritia imbutus romanis arti-  
 bus, quales scilicet nunc discuntur in romana curia,  
 in illa calliditatis ac versutiarum omnium officina,  
 adeoque in sinu Clementis educatus, nunc etiam fac-  
 tus cardinalis, multas notas habes, quae te suspectum  
 plerisque fere omnibus hac in parte reddant. Insi-  
 nuationes vero illae tuae, quibus in simplicium ho-  
 minum animos influere te posse credidisti, nullo ne-  
 gotio refellerentur ab homine non prorsus stupido.  
 Verum istud, quod multis forsan credibile futurum  
 sit, quia mihi cadere non videtur in hominem libe-  
 ralibus omnibus doctrinis expolitum, adscribere tibi  
 nolo. Agam igitur perinde [fol. 20] tecum, ac si  
 optimo animo, quemadmodum scilicet virum ista doc-  
 trina, prudentia, gravitate praeditum decet, ad Ge-  
 nevates scripseris, suaserisque bona fide ipsis, quae  
 ad eorum salutem incolumitatemque videbantur  
 tibi pertinere. Verum, qualiscunque tibi animus fue-  
 rit (quoniam gravare te invidia in hac parte nolo),  
 quod tamen ea, quae illis a Domino per manus nos-  
 tras tradita sunt, quam acerbissima potes verborum  
 contumelia laceras et labefactare ad extremum mo-  
 liris, in eo tibi aperte, velim nolim, reclamare  
 cogor. Sic enim demum ecclesiam aedificant pasto-  
 res, si non dociles modo animas ad Christum placide  
 manu ducunt, sed armati etiam sunt ad propulsan-  
 das eorum machinationes, qui Dei opus impedi-  
 enituntur. Tametsi longas ambages habet tua Epi-  
 stola: in hac tamen praecipue sunna vertitur, ut  
 illos in potestatem romani pontificis recipias, quod  
 vocas in fidem obedientiamque ecclesiae reducere.  
 Sed quia in causa parum favorabili praemolliendi  
 erant animi, longa oratione praefaris, de incom-  
 parabili aeternae vitae bono. Deinde ad causam pro-  
 prius accedis, quum demonstras nullam esse nocen-  
 tiorem animabus pestem, quam perversum Dei cul-  
 tum. Ad haec, Dei rite colendi eam esse optimam  
 regulam, quae ab ecclesia praescribitur. Actum igitur  
 esse de eorum salute, qui ecclesiae unitatem abru-  
 perunt, nisi resipiscant. Postea vero contendis ma-  
 nifestam esse ab ecclesia defectionem, quod a vestra  
 societate disiuncti sunt. Deinde, quod a nobis evan-  
 gelium acceperunt, nihil esse quam magnam impio-  
 rum dogmatum farraginem. Inde ergo demum col-  
 ligis, quale Dei iudicium eos maneat, nisi tuis istis  
 monitis obtemperent.

Quoniam autem et id plurimum causae servie-  
 bat, fidem omnem verbis nostris abrogare, in eo pri-  
 mum laboras, ut quod in nobis salutis suae studium  
 perspexerunt, sinistris suspicionibus graves. Itaque  
 nihil aliud fuisse nobis propositum cavillaris, nisi  
 ut ambitionem et avaritiam expleremus. Quando  
 igitur haec ars tua fuit, labem nobis aliquam asper-

gere, quo praeoccupatae nostri odio lectorum mentes nihil nobis crederent, antequam ad alia veniam, ad istam obiectione~~m breviter~~ respondebo. De me non libenter loquor. Quoniam tamen prorsus silere non pateris, dicam, quod salva modestia potero. Ego, si meis rationibus consultum voluissem, nequaquam discessissem a vestra factione. Neque vero gloriabor, fuisse mihi in illa facilem ad honores obtinendos viam: quos ego nunquam concupivi, et quibus captandis animum nunquam potui adiicere. Quanquam certe non paucos novi ex meis aequalibus, qui ad aliquem locum obrepserunt, quos mihi partim assequi, partim praecurrere licebat. [fol. 21] Id unum dicere contentus ero, quod in summis votis fuisse, mihi non fuisse difficile illic adipisci: nempe ut otio literario cum honesta aliqua ingenuaque conditione fruerer. Proinde nunquam verebor, ut mihi quispiam, nisi penitus perdita fronte obiiciat, me extra regnum papae aliquid corpori meo quaevisce, quod illic non esset mihi paratum. Farello autem quis id obiicere audeat? si sua illi industria fuisse vivendum, eos iam in literis progressus fecerat, qui esurire ipsum non sinerent. Et erat splendidiore familia natus, quam ut alienae opis indigeret. De nobis, quos veluti digito notabas, respondere tibi nominatim placuit. Sed quoniam videris omnes, qui eandem nobiscum hodie causam sustinent, oblique suggillare, velim intelligas, nullum posse abs te nominari, pro quo non melius tibi respondeam, quam pro Farello, vel me ipso. Sunt aliquot nostrorum tibi ex fama cogniti: de illis conscientiam tuam appello. Putesne fame fuisse adactos, ut a vobis demigrarent, et rebus desperatis, ad istam conversionem, velut ad novas tabulas profugisse? Verum, ne longum catalogum recenseam, hoc dico, eorum, qui causae huius aggreendianda principes fuerunt, neminem fuisse, qui non meliore foret apud vestros loco et fortuna, quam ut de nova aliqua vitae ratione propterea cogitandum fuerit. Age nunc, paulisper tecum reputa, quos honores et quas potentias simus adepti. Nos enim alias neque opes, neque dignitates affectasse, aut captasse, quam quae nobis obtigerunt, testes erunt omnes qui nos audierunt. Quum illi in omnibus dictis ac factis nostris non modo suspicionem nullam animadverterint eius ambitionis cuius nos insimulas, sed etiam claris indicii nos ab ea toto pectore abhorre deprehenderint, non est quod verbulo uno sic eorum mentes fascinari posse spares, ut futili maledicto potius credant, quam tot ac tam certis, quae a nobis habuerunt, experimentis. Ac utre potius agamus quam verbis: ius gladii, et alias civilis iurisdictionis partes, quas sub immunitatis specie personati episcopi et sacerdotes fraudulenter magistratui erectas sibi vindicarant, annon magistratui restituimus? Omnia, quae sibi usurpaverant, damnationis et ambitionis instrumenta, nonne detestati sumus, et adnixi ut abole-

rentur? Si spes aliqua erat emergendi, cur non calide dissimulabamus, ut ista simul cum ecclesiae gubernandae munere ad nos transirent? Totum autem regnum illud, vel potius carnificinam, quam in animas sine Dei verbo exercebant, cur evertere tanto conatu aggressi sumus? Quomodo non cogitabamus, tantudem nobis deperire? Quantum ad opes ecclesiasticas attinet, vorantur adhuc magna ex parte ab illis gurgitibus. Verum si spes erat aliquando ipsis ademptum iri, ut certe necesse [fol. 22] tandem erit, cur non viam quaerebamus, qua ad nos devenirent? At nos, quum clara voce pronunciamus, episcopum furem esse qui ex opibus ecclesiasticis plus in usum suum convertit, quam quod necesse est ad sobriam frugalemque vitam sustinendam; quum testati sumus, ecclesiam pessimo veneno tentatam esse, dum tanta opum<sup>1)</sup> affluentia onerati sunt pastores, quae ipsos postea obrueret; quum professi sumus non expedire, ut penes eos residerent; quum postremo consilium dedimus, ut ministris tantum erogaretur, quantum ad frugalitatem ordine suo dignam sufficeret, non quod ad luxum redundaret, reliqua pro more veteris ecclesiae dispensarentur; quum ostendimus eligendos esse graves viros, qui illis praeficerentur, ea lege ut ecclesiae et magistratui rationem quotannis rediderent: hocne erat aliquid nobis aucupari, an potius a nobis ultro excutere? Atque haec quidem demonstrant omnia, non quid sumus, sed quid esse voluerimus. Si ista autem palam ac vulgo sic nota sunt, ut nullus apiculus negari queat, qua fronte iam reprobare nobis perges affectatas opes ac potentias extraordinarias, praesertim vero apud eos, quibus nihil istorum est incognitum? Portentosa de nobis mendacia quum tui ordinis homines quotidie apud suos spargunt, nihil miramur. Nemo enim adest qui vel reprehendat, vel refutare ausit. At iis, qui eorum omnium, quae nuper recitavi, oculati sunt testes, contraria omnia vele persuadere, hominis est parum prudentis, et Sadoletum, ista doctrinae, prudentiae, gravitatis existimatione, vehementer dedecet. Quod si a re ipsa aestimandum animum nostrum censes reperiatur non alio nos spectasse, quam ut nostra tenuitatem atque humilitate regni Christi amplitudo proinoveretur. Tantum abest, ut regnandi cupiditate sacrosancto eius nomine fuerimus abusi. Taceo plurima alia, quae in nos pleno, ut aiunt, ore convicia detonas. Homines astutos vocas, inimicos unitatis christianaee et pacis, novatores veterum et bene constitutarum rerum,<sup>2)</sup> seditiosos, quum animabus pestiferos, tum publice privatimque perniciosos universae hominum societati. Si effugere reprehensionem voluisses, aut non debebas, invidiae causa, tribuere no-

1) *Ed. princeps mendose:* operum.  
1576—1611.

2) rerum, deest

bis linguam magniloquam: aut aliquantulum ab ista magniloquentia tibi temperare oportebat. Nolo tamen in singulis immorari, nisi quod te reputare cupio, quam sit indecorum, ne dicam illiberale, ita vexare immerentes multis verbis, quae verbo uno statim refelli queant. Quanquam leve est homines afficere iniuria, praeut est indignitas tantae contumeliae, quae, ubi ad causam venis, Christo et eius verbo abs te irrogatur.

Qtd Genevenses nostra praedicatione edocti [fol. 23] ab illa errorum colluvie, in qua demersi fuerant, ad puriorem evangelii doctrinam se contulerunt, defectionem a Dei veritate; quod a pontificis romani tyrannide se vindicarunt, ut paulo meliorem ecclesiae formam apud se constituerent, discessionem ab ecclesia esse dicis. Agedum, utrumque ordine executiamus. In praefatione autem illa tua, quae aeternae beatitudinis excellentiam praedicando, tertiam circiter epistolae partem occupat, responsionem meam diu haerere, nequaquam operae pretium est. Tametsi enim futurae aeternaeque vitae commendatio res est digna, quae nocte diuque auribus nostris insonet, quae assidue memoria repetatur, in qua meditanda sine fine exerceamur: de ea tamen nescio qua de causa hic sermonem adeo protraxeris, nisi ut te aliquo religionis indicio commendares. Sive autem, ut omnem de te dubitationem tolleres, testari voluisti te de gloriosa apud Deum vita serio cogitare; sive censuisti tam longa eius commendatione excitandos vellicandosque esse eos ad quos scribebas (nolo enim divinare quid tibi consilii fuerit), id tamen parum est theologicum, hominem ita sibi ipsi addicere, ut non interius principium hoc illi vitae formandae praestituas,<sup>1)</sup> illustrandae Domini gloriae studium. Deo enim, non nobis, nati imprimis sumus. Siquidem, quemadmodum ab eo fluxerunt omnia, et in eo consistunt, ita in eum referri debent, inquit Paulus (Rom. 11, 36). Sic quidem,<sup>2)</sup> fateor, Dominus ipse, quo nominis sui gloriam magis commendabilem hominibus faceret, eius promovendae atque amplificandae studium temperavit, ut cum nostra salute perpetuo coniunctum foret. At quum docuerit, illud ipsum oportere omnem cuiuslibet boni et commodi nostri curam cogitationemque excedere, et naturalis aequitas id quoque dictet, non tribui Deo quod suum est, nisi rebus omnibus preferatur, christiani certe hominis est

altius descendere, quam ad quaerendam et comprandam animae sua salutem. Itaque neminem recta pietate imbutum fore puto, a quo non insipida censatur tam longa et accurata ad studium coelestis vitae exhortatio, quae hominem penitus in se ipso detineat, nec ad sanctificandum Dei nomen, vel uno verbo, erigat. Post hanc vero sanctificationem libenter tibi assentior, non aliud tota vita nobis debere esse propositum, quam ut ad supernam illam vocationem contendamus. Hunc enim omnibus et factis et dictis et cogitationibus nostris perpetuum scopum praestituit Deus. Nec sane aliud est, quo beluam homo antecellat, nisi spiritualis cum Deo communicatio, in spem beatae illius aeternitatis. Nec fere aliud agimus concionibus nostris, nisi ut omnium animos ad meditationem studiumque eius erigamus. Hoc quoque tibi non aegre concedo, non aliunde esse gravius saluti nostrae periculum, quam a praepostero [fol. 24] perversoque Dei cultu. Haec enim sunt prima rudimenta, quibus solemus ad pietatem instituere, quos Christo volumus acquirere discipulos, ne temere, ac pro sua libidine, novum aliquem Dei cultum sibi fingant: sed hunc unum legitimum esse sciunt, qui a principio fuit illi approbatus. Affirimus enim, quod sacro oraculo (1 Sam. 15, 22) testatum est: obedientiam esse quolibet sacrificio praestantium. Denique modis omnibus assuefacimus, ut una colendi Dei regula contenti, quam ex illius ore habent, commentarios omnes cultus valere iubeant.

Proinde quum tu hanc, Sadolete, voluntariam confessionem edideris, iactum est abs te defensionis meae fundamentum. Nam si fateris, hoc horribile esse animae exitium, ubi pravis opinionibus in mendacium convertitur divina veritas, nunc tantum nobis superest, quaerere utra tandem pars cultum illum Dei, qui unus est legitimus, retineat. Quo eum parti vestrae asseras, assumis, certissimam esse ipsius regulam, quae ab ecclesia praescribitur. Quanquam, ac si tibi hic obsisteremus, qualiter in rebus dubiis fieri solet, sententiam istam in deliberationem revocas. Ego autem, Sadolete, quia frustra desudare te video, hac te sublevabo molestia. Falso enim opinaris, ab ea colendi Dei ratione, quam semper observavit ecclesia catholica, nos abducere velle populum christianum, sed in ecclesiastic nomine vel hallucinari, vel certe sciens ac volens fucum facis. Atque in hoc quidem posteriore te mox deprehendam. Fieri tamen potest, ut alicubi etiam aberres. Primum, in eius definitione praetermissis, quod te ad rectam intelligentiam non parum adiuvisset. Quum dicis eam esse, quae omni anteacto tempore, ut hodierno, omni in regione terrarum, in Christo una et conscientiis, uno Christi spiritu ubique et semper directa est: ubi hic verbum Domini, maxime perspicua nota illa, quam ipse Dominus, in ecclesia designanda, toties nobis com-

1) *Sic editiones antiquiores, Arg. Gen. et Gallasi. Beza 1576 emendavit: praestitut, quod deinceps servatum est, etsi non necessarium. Gallus sat's obscure: cela sent peu son vray theologien, de tant vouloir astreindre l'homme à soymesme: que cependant ne luy ordonne et enseigne, que le commencement de bien former sa vie est desirer accroistre et illustrer la gloire du Seigneur. Si quid videmus, Cardinalem hoc nomine vituperat quod euademonismum docuerit.* 2) *Sic sola princeps cum versione gallica; 1540 seqq.: Siquidem.*

mendat? Quia enim providebat, quam periculoso foret absque verbo spiritum iactare, ecclesiam a sancto quidem spiritu gubernari asseruit: sed eam gubernationem, ne vaga et instabilis crederetur, verbo alligavit. Hac ratione clamat Christus, ex Deo esse, qui verba Dei audiunt; oves suas esse, quae vocem suam pastoris esse recognoscunt: quamlibet aliam, hominis esse extranei (Ioann. 10, 27). Hac ratione spiritus per os Pauli pronunciat, ecclesiam fundatam esse super fundamentum apostolorum et prophetarum (Ephes. 2, 20). Item ecclesiam Domino sanctificatam lavaero aquae in verbo vitae (Ephes. 5, 26). Id. ipsum per os Petri etiam clarius: quum docet regenerari Deo populum, per semen illud incorruptibile (1 Petr. 1, 23). Denique, cur toties evangelii praedicatio regnum Dei nuncupatur, nisi quia sceptrum est, quo plebem suam moderatur rex coelestis? Neque in literis tantum apostolicis illud reperies, verum quoties vel [fol. 25] de instauranda, vel de propaganda in orbem universum ecclesia vaticinantur prophetae, primum semper locum verbo assignant. Prodituras enim aquas vivas dicunt e Ierusalem, quae in quatuor flumina diductae totam terram inundabunt (Zach. 14, 8). Quae vero sint aquao illae vivae, illi ipsi enarrant, quum aiunt: Exituram legem e Sion, et verbum Domini e Ierusalem (Ies. 2, 3). Bene ergo Chrysostomus, qui repudiandos monet omnes, qui sub praetextu spiritus a simplici evangelii doctrina nos abducunt: quum spiritus sit promissus non ad novam doctrinam revelandam, sed imprimendam hominum animis evangelii veritatem. Ac nos re ipsa hodie experimur, quam fuerit necessaria admonitus. A duabus sectis oppugnamur: quae inter se plurimum videntur habere discriminis. Quid enim papae simile in speciem cum Anabaptistis? Et tamen, ut video Satanan nunquam tanta versutia se transfigurare, quin aliqua ex parte se prodat, idem utrique praecepsum telum habent, quo nos fatigant. Spiritum enim quum fastuose iactant, non alio certe tendunt, quam ut oppresso sepulcho Dei verbo locum faciant suis ipsorum mendaciis. Tuque, Sadolete, in primo limine impingendo, dedisti poenas eius contumeliae, quam spiritui sancto inussisti, quum separasti ipsum a verbo. Nam volut in bivio sint constituti, qui viam Dei quaerunt, ac certo signo destituti eos haesitantes inducere cogitis: utrumque magis expediat, ecclesiae autoritatem sequi, an iis auscultare, quos novorum dogmatum repertores vocas. Si scivisses, vel dissimulare nolisses, spiritum ecclesiae praelucere ad patefaciendam verbi intelligentiam: verbum autem instar esse lydii lapidis, quo illa doctrinas omnes examinet, an ad istam adeo perplexam et spinosam quaestionem confugisses? Tuo igitur experimento disce, non minus importunum esse, spiritum iactare sine verbo, quam futurum sit insulsum, sine spiritu

verbum ipsum obtendere. Nunc si definitionem ecclesiae tua veriorem recipere sustines, dic posthaec, societatem esse sanctorum omnium, quae per totum orbem diffusa, per omnes aetas dispersa, una tamen Christi doctrina et uno spiritu colligata, unitatem fidei ac fraternalm concordiam colit atque observat. Cum hac esse nobis quidquam dissidii negamus. Quin potius, ut eam reveremur matris loco, ita in sinu eius cupimus permanere. At hic me redarguis. Doces enim, quaecunque ab ~~amis~~ mille quingentis, aut amplius, constanti fidelium consensu sunt comprobata, ea nostra importunitate convelli et abrogari. Hic non requiram, ut vere ac candide nobiscum agas (quod tamen philosopho, nedum Christiano, sponte praestandum erat), sed rogabo tantum, ne ad illiberalem usque calumniandi licentiam descendas, quae existimationem tuam apud probos et [fol. 26] graves viros, nobis quoque tacentibus, vehementer laesura est. Scis hoc, Sadolete, et, si inficiari pergis, faciam ut te scivisse ac callide vafreque dissimulasse omnes intelligant: non modo longe meliorem nobis cum antiquitate concessionem esse quam vobis, sed nihil aliud conari quam ut instauretur aliquando vetusta illa ecclesiae facies, quae primo ab hominibus indoctis, et non optimis, deformata et foedata, postea a pontifice romano et eius factione flagitiore lacerata et prope deleta est. Non adeo te praeceps urgebo, ut revocem ad illam ecclesiae formam, quam apostoli constituerunt: in qua tamen unicum habemus verae ecclesiae exemplar, a quo si quis vel minimum deflectit, aberrat. Sed ut catenus tibi indulgeam, statue, quaeso, tibi ob oculos veterem illam ecclesiae faciem, qualem Chrysostomi et Basilii aetate apud Graecos, Cypriani, Ambrosii, Augustini saeculo apud Latinos extitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt: postea ruinas, quae apud vos ex illa supersunt, contemplare. Tantum certe discriminis apparebit, quantum prophetae nobis describunt inter praeclaram ecclesiam, quae sub Davide et Solomone floruit, ac illam, quae sub Sedecia et Ioacim in omne superstitionum genus prolapsa divini cultus puritatem prorsus vitiaverat. Iamne hostem antiquitatis esse dices, qui, antiquae pietatis ac sanctimoniae studio, praesenti rerum omnium corruptione non contentus, quae sunt in ecclesia dissipata ac depravata, corrigere in melius, et restituere in pristinum nitorem molietur?

Quum tribus partibus constet ac fulciatur potissimum ecclesiae incolumitas, doctrina, disciplina, et sacramentis; quarto loco accedant caeremoniae, quae populum in pietatis officiis exerceant. Ut maxime parcatur ecclesiae vestrae honori, qua parte vis eam censeamus? Doctrinæ propheticæ et evangelicæ veritas, qua fundatam esse ecclesiam oportet, non modo illic magna ex parte interiit, sed hostiliter ferro et igni abigitur. Tu mihi pro ecclesia obtru-

des, quae omnes religionis nostrae sanctiones, et quae Dei oraculis sunt proditae, et quae sanctorum quoque patrum libris sunt consignatae, et quae priscis conciliis approbatae, furiose persequitur? Age, sanctae illius et verae disciplinae, quam veteres episcopi in ecclesia exercuerunt, quao tandem exstant apud vos vestigia? Nonne omnia eorum instituta ludibrio habuistis? Nonne omnes canones pedibus proculcastis? Sacraenta vero quam scelerate a vobis sint profanata, sine summo horro cogitare nequeo. Caeremoniarum habetis quidem plus satis, sed illae quum et significatu, ut plurimum, sint ineptissimae, et innumeris superstitionum formis vitiatae, quid valere queant ad ecclesiam conservandam? Nihil istorum, ut vides, accusatorie a me exaggeratur. [fol. 27] Et sunt omnia sic in propatulo posita, ut demonstrare digito liceat, si sint oculi qui animadvertiscant. Nunc, si placet, ad hanc nos legem exige: multum profecto aberit, quin eorum criminum, quae nobis intentasti, reos peragas. In sacramentis nihil tentavimus, nisi ut in nativam puritatem unde decidarent restituta dignationem quoque suam reciperent. Caeremonias magna ex parte abolevimus. Verum coacti sumus id facere: partim quod sua multitudine in iudaismum quandam degeneraverant; partim quod tanta superstitione occupaverant plebis animos, ut stare modo nullo possent, quin pietati, quam promovere debuerant, officerent plurimum. Retinuimus tamen eas, quae pro temporis ratione sufficere videbantur. Disciplinam, qualem habuit vetus ecclesia, nobis deesse, neque nos diffitemur. Sed cuius erit aequitatis, nos eversae disciplinae ab iis accusari, qui et eam soli penitus sustulerunt, et quum postlimio reducere conaremur, nobis hactenus obstituerunt?

Neque vero in doctrina dubitamus ad veterem ecclesiam provocare. Et quoniam, exempli causa, capita quaedam attigisti, in quibus aliquam nos suggestandi causam habere tibi videbaris, ostendam breviter, quam inique falsoque cavilleris, ea fuisse a nobis contra ecclesiae sententiam excogitata. Antequam tamen ad species descendam, admonitum te velim, etiam atque etiam consideres, qua ratione virtus vertas nostris hominibus, quod in scripturam explicationem studium impenderunt. Scis enim, tantum verbo Dei lucem suis lucubrationibus intulisse, ut hoc in genere omni laude ipsos fraudare, vel invidiam ipsam pudeat. Eiusdem est candoris, quod tradis, populum spinosis subtilibusque quaestionibus fuisse a nobis seductum: adeoque per illam philosophiam, a qua cavere iubet Christianos Paulus (Col. 2, 8), circumductum. Quid? Non<sup>1)</sup> meministi, quale

fuit tempus illud, quo nostri homines prodierunt? Qualem in scholis doctrinam discabant, qui ad ecclesiastis erudiendas se comparabant? Scis ipse, meram fuisse sophisticen: sed adeo contortam, implicitam, sinuosam, perplexam, ut merito dici posset scholastica theologia quaedam arcanae magiae species. Quo quisque illic densiores offundebat tenebras, quo se et alios importunis acnigmatibus magis fatigabat, eo maiorem acuminis ac doctrinae referebat palam. Quum vero doctrinae suae fructum ad populum volebant proferre, qui in officina illa fuerant formati, quanta, obsecro, dexteritate ecclesiam aedificabant? Ac ne singula persequar, quae tunc fuerunt in Europa conciones, quae simplicitatem illam repraesentarent, in qua Paulus vult tota vita christianum populum occupari? Imo quae omnino fuit, ex qua non plura deliria referrent aniculae, quam comminisci toto mense ad focum suum possent? Sic enim fere distributae erant [fol. 28] conciones, ut dimidia pars caliginosis illis scholarum quaestionibus daretur, quae rudem plebeculam obstupefacerent: altera suaves fabellas, aut non inamoenas speculations contineret, quibus populi alacritas excitaretur. Paucae tantum voculae ex Dei verbo aspergebantur, quae fidem talibus nugamentis sua maiestate conciliarent. Ubi autem primum nostri signum sustulerunt, momento uno discussae sunt apud nos omnes illae officiae. Vestri autem concionatores partim ex eorum libris ita profecerunt, partim pudore atque obmurmurationibus omnium coacti, eorum exemplo ita se conformarunt,<sup>1)</sup> ut pleno gutture adhuc spirent veterem illam insulsitatem. Ut si quis rationem agendi nostram cum illa, atque etiam cum ea quae hodie vobis est in pretio, comparet, non minimam te nobis iniuriam fecisse agnoscat. Quod si paulo ulterius Pauli verba prosequutus essem, facile quivis puer intellexisset, in vos procul dubio competere, quod nobis crimen impingis. Inanem enim philosophiam illic Paulus interpretatur eam esse, quae pias animas per constitutiones hominum et elementa huius mundi depraedatur, quibus vos ecclesiam perdidistis.

Et ipse tuo deinde testimonio nos absolvis: qui inter dogmata nostra, quae exagitanda tibi duxisti, nullum profers, cuius cognitio non sit ad ecclesiae aedificationem in primis necessaria. Fidei iustificationem primo loco attingis: de qua nobis primum et acerrimum certamen vobiscum est. Estne illa spinosa et inutilis quaestio? At, sublata eius cognitione, et Christi gloria extincta est, et abolita religio, et ecclesia destructa, et spes salutis penitus

1) Sic sola princeps cum versione gallica. Caeterae omnes (1540 seqq.): Num.

1) Sic latini libri omnes, ut ironice dictum videatur. Gallus lucidius reddidit: encore ne se peut faire qu'il ne sentent à pleine gorge ceste vieille bestise et asnerie.

eversa. Dogma ergo istud, quod in religione summum erat, dicimus fuisse a vobis nefarie ex hominum memoria ~~wdeletum~~<sup>ad hinc</sup> Perspicua eius rei probatae referti sunt libri nostri. Et crassa eius ignoratio, quae in vestris omnibus ecclesiis etiamnum manet, testatur, nos nequaquam falso queri. At tu perquam maligne hic invidiam nobis facies: quod fidei omnia deferendo, nullum operibus locum relinquamus. Hic non ingrediari iustum disputationem, quae non posset nisi longo volumine terminari: sed enim si Catechismum inspiceres, quem Genevensibus ipse conscripsi, quum pastoris apud eos sustinerem personam, tribus verbis victus obmutesceres. Breviter tamen hic tibi expediam, quo modo ea de re loquamur. Primum, iubemus hominem a sui recognitione incipere, et illa quidem non levi nec defunctoria, sed ut conscientiam coram Dei tribunal suam sistat: et quum suaue iniquitatis satis convictus fuerit, simul iudicii illius severitatem reputet, quod in omnes peccatores edicitur: ita miseria sua confusus ac percussus, coram Deo prosternatur, et humilietur: abiecta omni sui fiducia tanquam ultimo exitio [fol. 29] perditus ingemiscat. Tum unicum salutis portum esse ostendimus in Dei misericordia, quae nobis in Christo exhibetur: quia omnes salutis nostrae partes in eo sunt adimpleteae. Quum ergo universi mortales perditi sunt coram Deo peccatores, dicimus Christum unicum esse iustitiam: quandoquidem obedientia sua transgressiones nostras abolevit, sacrificio iram Dei placavit, sanguine maculas abstersit, cruce maledictionem nostram sustinuit, morte pro nobis satisfecit. In hunc ergo modum dicimus hominem Deo patri in Christo reconciliari, nullo suo merito, nulla operum dignatione, sed gratuita clementia. Quum autem fide amplectamur Christum, et veluti in eius communionem veniamus, hanc, secundum scripturae morem, vocamus fidei iustitiam. Quid hic habes, quod vel mordeas, vel carpas, Sadolete? An quia operibus locum nullum relinquimus? Certe in homine iustificando negamus vel pilum unum valere. Ubique enim scriptura vociferatur omnes esse perditos, et sua quemque conscientia graviter accusat. Nihil speci reliquum esse docet eadem scriptura, nisi in sola Dei bonitate, qua peccata nobis ignoscuntur, iustitia imputatur. Utrumque gratuitum assentit: ut tandem pronunciet, beatum esse hominem sine operibus (Rom. 4, 7). At quam aliam affert nobis notionem nomen ipsum iustitiae, nisi respectus ad bona opera habeatur? Imo si animadvertes, quid scriptura per verbum iustificandi significet, in eo non haesitares. Non enim ad propriam hominis iustitiam refert, sed ad Dei clementiam, quae iustitiam peccatori, contra quam sit promeritus, accepto fert, idque iniustitiam non imputando. Illa, inquam, est nostra iustitia, quae a Paulo describitur, quod Deus nos sibi in Christo reconciliavit

(2 Cor. 5, 19). Modus deinde subiicitur, non imputando delicta. Nos demum fide fieri eius boni participes demonstrat, quum dicit, eius reconciliationis ministerium evangelio contineri. At amplum est vocabulum fides, inquis, et cuius significatio latius patet. Imo vero Paulus, quoties iustificandi facultatem ei tribuit, simul adstringit ad gratuitam divinae benevolentiae promissionem: ab omni autem operum respectu procul avertit. Unde familiaris ei collectio: si fide, ergo non operibus. Rursum si operibus: ergo non fide. Atqui iniuria fit Christo, si praetextu gratiae eius repudiantur bona opera: quum venerit, ut redderet populum Deo acceptablem, secretorem bonorum operum. Et exstant multa similia in eam rem testimonia, quibus probatur, ideo venisse Christum, ut bene operantes per eum accepti essemus Deo. Est hacc quidem calumnia adversariis nostris perpetuo in ore, quod beneficiandi studium tollimus e vita christiana, gratuitae iustitiae commendatione: [fol. 30] sed quae magis frivola est, quam ut nos valde premat. Opera bona in homine iustificando negamus ulla habere partes: in iustorum vita regnum illis vindicamus. Nam si Christum possidet qui iustitiam est adeptus, Christus autem nusquam sine suo spiritu est, inde constat, gratuitam iustitiam cum regeneratione necessario esse coniunctam. Proinde si rite intelligere libet, quam sint res individuae, fides et opera, in Christum intuere: qui, ut docet apostolus, in iustitiam et sanctificationem datus nobis est (1 Cor. 1, 30). Ubi ergo cunque<sup>1)</sup> ista quam gratuitam praedicamus fidei iustitia est, illic est Christus. Ubi Christus, illic spiritus sanctificationis: qui animam in vitae novitatem regeneret. Contra vero ubi non vigeat sanctitatis innocentiaeque studium, illic nec spiritus Christi nec Christus ipse est. Ubi non est Christus, neque etiam illic est iustitia, imo neque fides: quae Christum in iustitiam, sine spiritu sanctificationis, apprehendere non potest. Quum ergo, secundum nos, regeneret Christus in beatam vitam quos iustificat, a regno peccati eruptos traducat in regnum iustitiae, transfiguret in imaginem Dei, adeoque spiritu suo in obedientiam voluntatis sua formet: non est, quod frena carnis libidinibus laxari nostra doctrina conqueraris. Neque vero aliud sibi volunt quae adducis testimonia. Quod si velis ad diruendam gratuitam iustificationem illis abuti, vide quam imperite ratiocineris. Dicit alibi Paulus, ante mundi creationem nos in Christo electos esse, ut simus sancti et irreprehensibiles in Dei conspectu, per caritatem (Ephes. 1, 4). Quis inde, vel non esse gratuitam electionem colligere ausit, vel causam eius esse caritatem? Quin potius, ut gratuita electio

1) Ubiunque ergo, 1576 seqq.

finem hunc habet, ut vitam coram Deo traducamus puram et impollutam, sic et gratuita iustificatio. Verum enim ~~est filius Pauli~~, nos minime ad immunditiam vocatos esse, sed ad sanctitatem (1 Thess. 4, 7). Interim constanter hoc retinemus, hominem non modo semel gratis iustificatum, nullo operum merito, sed hac gratuita iustitia hominis salutem perpetuo constare. Neque etiam aliter fieri posse, ut acceptum sit Deo ullum hominis opus, nisi per eam approbatur. Quamobrem vehementer<sup>1)</sup> obstupefactus sum, quum apud te legorem, caritatem principem esse ac potissimum salutis nostrae causam. O Sadolete, quis abs te unquam talem vocem exspectasset? Caeci prefecto ipsi certius in tenebris palpant Dei misericordiam, quam ut salutis suae principatum caritati ausint arrogare. Qui vero vel scintillam unam habent divinae lucis, sentiunt non alia re constare sibi salutem, quam quod sunt a Deo adoptati. Est enim aeterna salus, haereditas coelestis patris, quae solis eius filii est praeparata. Porro, quis aliam adoptioni nostrae causam assignet, [fol. 31] quam quae passim a scriptura praedicatur? Quod scilicet non priores dilexerimus eum, sed ulti in gratiam ac benevolentiam ab eo recepti simus.

Ab hac caecitate error etiam ille emergit quod poenitentiis et satisfactionibus expiari peccata doceas. Ubi ergo erit illa unica hostia piacularis, a qua si disceditur, nullum omnino piaculum restare testatur scriptura? Percurre quidquid habemus oraculaorum Dei: si unicus Christi sanguis ubique pro satisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione proponitur, qua confidentia tantum honorem ad tua opera transferre audes? Nec est, quod sacrilegium hoc ecclesiae Dei adscribas. Habuit, fateor, vetus ecclesia suas satisfactiones: non illas tamen, quibus Deo litarent peccatores, seque a noxa redimerent, sed quibus, et quam profitebantur resipiscentiam non esse fictam approbarent, et eius offensionis, quae ex eorum peccato excitata erat, memoriam delerent. Non enim quibuslibet, sed iis modo, qui in grave aliquod flagitium prolapsi erant, solenni ritu prescribebantur.

In eucharistiae causa, id reprehendis, quod Dominum ipsum universi, et divinam in eo spiritualemque potentiam (quae prorsus libera et infinita est), in angulos corporeae naturae, quae suis cancellis est circumscripta, conanur includere. Et quis tandem calumniis erit finis? Nos diserte semper testati sumus divinam Christi non modo potentiam, sed essentiam quoque diffundi per omnia, nullis finibus limitari: tu autem exprobrare nobis non dubitas, fuisse in angulos corporeae naturae a nobis inclusam? Qui sic? Quia corpus eius noluimus terrenis

elementis vobiscum affigere. At, si qua tibi sinceritatis cura esset, non ignoras prefecto, quantum inter ista duo intersit: localem corporis Christi presentiam a pane removeri et spiritualem Christi potentiam circumscribi corporis cancellis. Nec dogma istud nostrum debuisti novitatis insimulare, quum in ecclesia semper habitum pro confesso fuerit. Sed quia disputatio haec sua magnitudine librum unum impleret, satius est, quo tanta molestia uterque nostrum eximatur, Augustini Epistolam ad Dardanum legas: ubi reperies, quomodo unus idemque Christus et suae divinitatis amplitudine coelum terraque excedat, et secundum humanitatem non ubique sit diffusus. Veram carnis ac sanguinis communicationem, quae fidelibus in coena exhibetur, magnifice praedicamus. Eam carnem vere cibum esse viuae, sanguinem illum vere potum, diserte ostendimus: quorum non imaginaria conceptione contenta sit anima, sed efficaci veritate fruatur. Praesentiam Christi, qua nos illi inseramur, a coena minime excludimus. Neque vero ipsam obscuramus, modo [fol. 32] absit localis circumscriptio, modo ne gloriosum Christi corpus ad terrena elementa detrahabatur, modo ne in Christum fingatur panis transsubstantiari, ut deinde pro Christo adoretur. Dignitatem usumque mysterii quibus possumus elogis illustramus: quanta deinde ad nos utilitas redeat, declaramus. Quae omnia prope apud vos negliguntur. Praeterita enim, quae hic nobis confertur, divina beneficentia, praeterito tanti beneficii legitimo usu, quibus plurimum decebat immorari, satis habetis, si populus ad signum visibile, sine ulla spiritualis mysterii intelligentia, obstupescat. Quod antem crassam illam, quam statuitis, transsubstantiationem damnavimus; quod stupidam illam adorationem quae hominum mentes in elementis detinet, in Christum assurgere non sinit, perversam esse docuimus et impiam, id non fecimus, nisi suffragante nobis veteris ecclesiae consensu: cuius umbra frustra conaris foedissimas, quibus hic laboratis, superstitiones obtegere.

In auriculari confessione illam Innocentii legem improbabimus, quae iubet quotannis unumquemque proprio sacerdoti recensere omnia peccata. In ea porro abroganda quas rationes sequuti simus, recensere longum foret. Rem tamen fuisse nefariam, vel inde apparet, quod diro illo tormento solutae piae conscientiae, tunc acquiescere demum in divinae gratiae fiducia cooperunt, quum antea perpetua anxietate aestuissent. Ut taccam interim tot, quas in ecclesiam importavit, clades, quae merito illam nobis execrabilem reddere debeant. Quod autem in praesentia agitur, hoc habe: neque Christi mandato, nec veteris ecclesiae instituto fuisse traditam. Locos scripturae omnes valide extorsimus sophistis, quos ad eam detorquere moliebantur. Quae autem

1) vehementer, *om. 1576 seqq.*

in manibus sunt ecclesiasticae historiae, puriore illo saeculo minime exstissee narrant: quibus patrum quoque testimonia ~~con~~<sup>litteris</sup> ~~co~~<sup>con</sup> ficiunt. Fucus ergo est, quod humilitatem illic et a Christo et ab ecclesia praecptam ac constitutam ait. Tametsi enim illic quædam apparet humilitatis species, longe tamen abest, quin deiectio quaelibet, humilitatis nomine, apud Deum commendetur. Itaque, veram demum humilitatem Paulus esse docet (Col. 2, 18), quae ad verbi Dei regulam est composita.

In asserenda sanctorum intercessione, si hoc tantum intendis, eos assiduis votis expetere regni Christi complementum, in quo salus omnium fideliū continetur, nemo est nostrum, qui aliquam de ea re controversiam faciat. Itaque, nullum operae pretium fecisti, in hanc partem tantopere incumbendo; sed noluisti scilicet amittere salsum<sup>1)</sup> illud dictionum, quo nos verberas, [pag. 33] quasi opinemur, animas una cum corporibus interire. Nos vero philosophiam istam summis vestris pontificibus, ac cardinalium collegio relinquimus: a quibus fidelissime iam multis annis culta fuit, neque hodie colidesinit. Itaque et illud, quod subiicis, illorum est, suaviter delitiari, nulla futurae vitae sollicitudine: ac nos miseros homunciones, quod tam anxie pro Christi regno laboramus, ludibrio habere. Caeterum in sanctorum intercessione nos eam in partem institimus, quam non est mirum cur praetermittas. Innumeræ enim superstitiones hic fuerunt exciduae: quae eo usque emerserant, ut penitus ex hominum animis delecta esset Christi intercessio; sancti pro diis invocarentur; in illos, quae propria sunt Dei officia distribuerentur; nec quidpiam interesset inter eorum cultum et veterem illam, quam omnes merito execraramur, idolatriam.

Quantum ad purgatorium attinet, scimus veteres alicubi ecclesias fecisse nonnullam in precibus mortuorum mentionem, sed illam raram et sobriam, et paucis tantum verbis comprehensam, denique, in qua appareret, nihil aliud velle, quam suam erga mortuos caritatem obiter testari. At nondum nati erant architecti, a quibus purgatorium istud vostrum construeretur: qui postea in tantam amplitudinem illud dilatarunt, in tantam extulerunt altitudinem, ut potissima regni vestri portio ipso fulciatur. Scis ipse, qualis errorum lerna inde emerserit; scis quot præstigias sponte excogitarit superstatio, quibus se luderet; scis quot imposturas fabricata sit hic avaritia, quo omne genus homines emulgeret; scis quanto pietatis detrimento factum id fuerit. Nam ut omitteram verum Dei cultum ex eo valde concidisse, hoc certe fuit pessimum, quod dum certatim volunt om-

nes sine ullo Dei præcepto opitulari mortuis, germana caritatis officia, quae tantopere exiguntur, penitus neglexerunt.

Non patiar, Sadolete, ut eiusmodi flagitiis ecclesiae nomen inscribendo, et eam contra fas et ius infames, et nobis invidiam apud imperitos facias, ac si bellum cum ecclesia gerere nobis decretum foret. Nam, ut fateamur iacta fuisse olim semina quaedam superstitionum, quae ab evangelii puritate nonnihil degenerabant, scis tamen ista, quibuscum in primis belligeramus, impietatis monstra, non ita pridem vel nata esse, vel certe in hanc magnitudinem excrevisse. Sane ad regnum vestrum expugnandum, conterendum, disperendum, non divini verbi modo virtute, sed sanctorum etiam patrum præsidio armati sumus. Atque ut ecclesiae autoritatem, quam, veluti Aiacis clypeum, subindo nobis opponis, aliquando tibi prorsus excutiam: nonnullis adhuc propositis exemplis indicabo, quanto intervallo a sancta illa antiquitate differatis. Eversi ministerii vos accusamus, cuius vacuum [fol. 34] sine re nomen apud vos manet. Quantum enim ad pacendi populi curam attinet, episcopos ac presbyteros mutas esse statuas, pueri quoque cernunt: praedando solum ac vorando strenuos esse, omnium ordinum mortales experiuntur. In sacrae coenæ locum sacrificium subiisse, quo sua virtute exinanitur mors Christi, indigne ferimus. In exsecrandam missarum nundinationem vociferamur: coenam Domini dimidia ex parte querimur erectam esse populo christiano. In sceleratam simulacrorum adorationem invehimur. Sacraenta ostendimus multis profanis opinionibus inquinata. Indulgentias docemus horrendo crucis Christi opprobrio obrepssisse. Traditionibus humanis christianam libertatem imploramus obrutam fuisse et oppressam. His ergo ac similibus pestibus purgandas curavimus, quas nobis ecclesias Dominus commendavit. Expostula, si potes, nobiscum de iniuria, quam catholicae ecclesiae irrogavimus, dum ausi sumus violare sacras eius sanctiones. Enimvero id iam magis pervulgatum est, quam ut négando quidpiam proficias, in istis omnibus non obscure a nobis stare veterem ecclesiam: vobisque nihilo minus, quam nos ipsorum, adversari. Hic vero succurrit, quod alicubi extenuandi causa dicis, etiam si mores vestri parum sint compositi, non esse ideo causam, cur a sancta ecclesia discessionem faciamus. Fieri quidem vix potest, ut tot crudelitatis, avaritiae, rapacitatis, intemperantiae, arrogantiae, insolentiae, libidinum, scelerumque omnium exemplis, quae in hominibus ordinis tui palam conspicua sunt, non magnopere a vestra parte alienentur plebis animi: verum nihil eorum nos perpulisset ad ea tentanda, quae multo maiori necessitate sumus aggressi. Ista porro fuit necessitas, quod lux divinae veritatis extincta, se-

1) salsum, legunt veteres; ce gentil propos, vertit Gallus. Gallus primus scripsit falsum, quem recentiores sequuti sunt.  
Calvini opera. Vol. V.

pultum Dei verbum, virtus Christi profunda obli-  
vione inducta, munus pastorale inversum erat. In-  
terim sic grassabatur impietas, ut nullum prope  
religionis dogma a fermento purum, nulla caere-  
monia errore vacua, nulla divini cultus portiuncula  
a superstitione intacta esset. Qui cum talibus  
malis conflictantur, bellumne indicunt ecclesiae, ac  
non potius extremis malis afflictae opitulantur? Et  
adhuc obedientiam humilitatemque vestram nobis  
venditas, quod vos retineat ecclesiae veneratio, quo  
minus ad exigenda haec flagitia manum admoveatis.  
Quid homini christiano cum ista praeveracita-  
trice obedientia, quae verbo Dei licentiose contempto  
obsequia sua defert hominum vanitati? Quid cum  
ista contumaci praefractaque humilitate, quae, de-  
specta Dei maiestate, homines modo suspicit ac re-  
veretur? Faceous inanes virtutum tituli, qui ad  
obtegenda via accersuntur. Rem ipsam sine fuso  
afferamus: sit inter nos humilitas, quae ab [fol. 35]  
infimo exorsa, suo quemque gradu ita colat, ut ec-  
clesiae summam dignationem observantiamque de-  
ferat, quae tamen ipsa demum ad Christum, eccl-  
esiae caput, referatur; sit obedientia, quae sic ad au-  
diendos praefectos ac maiores nos componat, ut  
omnia tamen obsequia ad unicam verbi Dei regu-  
lam exigat; sit denique ecclesia, cui supremae cu-  
rae sit, religiosa humilitate suspicere verbum Dei,  
et sub eius obedientia se continere. At, cuius ar-  
rogantiae est, inquies, iactare penes vos solos esse  
ecclesiam, et eam interim adimere orbi universo?  
Nos vero, Sadolete, ecclesias Christi eas, quibus praesi-  
detis, esse non negamus, sed pontificem romanum,  
cum toto pseudoepiscoporum grege, qui pastorum  
locum istic occuparunt, immanes esse lupos dicimus:  
quibus unicum studium hactenus fuit, atterere et  
disperdere Christi regnum, donec vastitate et ruina  
deformarent. Neque hanc tamen querimoniam primi  
movemus. Bernardus quanta vehementia in Euge-  
nium omnesque suae aetatis episcopos fulminat?  
At quanto saeculi illius conditio hac praesenti to-  
lerabilior? Ad extremum enim nequitiae perventum  
est: ut iam nec vitia sua, nec remedia pati possint  
adumbrati isti praesules, in quibus stare et perire  
ecclesiam putas, a quibus nos ipsam dicimus immi-  
niter fuisse disiectam et mutilatam, et parum ab-  
fuisse, quin ad interacionem usque deleretur. Quod  
certe fuisse factum, nisi singularis Dei bonitas ob-  
stisset. Ita in omnibus locis, qui romani ponti-  
ficis tyrannide occupantur, vix apparent sparsa quae-  
dam et lacera vestigia, ex quibus ecclesias illic se-  
misepultas iacere agnoscas. Neque id absurdum vi-  
deri tibi debet, qui audis ex ore Pauli, non alibi  
sedem Antichristo fore, quam in medio Dei sanc-  
tuario (2 Thess. 2, 4). An non vel una haec admoni-  
tio expergefaceret nos debet, ne quae forte nobis  
praestigiae et captiones in ecclesiae nomine inten-

dantur? Sed qualescumque sint, inquis, scriptum  
tamen est: Quae dicunt facite (Matth. 23, 3). Sane,  
si in cathedra Mosis sedeant. Sed ubi e cathedra  
vanitatis populum nugis dementant, scriptum est:  
Cavete ab eorum fermento (Matth. 16, 6). Non est  
nostrum, Sadolete, suum ecclesiae ius eripere, quod  
illi non modo Dei benignitate concessum, sed multis  
etiam interdictis severe vindicatum fuit. Nam  
ut ad regendam ecclesiam non emituntur ab ipso  
cum licentiosa exlegique potestate pastores, sed ad  
certam officii formulam adstringuntur, quam exce-  
dere non liceat, ita explorare iubetur ecclesia quam  
fideliter vocationi respondeant suae, quos ea lege  
sibi praefectos habet (1 Thess. 5, 21; 1 Ioann. 4, 1).  
Atqui vel non multum habebit momenti Christi tes-  
timonium, aut nefas erit, autoritatem vel minima  
ex parte iis abrogari, quos tam splendidis elogiis  
ornavit. Imo vero falleris, si putas Dominum im-  
posuisse populo [fol. 36] suo tyrannos, qui pro libi-  
dine dominarentur, ubi iis quos ad evangelium pro-  
mulgandum mittebat, tantum detulit potestatis. In  
eo autem impingis, quod non cogitas ante illos cir-  
cumscribi certis finibus, quam potestate instruantur.  
Audiendos ergo fatemur, non secus ac Christum ip-  
sum, ecclesiasticos pastores, sed qui munus sibi in-  
iunctum exsequantur. Id porro ipsum esse dicimus,  
non quae a se ipsis placita temere excuderint, con-  
fidenter ingerere, sed quae ex ore Domini oracula  
aceperint, religiose ac bona fide proferre. Nam et  
iis cancellis terminavit Christus, quam apostolis re-  
verentiam voluit exhiberi: nec Petrus plus aliquid  
vel sibi tribuit, vel aliis permittit, quam ut quoties  
loquuntur inter fideles, veluti ex ore Domini loquan-  
tur (1 Petr. 4, 11). Effert quidem magnifice Pau-  
lus (2 Cor. 13, 10) spiritualem illam qua praeditus  
erat potestatem, sed adhibita moderatione, ut ne quid  
valeat, nisi ad aedificationem; ut ne quam domina-  
tionis speciem prae se ferat; ut ne ad fidem sub-  
iugandam conferatur. Superbiat nunc, ut volet, Pe-  
tri successione pontifex vester: etiam si eam sibi  
evicerit, nihil tamen inde consequetur, quam sibi  
obedientiam a christiano populo deberi, quantisper  
fidem ipse Christo servaverit, nec ab evangelii pu-  
ritate deflectat. Non enim in alium ordinem vos  
cogit ecclesia fidelium quam in quo stare vos Do-  
minus voluit: ubi ad eam vos regulam exigit, qua  
tota vestra potestas continetur. Hic, inquam, ordo  
inter fideles est constitutus Domini voce, ut pro-  
pheta, qui locum docendi tenet, a consensu iudice-  
tur (1 Cor. 14, 29). Ab eo quicunque se eximit, e  
numero prophetarum se prius expungat necesse est.

Atque hic mihi se aperit latissimus redarguen-  
dae inscitiae tuae campus, siquidem vulgo fidelium  
nil inter religionis controversias reliquum facis, nisi  
ut aversis a re ipsa oculis, doctioribus se addicant.  
At quum obnoxiam Satanae animam esse constet, quae

aliunde quam a Deo uno pendet, quam miseri erunt, quicunque talibus fidei rudimentis imbuentur? Hinc animadverto, Sadolete, nimis otiosam te habere theologiam: qualis est fere eorum omnium qui seriis conscientiae certainibus nunquam fuerunt exercitati. Alioqui enim hominem christianum in tam lubrico, imo tam praecipi loco nunquam constitueres, in quo vix momentum posset consistere, si quando vel minimum impelleretur. Da mihi, non dico aliquem de media plebe indoctum, sed rudissimum subulcum: si in grege Dei censemur, comparatum esse ad militiam illam oportebit, quae piis omnibus est a Deo ordinata. Adest accinctus hostis, imminet, congreditur, ac hostis quidem instructissimus, et cui nulla mundi virtus est inexpugnabilis: quibus ad resistendum vel praesidiis munietur, vel telis armabitur ille miser, ut non statim absorbeatur? Unico sane gladio pugnandum docet Paulus, verbo Domini (Ephes. 6, 17). Ergo inermis diabolo ad necem deditur anima, ubi Dei verbo spoliatur. [fol. 37] Age nunc, an non erit prima haec hostis machinatio, ut gladium Christi militi excutiat? Quis porro excutiendi modus, nisi ut dubitationem illi iniciat, sitne verbum Domini quo innititur, an hominis? Quid misero hic facies? Iubeasne circumspectare ubinam sint viri docti in quos reclinatus quietem capiat? At ne respirare quidem ipsum in hoc subterfugio sinet hostis. Nam si semel eo impulerit, ut in homines incumbat, urgebit ac percellet magis ac magis, donec praecipitem dederit. Ergo aut ex facili opprimetur, aut relictis hominibus recta in Deum respiciet. Ita sane res habet, fidem christianam non humano testimonio fundatam, non ambigua opinione suffultam, non hominum autoritate subnixam esse oportet, sed digito Dei viventis cordibus nostris insculptam, ut nullis errorum officiis obliterari queat. Itaque nihil habet Christi, qui haec elementa non tenet: Deum unum esse, qui mentes nostras ad perspiciem suam veritatem illuminat, qui eodem illam spiritu cordibus obsignat, qui certa eius testificatione conscientias confirmat. Haec illa est plena firmaque, ut ita loquar, certitudo nobis a Paulo commendata: quae, ut nullum dubitationi locum relinquit,<sup>1)</sup> ita non modo inter hominum defensiones non vacillat aut haesitat, utri potius adhaereat parti, sed quae, toto orbe adversante, constare sibi non desinit. Hinc ea quoque nascitur, quam ecclesiae tribuimus, et illibatam volumus servari, iudicandi facultas. Ut cunque enim tumultuetur mundus opinionumque varietate perstrepat, nunquam tamen sic destituitur fidelis anima, quin rectum ad salutem cursum teneat. Neque tamen aut eam fidei perspicaciam somnio, quae in veri falsique discrimine nusquam aberret, nusquam hal-

lucinetur; aut eam affingo contumaciam, quae universum hominum genus velut ex alto despiciat, nullius iudicium moretur, delectum inter indoctos ac eruditos nullum habeat: quin potius fateor, pias ac vere religiosas mentes non omnia Dei mysteria semper assequi, interdum etiam in rebus evidentissimis caecutire, ita scilicet Domino providente, quo ad submissionem modestiamque assuefiant. Rursum tantam esse fateor apud eas bonorum omnium, nedum ecclesiae, reverentiam, ut non facile ab ullo se homine dimoveri sinant, in quo rectam Christi intelligentiam deprehenderint: ut nonnunquam suspenderet iudicium malint, quam ad dissensionem leviter prosilire. Tantum contendeo, quantisper Domini verbo insistunt, nunquam ita deprehensas teneri, ut in exitium abducantur. Verbi autem ipsius certam adeo ac perspicuam iis esse veritatem, ut neque ab hominibus, neque ab angelis labefactari queat. Proinde facessat nugatoria illa, [fol. 38] quam rudibus et illiteratis convenire dicis, simplicitas, ad doctiores respectare, et ad eorum nutum inclinare. Praeterquam enim quod fidei nomen non meretur de religione persuasio quantumlibet obstinata, quae alibi, quam in Deo, acquiescit, quis fidem appellat, ambiguam nescio quam opinionem, quae non tantum diaconi artibus facile extorquerat, sed sponte, pro temporum inclinatione, fluctuetur? cuius vix aliis sperari finis potest, quam ut tandem evanescat?

Quod non alio nos spectasse cavillaris, tyranicum hoc iugum excutiendo, quam ut nos in effrenem licentiam solveremus, abiecta etiam, si Deo placet, futurae vitae cogitatione, iudicium ex comparatione vitae nostrae cum vestra feratur. Multis quidem vitiis<sup>1)</sup> abundamus, labimur nimis saepe ac delinquimus. Sed impediatur verecundia, ne, quoad per veritatem licet, gloriari ausim, quanto vos omni ex parte antecellamus: nisi forte Romam excipero velis praeclarum illud sanctitatis sacrarium: quae ruptis rectae disciplinae repagulis, proculata omni honestate, sic in omnia flagitorum genera exundavit, ut vix unquam tale foeditatis exemplum extiterit. Nos scilicet oportebat tot discriminibus ac periculis capita nostra obiicere, ne eius exemplo ad severiorem continentiam adstringeremur. At nos minime refugimus, quin disciplina, quae vetustis canonibus sancta fuit locum hodie habeat, diligenter ac bona fide custodiatur: quin potius semper testatus sumus, ut ecclesia ita misere collaboretur, non aliunde magis factum esse, nisi quia luxu et indulgentia enervata fuit. Disciplina enim, non secus ac nervis, corpus ecclesiae, ut bene cohaereat, necesse est

1) In editione Gallasi: vitiōse scribitur: ut iis, quod in sequentibus 1576. 1597. 1611 servatum, ab Amstelodamensisibus vero expurgatum est.

1) Ed. princeps: reliquit.

colligari. Ea autem quomodo in vestra parte vel colitur, vel appetitur? Ubi sunt veteres illi canones, ~~w quibus~~<sup>livelutic</sup> frenis episcopi ac presbyteri in officio retinebantur? Quomodo apud vos eliguntur episcopi? qua probatione? qua censura? qua diligentia? qua cautione? Quomodo muneri suo initiantur? quo ordine? qua religione? Tantum defungendi causa iureirando adiunguntur, se pastorale munus obituros: sed id non in alium, ut appareat, finem, nisi ut super alia flagitia periuio quoque se obstringant. Quia ergo ecclesiastica munera invadendo potestatem videntur sibi inire nulla lege ad strictam, omnia sibi in ea licere putant: ut credibile sit, inter piratas ac latrones plus esse iuris et politiac, magisque valere leges, quam in universo vestro ordine.

Quoniam autem ad extremum inducta, quae causam nostram sustineret, persona, nos veluti reos ad Dei tribunal citasti, ego vero illuc te non dubitanter revoco. Ea enim nobis constat doctrinae nostrae conscientia, quae nec coelestem illum iudicem exhorrescat, [fol. 39] a quo ipsam non dubitat prodūsse. Illas autem ineptias nihil moratur, quibus ludere tibi placuit: minime certe in loco. Quid enim magis importunum, quam ubi in Dei conspectum ventum est, nugas nescio quas comminisci, et defensionem nobis parum idoneam affingere, quae mox concidat? Piis animis, quoties in mentem venit dies ille, maior incutitur religio, quam ut illis ita otiose delitiari vacet. Omissis ergo delitiis talibus diem illum cogitemus, cuius exspectatione suspensi semper esse debent hominum animi. Ac meminerimus, non ita fidelibus esse expetendum, quin profanis ac sceleratis Deique contemptoribus merito formidabilis esse debeat. Aures arrigamus ad illum tubae clangorem, quem ipsi quoque mortuorum cineres e sepulcris suis exaudient. Mentes animosque intendamus in illum iudicem, qui sola vultus sui illustratione reteget quidquid in tenebris latet: omniaque humani cordis arcana patefaciet, et solo spiritu oris proteret omnes iniquos. Tu nunc vide quid pro te ac tuis serio respondeas: causam sane nostram, ut Dei veritate suffulta est, ita iusta defensio minime deficit. De personis non loquor, quarum salus non in patrocinio, sed in humili confessione supplicique deprecatione posita erit; sed quantum ad ministerii causam attinet, nemo erit nostrum, qui non ita pro se loqui possit.

Ego quidem sum expertus, Domine, quam difficile sit ac grave, sustinere apud homines eius, qua in terris premebar, accusationis invidiam, sed qua fiducia semper ad tuum tribunal provocavi, eadem nunc coram te appereo: quando in iudicio tuo eam scio regnare veritatem, cuius ego fiducia subinxus primo aggredi ausus sum: cuius praesidio instrutus, perficere potui, quidquid a me in tua ecclesia

gestum est. Duobus maximis criminibus reum me fecerunt, haereseos et schismatis. Atqui<sup>1)</sup> haeresis illis fuit, quod receptis inter eos dogmatibus ausus sum reclamare. Quid vero fecisset? Audiebam ex ore tuo, non aliam esse veritatis lucem, ad animas nostras in viam vitac dirigendas, quam quae a verbo tuo accenderetur. Audiebam esse vanitatem, quidquid de tua maiestate, de cultu numinis tui, de religionis tuae mysteriis concipiunt a se ipsi humanae mentes. Audiebam sacrilegam esse temeritatem, si natae in hominum cerebris doctrinae pro verbo tuo ecclesiae ingerantur. Quum autem oculos ad homines converterem, illuc omnia longe diversa apparebant. Qui fidei antistites habebantur, verbum tuum neque intelligebant, neque magnopere curabant. Peregrinis tantum dogmatibus circumagebant miseram plebem, ac nescio quibus ineptiis deludebant. In plebe ipsa summa verbi tui veneratio erat, veluti ren inaccessum procul revereri, [fol. 40] interim ab omni eius inquisitione abstinere. Haec tum supina pastorum socordia, tum populi stupiditas fecerat, ut omnia perniciosis erroribus, mendaciis, superstitionibus referta essent. Unum quidem te Deum nominabant, sed quam maiestati tuac gloriam vindicasti alio transferentes, tot sibi figurabant atque habebant deos, quot pro sanctis colere volebant. Christus tuus adorabatur quidem pro Deo, et servatoris nomen retinebat, sed qua parte honorari debuerat, prope iacebat inglorius. Sua enim virtute spoliatus, velut unus aliquis e vulgo, in turba sanctorum delitescebat. Nemo erat, qui unicum illud, quod tibi in cruce obtulit, et quo nos tibi reconciliavit, sacrificium vere reputaret; nemo qui de aeterno eius sacerdotio, et quae inde pendet intercessione, vel per somnum cogitaret; nemo, qui in una eius iustitia acquiesceret. Illa vero salutis fiducia, quae verbo tuo et praecipitur et fundatur, fere evanuerat. Quin id erat instar oraculi receptum, stultae esse arrogantiae, et, ut ipsi loquebantur, praeceptionis, si quis tua benignitate filiique tui iustitia fretus, certam ac intrepidam salutis spem conciperet. Erant profanae opiniones non paucae, quae prima eius doctrinae, quam nobis verbo tuo tradidisti, placita a radice subverterent. Sana quoque baptismi coenaeque intelligentia plurimis mendaciis corrupta erat. Iam vero quum omnes, non sine gravi tuae misericordiae contumelia, fiduciam in bonis operibus poserent, quum bonis operibus gratiam tuam demereret, quum iustitiam sibi comparare, quum peccata expiare, quum tibi satisfacere admiterentur (quae singula virtutem crucis Christi oblitterant ac exinanierunt), quae tamen essent bona opera, prorsus nesciebant. Perinde enim, ac si minime ad iustitiam lege tua

1) Atqui, 1539. 1540. *Gallus*: Mais. *Caeteri*: Atque.

instituti forent, multas sibi fabricati erant inutiles nugas, quibus favorem sibi tuum conciliarent: in quibus ita sibi blandiebantur, ut prae illis paene contemnerent, quam in lege tua commendasti verae iustitiae regulam: adeo humana decreta, occupato semel regno, tuis ipsius praexceptis, si non fidem, at certe autoritatem derogaverant. Haec, Domine, ut animadverterem, tu mihi spiritus tui claritate affulsi; ut deprehenderem quam impia noxiaque essent, tu mihi facem verbo tuo praetulisti; ut pro merito abominarer, animum meum pupugisti. In ratione vero doctrinae reddenda, vides quid conscientia mea ferat: non fuisse scilicet mihi propositum, extra eos evagari fines, quos videbam servis tuis omnibus esse constitutos. Quod ergo didicisse me ex ore tuo non dubitabam, fideliter ecclesiae dispensare volui. Eo certe me potissimum tetendisse constat, in quo plurimum elaboravi. Nempe ut bonitatis iustitiaeque tuae gloria, [fol. 41] discussis quibus antea obtegebatur nebulis, conspicua emineret; ut virtutes beneficiaque Christi tui, abstensis omnibus fucis, ad plenum effulgerent. Nam et nefas esse ducebam, eas res in obscurio iacere, quibus cogitandis ac reputandis essemus nati. Nec maligne aut tenuiter putabam indicandas, quarum amplitudine longe inferior esset omnis oratio. Nec dubitabam in illis diutius homines detinere, ubi eorum quoque salus residebat. Non enim fallere posset oraculum illud: Esse hanc vitam aeternam, nosse te verum Deum, et quem misisti Iesum Christum (Ioann. 17, 3). Quod autem mihi de discessione ab ecclesia obicere soliti sunt, neque in eo male mihi conscious sum: nisi forte pro desertore habendus est, qui ubi milites fusos ac palatos videt procul ordines reliquise, signo ducis sublato, eos in stationes suas revocat. Sic enim dispersi erant tui omnes, Domine, ut non modo imperia exaudire non possent, sed etiam ut oblii propemodum essent et ducis sui, et militiae, et sacramenti militaris. Ego, ut eos ab errore colligerem, non alienum signum sustuli, sed insigne illud tuum vexillum, quod nobis sequi necesse est, si volumus in populo tuo censeri. Hic manum mihi iniecerunt, qui quum alios retinere in ordine deberent, in errorem abduxerant; et quum minime desinerem, violenter restiterunt. Hic coeptum est graviter tumultuari, donec ad dissidium usque certamen exarsit. Verum penes quos sit culpa, tuum est nunc pronunciare, o Domine. Ego semper et verbis et factis testatus sum, quanto unitatis studio tenerer. Verum illa mihi erat ecclesiae unitas, quae abs te inciperet, ac in te desinaret. Quoties enim pacem et consensionem nobis commendasti, simul ostendisti, te unicum esse illius conservandae vinculum. Me, si pacem habere vellem cum iis qui se iactabant ecclesiae praesules et fidei columnas, eam redimere oportebat veritatis

tuae abnegatione. Quidvis autem potius subeundum esse censui, quam ut ad nefariam istam pactionem descenderem. Nam Christus ipse tuus nobis edixit, etiam si coelum terrae permiscentur, oportere tamen verbum tuum aeternum permanere (Matth. 24, 35). Neque vero dissidere me ab ecclesia tua putabam, quia mihi cum primoribus illis bellum erat. Nam et per filium et per apostolos praemonueras, ad eum locum emersuros, quibus consentiendum minime es- set. Non de extraneis ille hominibus, sed iis, qui se pro pastoribus venditarent, praedixerat, fore lupos rapaces et pseudoprophetas, simulque mandaverat ut caverem (Matth. 7, 15). Ubi caverere iubebat, an ego manum praebuissem? Nec magis pestilentes fore ecclesiae tuae hostes denunciabant apostoli, quam intestinos qui sub pastorum titulo delitesce- rent (Act. 20, 29; 2 Petr. 2, 1; 1 Ioann. 2, 18). Quos pronunciabant esse [fol. 42] habendos pro hostibus, ab iis cur dubitassem me seiungere? Erant mihi in oculis prophetarum tuorum exempla, quibus vi- debam tantas fuisse contentiones cum saeculi sui sacerdotibus ac prophetis: quos certe constat fuisse in populo israelitico ecclesiae praesules. At non ideo habentur pro schismaticis prophetae tui, quod dum collapsam religionem instaurare volunt, illis summa vi repugnantibus non cesserint. Manebant ergo in vera ecclesiae unitate, quum a sceleratis sa- cerdotibus diris omnibus<sup>1)</sup> devoverentur, quum indigni censerentur, qui locum inter homines, nedum inter sanctos haberent. Eorum ergo exemplis con- firmatus sic consti, ut nihil me illae de ecclesiae desertione obnunciationes minaeve territarent, quo minus constanter intrepideque pergerem iis adver- sari, qui sub pastorum persona plus quam impia ty- rannide ecclesiam tuam disperdebant. Eram enim mihi optime conscious, quanto uniendae ecclesiae tuae studio flagrarem, modo concordiae eius vinculum esset tua veritas. Qui subsequuti sunt motus, ut a me non sunt excitati, ita non est cur mihi imputentur. Scis, Domine, res etiam ipsa apud homi- nes testata est, ut nihil quaesierim, quam verbo tuo controversias omnes dirimi, quo coniunctis animis utraque pars ad stabiliendum regnum tuum conspi- raret: ut non detrectarim, vel capitis mei dispen- dio, pacem ecclesiae restitui, si frustra tumultuari deprehensus forem. Quid autem adversari? Nonne protinus ad ignes, ad cruces, ad gladios furiose pro- currerunt? Nonne unicum sibi praesidium in ar- mis et sacvitia esse iudicarunt? Nonne ad eundem furorem omnes ordines instigarunt? Nonne omnes pacificationis rationes respuerunt? Eo factum est,

1) *Sic sola princeps cum Gallo qui vertit: ia soit ce qu'ilz fussent mauditz de grandes maledictions. Caeteri libri omnes: omnibus.*

ut res, quae sedari amice alioqui poterat, in tale certamen exarserit. Quanquam autem in tanta rerum ~~conturbatione~~ fuerunt hominum iudicia, iam tamen omni timore sum liberatus, postquam ad tuum tribunal adstamus, ubi aequitas cum veritate coniuncta non nisi secundum innocentiam pronunciare potest.

En, Sadolete, non quam tibi ad nos praegravandos comminisci libuit causae nostrae actionem, sed quam esse verissimam et nunc boni cognoscunt, et omnibus creaturis in illo die patefiet. Neque vero iis etiam, qui praedicatione nostra edocti, ad eandem nobiscum causam accesserint, deerit quod pro se loquantur, quando haec cuique parata erit defensio: Ego, Domine, ut a puero fueram educatus, christianam semper fidem professus sum. Ipsius autem fidei rationem non aliam initio habui, quam quae tunc passim obtinuerat. Verbum tuum, quod instar lampadis praelucere universo populo tuo debuerat, ademptum, vel certe suppressum nobis erat. Et no quis maiorem lucem desideraret, [fol. 43] insederat omnium animis ista persuasio, coelestis illius arcanaeque philosophiae inquisitionem paucis melius delegari, a quibus oracula peterentur: plebeis ingeniis non altiorem intelligentiam convenire, quam ut se ad ecclesiae obedientiam subigerent. Rudimenta autem, quibus fueram initiatus, eiusmodi erant, ut nec me ad legitimum numinis tui cultum satis instituerent: neque mihi ad certam spem salutis viam expedirent: nec me bene ad officia formarent christianaee vitae. Te quidem unum pro Deo meo colere didiceram: sed quum me penitus fugeret vera colendi ratio, in primo statim ingressu excidebam. Credebam, ut fueram edoctus, filii tui morte me redemptum esse ab obligatione aeternae mortis: sed eam imaginabar redemptionem, cuius virtus nequaquam ad me perveniret. Exspectabam futurum resurrectionis diem, sed cuius memoriam, velut rei infaustissimae, abominarer. Atque hic sensus non mihi privatim dominatus erat, sed ex ea doctrina, quae tum a populi christiani magistris populo passim tradebatur, conceptus. Clementiam erga homines tuam praedicabant illi quidem, sed non nisi eos, qui se dignos praebuisserent. Dignitatem porro in operum iustitia colloabant, ut ille demum in gratiam abs te recipetur, qui se tibi operibus conciliaret. Nec dissimulabant tamen interim, miseros esse nos peccatores, et qui saepe carnis infirmitate laberemur. Proinde communem oportere, omnibus esse salutis portum, tuam misericordiam: sed enim eius obtinendae hanc demonstrabant rationem, si pro offensis tibi satisficeret. Tum satisfactio nobis iniungebatur: primum ut confessi sacerdoti omnia peccata veniam absolutionemque supplices peteremus; deinde ut bonis operibus malorum memoriam apud te deleremus; postremo, ut ad sufficiendum, quod nobis deesset, sacrificia ex-

piationesque solennes adderemus. Iam quia rigidus essem iudex, ac severus vindicta iniquitatis, ostendebant, quam formidolosus esse deberet tuus conspectus. Ideo iubebant ad sanctos primum confugere, ut eorum intercessione, exorabilis ac propitius nobis redderet. His omnibus quum utcunque perfunctus essem, tametsi nonnihil interquiescebam, procul tamen adhuc aberam a certa conscientiae tranquillitate. Quoties enim vel in me descendebam, vel animum ad to attollebam, extremus horror me incessebat, cui nulla piacula, nullae satisfactiones mederi possent. Ac quo me proprius considerabam, eo acrioribus pungebatur aculeis conscientia, ut non aliud restaret solatum, quam me ipsum oblivione ludere. Quia tamen nihil melius offerebatur, iter, quod exorsus eram, prosequabar: quum interim excitata est longe diversa doctrinae forma, non quae a christiana professione nos [fol. 44] abduceret, sed quae illam ad suum fontem reduceret, et velut a faecibus repurgatam suae puritati restitueret. Ego vero novitate offensus, difficulter aures praebui: ac initio, fateor, strenue animoseque resistebam. Siquidem (quae hominibus ingenita est in retinendo quod semel suscepserunt instituto, vel constantia, vel contumacia) aegerime adducebar, ut me in ignoratione et errore tota vita versatum esse confiterer. Una praesertim res animum ab illis meum avertebat, ecclesiae reverentia. Verum ubi aliquando aures aperui, meque doceri passus sum, supervacuum fuisse timorem illum intellexi, ne quid ecclesiae maiestati decederet. Multum enim interesse admonebant, secessionem quis ab ecclesia faciat, an vitia corrigere studeat, quibus ecclesia ipsa contaminata est. De ecclesia praeclare loquebantur, summum unitatis colenda studium prae se ferebant. Ac ne in ecclesiae nomine cavillari viderentur, ostendebant non esse novum, ut antichristi pro pastoribus illic praesiderent. Eius rei exempla non pauca proferebant, quibus apparabant, nec alio spectare ipsos, quam ad ecclesiae aedificationem: et in eo similem habere causam cum multis Christi servis, quos ipsi in numero sanctorum habebamus. Quod autem liberius ferrentur in romanum pontificem, qui et pro Christi vicario, et Petri successore, et ecclesiae principe colebatur, sic excusabant: Eiusmodi titulos inania esse terriculamenta quibus adeo perstringi piorum oculos non oporteret, ut rem intueri ac excutere non auderent. Illum, quum mundus ignorantia et hebetudine, velut alto sopore, oppressus esset, in tantum fastigium emerisset; certe non verbo Dei constitutum, non legitima ecclesiae vocatione ordinatum ecclesiae principem fuisse, sed voluntarium, et a se ipso lectum. Illam porro tyrannidem, qua in Dei populum grassatus esset, nullo modo esse ferendam, si vellemus salvum apud nos Christi regnum. Nec illis deerant, quibus ea omnia confirmarent, validissimae rationes. Principio,

quidquid ad stabiliendum papae principatum solebat sum adducere, clare diluebant. *Ubi omnia illi<sup>1)</sup> sua firmamenta abstulerant tantam quoque eius altitudinem Dei verbo demoliebantur. Eo usque res deveniebat, ut palam esset conspicuumque eruditis simul ac indoctis, verum ecclesiae ordinem tunc interiisse; claves, quibus ecclesiae disciplina continetur, fuisse pessime adulteratas; collapsam christianam libertatem; prostratum denique fuisse Christi regnum, quum erectus fuisse hic principatus. Habant praeterea, quo conscientiam meam stringerent, ne in istis, quasi nihil ad me pertinerent, securus conniverem. Multum enim abesse, quin sit aliquod voluntario errori apud te patrocinium, quum ne is quidem impune erret, qui mera ignoratione [fol. 45] a via seducitur. Quod ipsum filii tui testimonio comprobabant: Si caecus caecum ducit, ambo in foveam cadunt (*Matth. 15, 14*). Quum iam animus meus ad seriam attentionem comparatus foret, hic vero, tanquam illata luce, animadvertisi, in quo errorum sterquilinio fuisse volutatus, quot inde sordibus ac maculis fodiatus essem. Quod ergo officii mei fuit, eius, in qua prolapsus eram, miseriae, multo etiam magis eius, quae mihi imminebat, aeternae mortis agnitione vehementer consternatus, nihil prius habui quam ut damnata, non sine gemitu ac lacrymis, superiore vita, me in *viam<sup>2)</sup>* tuam reciperem. Et nunc, Domine, quid aliud misero mihi superest quam ut deprecationem tibi pro defensione offeram, ne horrendam illum a verbo tuo defectionem ad calculum revokes, a qua me semel mirifica tua benignitate vindicasti?*

Nunc istam actionem, Sadolete, cum ea, si libet, compara, quam plebejo tuo assignasti. Mirum, si haesitabis, utram alteri praeferre debeas. Illius enim profecto salus de filo pendet, cuius defensio in hoc cardine vertitur: quod quae sibi a proavis ac maioribus tradita sit religio, eam constanter retinuerit. Iudei, et Turcae, et Saraceni hac ratione Dei iudicio elaborentur. F'accusat ergo inanis ista tergiversatio ab eo tribunali, quod non hominum autoritati comprobandae, sed universa carne vanitatis mendaciique damnata, asserendae unius Dei veritati erigetur. Quod si ineptiis tecum certare vellem, quam mihi imaginem pingere liceat, non dico papae, aut cardinalis, aut cuiuslibet e vestra factione reverendi praesulisi (quibus fere omnibus qui colores aptari queant ab homine non valde ingeniosos, pulchro nosti), sed doctoris alicuius, vel inter omnes vestros selectissimi? Nihil sane opus esset, ad eius damnationem, vel dubias in eum conjecturas proferre, vel falsa crimina ementiri. Iustis enim ac certis plus satis gravaretur. Sed ne, quod in te reprehendo, imitari videar, hoc agendi genere supersedeo. Tantum

hortabor, ut ad se aliquando redeant, ac secum reputent, quam fideliter pascant christianum populum, cui non alius esse potest panis quam Dei sui verbum. Et ne sibi nimium blandiantur, quod nunc magno applausu, et secundis magna ex parte admurmurationibus, fabulam suam agunt, cogitent nondum ad catastrophen se pervenisse: in qua certe non habebunt theatrum, ubi suos fumos impune vendant, ubi credulas mentes imposturis illaqueant: sed unius Dei arbitrio stabunt vel cadent: cuius iudicium non ab aura populari, sed a sua ipsius inflexibili aequitate pendebit: qui non modo de cuiusque factis inquiret, sed de<sup>1)</sup> recondita cordis sinceritate vel nequitia quaestionem exercebit. Ego de omnibus, nulla exceptione, pronunciare non audeo. Quotusquisque [fol. 46] tamen eorum est, qui dum adversum nos conflictatur, non sibi conscius sit, operam se magis hominibus quam Deo locare?

Iam quum tota epistola nos supra modum inclementer tractes, extrema tamen clausula virus tuae acerbitalis pleno ore in nos effundis. Quanquam autem nos minime convicia illa feriunt, et illis iam pro parte antea responsum est, quid tamen, quae, in mentem tibi venit, ut avaritiam adhuc nobis obiciences? Putasne tantam in nostris hominibus fuisse hebetudinem, ut non ab ipsis exordiis cogitarent, se eam ingredi viam quae lucro et quaestui esset adversissima? An vero quum vestram ipsorum avaritiam traducerent, non videbant magnam se necessitatem sibi imponere continentiae ac frugalitatis, nisi pueris quoque ipsis facere se ridiculos vellent? Quum rationem eius corrigendae esse ostenderent, ut nimis opibus exonerarentur pastores, quo ad ecclesiae curam magis essent expediti, an non sibi sponte aditum ad opes praecludebant? Quae enim iam restabant divitiae, quibus imminarent? Quid? annon hoc erat facillimum ad divitias honoresque compedium, statim ab initio iis quae offerebantur pactiobibus vobiscum transigere? Quanti tum multorum silentium redemisset pontifex vester? Quanti hodie quoque redimeret? Cur, si vel minima habendi cupiditate titillantur, omni spe augendae rei praecisa, malunt perpetuo sic miseri esse, quam citra magnam difficultatem uno temporis momento ditescere? Sed ambitio, scilicet, eos retinet. Eius quoque suggestionis quam habueris causam, non video, quum nihil aliud potuerint exspectare, qui hanc actionem aggressi sunt primi, quam ut a toto orbe conspuerent: et qui postea accesserunt scientes ac volentes se innumeris totius mundi contumeliis ac probris exposuerint. Ubi autem fraudes illae ac intestinae malitiae? Nulla enim earum suspicio in nobis haeret. De iis ergo potius tracta in sacro vestro collegio, ubi quotidie agitantur.

1) illa, 1576. 1597. 1611. 2) viam, 1576 seqq. *Gallus cum antiquioribus facit.*

1) de, om. 1576 seqq.

Calumnias illas, quia ad finem propero, praeterire cogor: quod nostro innitentes capiti, neminem reperimus in tota ecclesia, quem putemus fide aliqua dignum; calumnias tamēn esse, iam ante satis demonstravi. Tametsi enim solum Dei verbum extra omnem iudicii aleam constituimus, conciliis vero et patribus ita certam demum autoritatem constare voluimus, si ad eius normam respondeant: eo tamen honore locoque concilia et patres dignamur, quem obtinere sub Christo par est. Sed omnium tētērrimum est illud crimen, quod sponsam Christi discerpere contati sumus. Id si verum esset, merito et tibi et orbi universo habemur pro deploratis. Atqui non aliter crimen istud in nos recipiam, nisi discerpi ab iis Christi sponsam contendas, qui virginem castam exhibere Christo [fol. 47] cupiunt; qui sancta quadam zelotypia sollicitantur, quo eam Christo illibatam conservent; qui pravis lenociniis corruptam, ad fidem coniugalem revocant; qui adversus adulteros omnes, quos eius pudicitiae insidiari deprehenderint, contentionem suscipere non dubitant. Et quid nos aliud fecimus? Nonne peregrinis doctrinis tentata, imo violata fuerat, a vestra factione ecclesiae castitas? Nonne violenter a vobis fuerat innumeris superstitionibus prostituta? Nonne foedissimo illo adulterii genere, simulacrorum cultu, inquinata erat? Scilicet, quia non sumus passi, sacro-sanctum Christi thalamum tanto haberi a vobis ludibrio, sponsam eius lacerasse dicimur. Ego autem dico illam, quam a nobis falso accusas lacerationem, apud vos non obscure conspici. Neque in ecclesia id modo, sed in Christo ipso, quem misere dissecum esse constat. Quomodo sponso suo adhaerent ecclesia, quem salvum non habet? Ubi autem incolumitas Christi, dum et iustitiae, et sanctitatis, et sapientiae gloria alio transfertur? Atqui antequam accenderetur a nobis certamen, tranquilla omnia et optime pacata erant. Inter pastores quidem, et in ipsa plebe, ignavia et stupor effecerant, ut nullae prope modum essent de religione controversiae. In scholis autem, quam strenuo sophistae rixabantur? Ergo non est, quod pacificum adeo vobis regnum tribuas: ubi non alia ratione quies fuit, nisi quia Christus conticebat. Post novum evangelii exortum,

magnae, fateor, contentiones efferbuerunt, a quibus antea otium erat. Sed nostris hominibus immerito id imputetur, qui nihil toto actionis suae decursu quaesierunt, nisi ut instaurata religione in veram unitatem discordiis fusae ac dispersae ecclesiae colligerentur. Et ne vetera commemorem, quid nuper recipere detrectarunt, tantum ut ecclesiis pacem conciliarent? Sed frustra omnia experiuntur, vobis contra nitentibus. Quia enim pacem illi habere cupiunt, cum qua simul floreat Christi regnum: vos autem, quidquid accedit Christo, deperire vobis putatis, non mirum est si fortiter resistatis. Et habetis artes, quibus evertatis uno die, quidquid ipsi multis membris pro Christi gloria instituunt. Non multis verbis te obruam, quia uno verbo expedire rem licet. Obtulerunt se nostri ad reddendam suae doctrinae rationem. Cedere non detrectant, si victi rationibus fuerint. Per quos nunc stat, quominus et optima pace, et veritatis luce fruatur ecclesia? I nunc, et nos seditiosos appella, qui ecclesiam quiescere non sinamus. Ne quid autem praetermitteres, quod ad gravandam causam nostrām faceret, quia multae paucis istis annis sectae ebullierunt, eius quoque rei invidiam, pro tuo candore, in nos derivas: sed vide qua aequitate, [fol. 48] vel quo etiam praetextu. Nam si nos propterea odio digni, iusto quoque olim odio apud impios laborasset christianum nomen. Aut ergo desine hac parte nos infestare: aut palam profitere, christianam religionem tollendam ex hominum memoria, quae tot mundo tumultus pariat. Hoc ergo causae nostrae minime obesse debet, quod modis omnibus conatus est Satan Christi opus impedire. Hoc quaerere magis ad rem pertinebat, quis omnibus quae se extulerunt sectis expugnandis incubuerit. Constat autem nos solos, vobis otiosis ac sterentibus, totam hanc molem sustinuisse. Faxit Dominus, Sadolete, ut tu ac reliqui omnes tui aliquando intelligatis, non aliud esse ecclesiasticae unitatis vinculum, quam si Christus Dominus, qui nos Deo patri reconciliavit, in corporis sui societatem nos ab ista dissipatione recolligat: ut ita uno eius verbo ac spiritu in cor unum et animam unam coalescamus.

Argentorati Calendis Septembribus 1539.

# EPINICION CHRISTO CANTATUM

AB

IOANNE CALVINO

CALENDIS JANUARII ANNO M D XLI.

G E N E V A E

PER IOANNEM GIRARDUM

1544.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## EPINICION CHRISTO CANTATUM

AB

IOANNE CALVINO

CALENDIS JANUARII ANNO M. D. XLI.

IO. CALVINUS LECTORI

Quum nuper ex nundinis Lugdunensibus reversi nostri mercatores edictum attulissent monachi cuiusdam inquisitoris, Tolosanae curiae decreto confirmatum: in quo phreneticus ille, pro solenni suorum more pios omnes libros damnabat: miratus sum, quum versus quoque meos (sic enim nominabat) recenseri in eo catalogo vidi. Luseram, animi gratia, ante annos quatuor, quum essem Vormatiac, breve carmen: quod quum paucis amicis legendum familiariter dedisse, tria omnino, quod sciam, aut ad summum quatuor exemplaria exscripta tunc fuerant: quae postea quantum ex edicto coniicio, latius manarunt. Nam alioqui sepultum putassem, quod inter meas chartas neglectum iacebat: ut affirmare ausim, non esse in hac urbe duos, qui antehac legerint, me conscio. Nec certe aliud habebam consilii, nisi ut supprimeretur penitus. Sed quia furiosus hic monachus, et nihilo sanior curia Tolosana, dum eius lectionem interdicere volunt, faciunt ut vulgo innotescat, me aliquod scripsisse carmen, de quo, quodnam et quale sit, alii atque alii subinde a me quaerant: edere statim malui, quo et bonos viros quaerendi molestia, et me respondendi, sublevarem. Simul stolidum hunc monachum, eiusque similes commonefacere volui, quid, ita adversum nos insaniendo, proficiant. Nempe hoc consequuntur sua importunitate, ut ipsis invitatis ac crepantibus, in lucem veniant multa quae alioqui forsan laterent.

## E P I N I C I O N.

Ecce novum exoriens Ianus pater inchoat annum:  
Quem mos est faustis excipere omnibus.  
Haec est illa dies, veteri de more, priorem  
Romani faciem quae novat imperii.  
Quaque novi emergunt fasces, sellaque curules  
Conspicuum et gemino consule fulget ebur.  
Surgat et auspiciis nobis felicibus annus,  
Soleanni ornanda est ista favore dies.  
Christum ergo Regem plebs religiosa salutet:  
Atque illum dignis praedicet elogiis.  
Ille quidem sine fine regit, regnatque, nec annis  
Finitum tenet, aut mensibus imperium.  
Aeternum huic decus est, aeterna potentia regni:  
Quam nullus variat, diminuitve dies.  
Quum tamen hic annos mensesque diesque gubernet:  
Temporis et varias ordinet usque vices:  
Fas est illius nascenheim a laudibus annum  
Incipere, ut cursu perpetue prosper eat.  
Quid? quod mirifica sic nunc virtute refulget,  
Ut qui clara recens munia consul obit.  
Insignem et solito scese magis exserit, ut qui  
Magnanimus domito victor ab hoste reddit.  
Sic est: victrici quatiens sceptra aurea dextra,  
Hostibus horrendi signa dat exitii.  
Speque iubet certae nos exsultare salutis,  
Iamque triumphalem monstrat adesse diem.  
Ergo piae rumpant ingrata silentia linguae:  
Nec tantae cessent cardine lactitiae.  
Ludibrio ista quidem fiducia, cantus inanis  
Hostibus, ut nivei carmen oloris, erit:  
Forsitan et dicent: quænam haec amentia? Christus  
Nondum conserta vitor eritne manu?  
Rettulit intacta quisquam de gente triumphum?  
Ante aciem fusam laurea sumpta cui est?  
Ergo seminecces carmen ferale sepulti  
Accensum credent nos canere ante rogum.  
Est aliquid, fateor, quod salvo robore regni  
Impietas alta sede superba manet.  
Integer ille manet mentito inflatus honore  
Qui tribuit summi ius sibi pontificis.  
Quin magnos nutu regit inflectitque monarchas,  
Erigit et sternit, terret et exhilarat.  
Ac digitu signo spatiosum concutit orbem:  
Nec minus est hodie, quam fuit ante, ferox.

Nec minus aut miserum Christi dispergit ovile,  
 Mendaci aut tetur virus ab ore vomit.  
 Nec minus in sanctos furiat, insontique cruentas  
     Sanguine nunc passim tingit, ut ante, manus.  
 Sed quia mors vita est, et crux victoria Christi:  
     Nil dirae impedit gaudia nostra minae.  
 Ille sui similis manet, aeternumque manebit,  
     Vincere, non vinci, qui patiendo solet.  
 Quum premitur patiturque, ac desperatus habetur:  
     Inde sibi atque suis pulchra trophyea parat.  
 Nunc stolidi effertur terrena superbia: sed mox  
     Praecepis ipsa suo pulsa furore ruet.  
 Sanctus at ille crux, divini assertor honoris,  
     Gignendam ad sobolem seminis instar erit.  
 Vox gladius Christo est, et lancea spiritus oris:  
     Hostem igitur subita sternere voce potest.  
 Hunc gladium hue illuc iam quintum denique lustrum  
     Vibrat agens valida, non sine caede, manu.  
 Elusit Satanus quos antehac pertulit ictus  
     Sacrilegæ princeps et Papa militiae.  
 Nunc magis experti quo pungat acumine, tandem  
     Saucius insolito vulnere uteisque gemit.  
 Hinc est, quod stupidusque Papæ attonitusque satelles  
     Pendet, et exanimis turba profana pavet.  
 Hinc est, quod strepitu impletur varioque tumultu,  
     Infandi et trepidant perfida castra ducis.  
 Saepius et variis alternant motibus: ut qui  
     Iam fracta tentat proelia summa manu.  
 Compositæ interea nobis fiducia mentis,  
     Et placido constat pectore firma quies.  
 Quis Christum hic neget ad perdendos funditus hostes  
     Exserere invicta flammæ tela manu?  
 Quis neget hoc victoris opus memorabile? quisve  
     Invideat tanto laurea serta duci?  
 Certatum est acie: partem sibi miles honoris  
     Vendicat, ac solidum non sinit esse ducis.  
 Quid si igitur victi laudem sibi Christus ut hostis  
     Asserat, absque hominum vincere marte velit?  
 Vincere vi magnum est hostem, quid sternere nutu?  
     Pellere laus quantum stando fugare decus?  
 Ecce quiescendo sternit, funditque silendo,  
     Quos rabidis similes constitit esse feris.  
 Nonne hi sunt, passim quos norunt nuper amaro  
     De pulmone graves evomuisse minas?  
 Cur concepta intus rabies inclusa moratur?  
     An quod opes atrox non habet ira pares?  
 Praesidio quo non instructos cernimus? arte  
     Nequitiae, gladiis, improbitate, dolis.  
 Nos modica, imbellis, nuda exarmataque turba,  
     Horribiles veluti grex ovium ante lupos.  
 An non mirifica est regis victoria Christi?  
     Nostra quod intrepido corda vigore fovet.  
 Ergo triumphali redimitus tempora lauro  
     Quâdriungi emineat conspicuus solio.  
 Edomiti currum, positoque furore, sequantur  
     Qui cum sacro eius numine bella gerunt.

www.libtool.com.cn

Eccius hesterno ruber atque inflatus Iaccho  
 Praebeat hue duris terga subacta flagris.<sup>1)</sup>  
 Huc caput indomitum subdat, verum ante recepta,  
     Qua semper caruit, fronte Cochlaeus iners.<sup>2)</sup>  
 Nausea verbosis generans fastidia libris  
     Occluso tacitus iam ferat ore iugum.<sup>3)</sup>  
 Quique diu latuit sub nomine bubo Pelargi,  
     Saevo etiam rostro dura lupata premat.<sup>4)</sup>  
 Non quia praecipui: sed quod certamine in isto  
     Signiferos statuit flatigiosa cohors.  
 Ergo sub triplici bellant quicunque tiara,  
     Totaque se hue sistant cum duce castra suo.  
 Astutae vulpes, tinctique cruore leones,  
     Et latratorum turba proterva canum.  
 Ordine quisque suo, magni atque ignobile vulgas,  
     Insolito discant subdere colla iugo.  
 At vos de meliore nota sanctique poetac  
     Musa quibus suaves fundit amoena modos,  
 Magnifico celebrem Christi cantate triumphum  
     Carmine. Io paean caetera turba canit.  
  
 Quod natura negat, studii pius efficit ardor.  
     Ut coner laudes Christe sonare tuas.

1) *De celeberrimo Lutheri adversario Io. Eckio non est quod h. l. verba faciamus. Sufficiat pauca quaedam coactaeorum testimonia attulisse quae ad autoris nostri inventivas illustrandas pertinent. Christophorus Scheurlius in literis suis d. 4. Dec. 1540 Wormatiae scriptis ad episcopum Eichstadiensem haec habet: Ethlich schreyben D. Eck prauch sich eyner kraussen von dreyen massen, domit der diener nit oft qinschenken durfet. (Soden, Beitr. zur Gesch. der Ref. p. 482.) Autor huius epistolae Eckii consuetudine satis familiariter tum temporis utebatur. Cruciger Bugenhagio scribit d. 19. Maii 1541: D. Eccius aliquot iam dies decumbit febri laborans ex intemperantia, interdum vini, interdum aquae, ut audimus, multas amphoras hauriens. (Corpus Ref. IV. 306.) Bucerus, in Actis Ratispon. germanice editis fol. 226, postquam de eiusdem in colloquio illo partibus plura disseruit, haec addit: Sunst ist der Eck seines Ehrgeitzes und gantz ontheologischen, unflätigten Lebens dermassen erkandt, auch den seinen, daz man jn zu solchen hohen göttlichen händeln freilich nit würde geordnet haben. Subiungimus eius epitaphion a Melanthone compositum:*

Πολλὰ φάγων καὶ πολλὰ πιῶν καὶ πολλὰ κάκ’ εἰπῶν,  
     Ἐν δὲ τάφῳ Ἐκτος γαστέρος ἐθηκεν ξῆν.

Multa vorans et multa bibens, mala plurima dicens,  
     Eccius hac posuit putre cadaver humo.

2) *Io. Cochlaeus Norimbergensis inter reformationis et reformatorum adversarios famosissimus plurimos libellos mendaciis et calumnias plenos per tricennale temporis spatium contra eos edidit. Iam 1521 Wormatiae, tum 1530 Augustae rebus agendis interfuit, et illuc Lutheru inimicos suscitavit, hic contra Melanthonem scripsit et confessionis Augustanae confutationis edendae operam suam navavit. Cum Calvinio primum Hagnoe a. 1540 congressum esse vero simile est, quem certe paucis post annis acriter et insulse impugnavit peculiari libello contra eius tractatum de Reliquis edito, a Besa mox, tacente Calvinio, lepide et fortiter profigatus. Vide Baumii Bezam I. 123. 357. Obiit a. 1552.*

*Verum demus adhuc concordiam [fol. 13] posse fieri et protestantes ad obedientiam sedis apostolicae posse adduci, certum est tamen id nullo modo fieri posse nisi multa protestantibus permittantur.*

Nihil permitti necesse est quam quae Dominus aut praecipit aut permittit. Ea autem homo cur neget?

*Quae etiam licet essent de iure positiva, veluti communio sub utraque specie, connubia sacerdotum et similia, non deberent tamen sine publica autoritate et consensu in ecclesia innovari.*

Si nihil horum debet in ecclesia sine publica autoritate et consensu innovari, quare mutilata est communio eucharistiae, non solum contra publicam autoritatem et consensum totius apostolicae et catholicae ecclesiae, sed etiam contra manifestum institutum Christi? Quod enim Christus instituit, id vetus ecclesia per totum orbem usque ad proximos quadragesimos annos servavit, et graeca hodie servat, nec ullo unquam oecumenico, sicut nec cuiquam id concilio licere potuit, diversum constitutum

est. Invasit enim vel obrepdit haec sacratissimi sacramenti violatio nullo idoneo autore, nulla etiam ratione. Quanquam concilium constantiense ausum sit istam sacramenti violationem confirmare, ne quid scilicet indignum ecclesiae fide et autoritate supini ac somnolenti episcopi admisisse viderentur. Quasi necesse sit ut, quaecumque hi quavis vel inscritia vel malitia in ecclesiam admittunt aut invehant, pro inviolabili ecclesiae autoritate recipiantur. Professio caelibatus in plerisque conciliis a presbyteris et epis copis, deinde etiam a diaconis et subdiaconis exacta est, verum id nec publica ecclesiae autoritate, nec consensu factum est. Publica enim ecclesiae autoritas cum autoritate Christi verbique ipsius semper est coniuncta. Haec vero statuit non esse bonum homini esse soli, et unumquemque debere suam uxorem habere et unamquamque suum maritum, fornicationis vitandae causa. Item episcopos et diaconos debere eligi, qui sint unius uxoris mariti, nec ulli voluit hominum generi lege caelibatus laqueum iniicere. Nam quem Dominus negotio eiusmodi propter regnum suum occuparit, cum quo matrimonii cura non cohaeret, eum etiam verbi illius de castratione propter regnum coelorum sic capacem reddit, ut etiam absque ulla [fol. 14] vel voti, vel legis necessitate verum caelibatum colat. Exigere itaque in universum ab omnibus, qui sacro ministerio adhibentur, votum caelibatus, similiter require, ut altera tantum species eucharistiae dispensetur communicantibus mensae Domini, non autoritate ecclesiae, quae eadem spiritus sancti est, in ecclesia occidentali obtinuit, sed humana quadam ratione, quae dum extra coelestis sapientiae fines exsulat, facile labitur. Hinc praepostera caelibatus admiratio, qua factum est ut matrimonii sanctitas minoris quam deceret aestimaretur. Hinc privatae illae speculationes, de altera eucharistiae specie populo deneganda. Nec vero ad alterutrum consensus catholicae ecclesiae unquam accessit, nam graeca ecclesia in hodiernum usque diem, et matrimonium ministris, et communionem totius eucharistiae plebi quoque concedit. In Hispania quoque, Italia et Germania retenta diu connubia a sacerdotibus sunt. Quum concilia illa, quorum autoritas immerito ecclesiae, quantum ad hanc rem attinet, adscribitur: canones de exigendo a ministris superiorum ordinum voto caelibatus ediderunt ante mille annos. Unde liquet, nec consensum ecclesiae universalis istis duabus rebus unquam accessisse. Quanquam ut in caeteris rebus ad religionem pertinentibus, ita et in his duabus observationibus ecclesiae autoritas et consensus magis ex ipso verbi Domini, quo, ut genita est, ita vivit et sustinetur, cognoscendum est, quam ex eo quod homines in ecclesia, quounque in illa loco existant, comprobare videantur. Dum enim hic vivunt, erroribus et peccatis sunt omnes obnoxii. Sed nec no-

vabitur quidquam, si ecclesiis permittatur quod Dominus de eucharistia ipse instituit, et de connubio tum per se, tum per apostolum suum docuit; tantum quae vetustissimam habent originem, et quamdiu stabit hoc saeculum perpetuam firmitudinem obtinere debent, stabilientur. Neque igitur propterea duas, vel ullam alias res, quas quidem protestantes concedi sibi petunt, concordia impedietur. Dum enim protestantes nihil nisi quod Dominus aut iubet aut concedit, permitti sibi postulant, nec quisque est hominum qui ea quae praecipit vel indulget Dominus ullo iure vetare queat; nihil certe obstarre poterit, quominus universis in Domino conveniat, nisi sint quidam qui nolint Christum apud suos regnare.

*Etsi opponeretur forte quod confirmatio eorum quae ipsis permetterentur ratione pacis et concordiae sive a sede apostolica sive a [fol. 15] concilio postea peti posset, certum est tamen quod is consensus non expectaretur, sed statim in eum usum utpote sibi gratissimum veniretur.*

Non est earum rerum petenda ab hominibus confirmatio quas instituit et concessit Deus.

*Quo facto Germania iam unita inter se et receptionibus qui sibi placerent, nullam curam amplius gereret de concilio.*

Non hoc agitur, sed ut sit rituum modus qui cum verbo Domini congruit.

*Ex quo sequeretur divisio corporis et unitatis ecclesiae, quum ii usus et mutationes neque in Galliis neque in Hispaniis neque in Italia neque in aliis provinciis christianitatis essent receptae.*

Restituatur ubique evangelii libera et sincera praedicatio et nulla in hisce quidem rebus quas requirunt protestantes reliqua manebit apud fideles Christi varietas, quae consensionem et pacem turbet. Nihil enim, ut dictum est, requirunt quam quod Dominus ipse praeceperit et ad salutem suorum instituit. Caeterarum observationum ecclesiis sua est relinquenda libertas. Unitas enim ecclesiae non in eisdem ritibus, sed in eadem fide, doctrina, religione sacramentorum et disciplinae consistit. Tempore apostolorum, martyrum et sanctissimorum patrum haec necessaria, dum fideliter custodiebantur, sub diversis ritibus sinceram unitatem conservabant: at ubi sub romano pontifice ritus conformes in variis licet regionibus et ecclesiis obtinuerunt, illa ipsa unica salutis fundamenta et vincula christianaee societatis, misere sunt vitiata, et tantum non plane nobis interciderunt. Populi enim sui societatem Christus in novo testamento, ut D. Augustinus scribit, coadunavit sacramentis numero paucissimis, obser-

vatione castissimis, significatione augustissimis; caetera omnia liberam habeant observationem: fide enim iustus vivit, non caeremoniis. Quare quae fides ipsa non requirit necessario, a nulla ecclesia praetextu communionis necessario sunt exigenda. Nihil itaque a protestantibus exsistit, cur difficile, nedum impossibile sit solidam et piam ecclesiarum concordiam restituere.

*Quod si etiam generale concilium [fol. 16] has mutationes non approbaret, imo contrarium statueret, quae spes esset reducendae amplius Germaniae, in suis opinionibus iampridem confirmatae?*

Quale concilii portentum, Deus bone, hic nobis fingit, in quo non modo non approbaretur quod Christi ore sancitum est, sed contrariis legibus palam abrogaretur. Hinc collige quid bonae spei nobis faciat romana sedes, etiam si concilium cogerneretur. Cur igitur ab eius decreti exspectatione pendamus, quod, si factum esset, repudiare oporteret?

*Praeterea periculum est, ne protestantes multa de sua opinione concedant, imo id unum a catholicis obtineant, ut una omnes a sede apostolica deficiant, quum id solum maxime cupiant et in votis habeant.*

A curia vel sede etiam romana, si ita placet, non tamen apostolica. Neque enim aliud in votis habent catholici protestantes quam ut deiecto satanae solo vera Christi sedes illic erigatur, in qua apostoli non antichristi sedeant. Sed hoc unum est, quod istos sollicitos habet, ne quam scelerate occuparunt et immaniter exercent tyrannidem, spiritu oris sui Christus conficiat et illustratione adventus sui aboleat. Siquidem non se ministerium habere putant, sed effraenem dominationem, qua totum orbem servum sibi et quidem miserrima servitute teneant, utcunque se servos servorum non sine manifesto ludibrio nuncupent. Quare, ut initio dictum, hoc omnium quae pontificii contra protestantes habent caput est, quod dum regnare volunt in ecclesia et rerum potiri, Christo locum non relinquunt.

*Quod si evenerit, ut est valde timendum, tunc non esset in potestate maiestatum suarum providere, quemadmodum accidit de concilio indicendo in diaeta ratisponensi, de qua re status imperii sine autoritate sacrae caesareae maiestatis constitutionem fecerunt, sicuti dicta maiestas alias sanctissimo domino nostro significavit. Quare, ut alia omittamus, [fol. 17] ex his paucis potest caesarea et regia maiestas cognoscere quid sperandum sit ex amicis huiusmodi tractatibus et colloquiis cum eis habendis.*

Hic vide pastoralem Romanensem curam et quam sedulo advigilent, quo gravissimis ecclesiae

morbis tempestiva remedia adhibeantur. Aliquot iam saeculis pii bonique omnes concilium ecclesiasticum flagitant, quo corrigantur nonnulla vitia quibus laborare ac premi christianum populum iam diu plus satis notum est. Quae quum pridem intolerabilia esse coepertint, diuturnitate ipsa magis ac magis invalescent. Postquam autem Germaniam Dominus puriore evangelii sui praedicatione dignatus est, partim quia melius iam et clarius animadvertebatur morbi gravitas, partim quia novum periculum imminebat ab eorum improbitate, qui lucem veritatis extinguere nefario furore moliebantur, in omnibus imperii comitiis decretum est non aliam esse viam succurrenti collapsis ecclesiae et scandalis iam obortis occurrendi, nisi ut quamprimum cogeretur concilium, quod si obtineri universale non posset, saltem nationale, ut vocant, a natione germanica haberetur. Quum autem pontificii, ut nullam nequitiae suae correctionem ferre queunt, ac ne illam quidem foeditatis suae lernam, qua nihil unquam in ecclesia turpius exstitit, attractari sustinent, non modo generale, sed nationale quoque concilium avertent mille machinis, interim tamen Germanos aliasque gentes concilium subinde pollicendo ludificarentur, visum tandem est imperii ordinibus ut, si pontifex concilium non convocaret intra certum tempus, ipsi conventu inter se habitu suis ecclesiis consulerent. Haec ista est horrenda a sede romana defectio, de qua hic nepos quiritur. At nihil pensi habent sancti isti ordinis ecclesiastici vindices, et canonibus et legibus sancitum esse, ut in singulis provinciis quotannis, et in qualibet natione, quoties aliquid inciderit corrigendum, habenda esse concilia. Quod si grassari malum latius coepert, generale concilium omnino esse convocabandum. Hisce sanotionibus et romanus pontifex obstrictus esset, et secundum eas ecclesiam regeret, si verus pontifex esse vellet. Nunc quum eas pedibus conculcet, quid ipso facias? Adde quod oecumenica olim concilia per Caesares indicabantur. Indictioni et episcopi alii omnes et ipse romanus libenter parebat. Hodie, si istis credimus, ne nationale quidem indicere illis licebit. Fateor equidem, quum veri episcopi Romae sederent, quoniam sedes illa [fol. 18] prima semper est habita, sine ipsorum conscientia, non fuisse celebratum maius aliquod concilium. Id eo postea detorserunt romanae tyrannidis satellites et hodie detorquent, quasi nullum omnino ecclesiasticum conventum, nisi idolo illo ratum habente, nutuque suo comprobante, habere liceat. Interim quum illis sit propositum omnia libidinose pervertere, susque deque habitis legibus omnibus et canonibus, contempta omni censura, abiecta omnis honestatis cura, excusso prorsus pudore, nullo nec Dei nec hominum metu, insanam dominationem exercere, qui unquam adduci poterit, ut in christianum et liberum concilium descendat,

ubi legibus sit interrogandus, officiique sui rationem redditurus? Ergo quoties de concilio fit mentio, non aliter horret atque Dionysius aliquis aut Phalaris, ubi est a populo ad libertatem recuperandam clamatum. Quid enim aliud causae est, quod toto orbe iam pridem maximis plurimisque de causis concilium flagitante, non modo nullum ipse serio convocat, sed strenue intercedit, ubi ecclesias videt convenire? Et quid tandem sibi vult? Nempe ut ecclesiae scientes et videntes, polluta sua sanctitate, vexari, violari, affligi, diripi et vastari se sinant, taciteque ac sine gemitu ultimum interitum exspectent. Quid enim aliud est quod remedia interdicit divinitus commendata, et a sanctis patribus populoque christiano semper adhibita, donec ea ipse concedat et admoveat, qui ex direptione vastationeque ecclesiarum regnat ac suaviter delitiatur? Ergo ne quid depereat romano Sardanapalo, quin potestate opibusque ecclesiae impune ut solitus est grassetur, connivendum est piis principibus, dum tot animarum millia, pro quarum salute sanguinem suum vitamque profudit Christus, interire cernant. Ni faciant, defectionis a sede romana rei agantur.

*Quantum vero ad pacem Germaniae attinet, non sine aliquo pudore proferri possunt, quae sequuntur. Fuit Schuinfurti primum de pace tractatum et conclusum.*

Tot mendacia quot verba. Nihil enim Schuinfurti, sed Nurnbergae primum conclusum de induciis hisce fuit.

*Deinde factae sunt Nurnbergae induciae inter utrumque statum, protestantium scilicet et catholicorum, addito etiam caesareo ratisponensi [fol. 19] mandato sub poena provincialis pacis et banni imperialis: tamen possunt videre maiestates suae, ubi tot convenerint principes subscripti et iurati, ubi tot emanaverunt mandata, maiestatum suarum additis gravissimis poenis: nihil tamen observatum fuisse, quin imo spretis omnibus induciae illae saepius fuerunt violatae, et partes protestantium novis confoederationibus contra pacta auctae, accessione nonnullorum principum, sicut regis Dacie,<sup>1)</sup> ducis Wirtenbergensis, et aliorum, ac nonnullarum civitatum, mutatione facta religionis in diversis locis ac provinciis contra pacem et iusserendum.*

Hic acervum calumniarum congerit sanctissimus, sed quarum vanitatem refellere nimis promptum est. Induciae de quibus Schuinfurti agitatum est, et quae Nurnbergae primum pactae, demum Ratisponae con-

1) Sic legitur in textu impresso, sed absque dubio Danie legendum.

firmatae sunt, requirunt, ne quis ex ordinibus imperii alteri bellum inferat causa religionis, et ne electori Saxoniae eique in hac causa coniunctis, litteres ob negotia religionis in iudicis imperii moveantur, aut iam motae iudicentur. Et si quid in his causis contra illos iudicatum fuerit, per imperatorem abrogetur irritumque fiat. Haec protestantes quidem diligenter observarunt, nemini enim statuum arma religionis causa intulerunt, aut ullam vim fecerunt. In suis modo ditionibus reformationem ecclesiarum instituerunt, id quod et Schvinfurti et Nurnbergae sibi diserte liberum reservarunt. At iudicium camerae eas inducias multis modis violavit, iudicando contra electorem Saxoniae aliosque religionis societate ei coniuctos. Confoederatio quidem protestantium aucta est accessione principum et civitatum, sed id nequaquam contra pacta aut pacem Germaniae vel iusiurandum, nec enim vel Schvinfurti, vel Nurnbergae hoc ab ipsis, quanquam id diu utrobique flagitatum sit, extorqueri potuit, quin si qui postea ad suam religionem essent accessuri, eos in foedus suum reciperent, communemque causam in illis quoque pro sua portione defenderent.

*Ex quibus, ne longiores simus, [fol. 20] facile concipi potest, quae spes futurae pacis sit habenda; durante enim pace, tum literis, tum minis, tum practicis, aliquos quotidie seducunt ex omni hominum generere.*

Non minis, non practicis illicitis, quod non minus est illis inusitatum quam Romanensibus familiare, sed pii persuasionibus et hortationibus protestantes velint, si Dominus det, non Germanos modo, sua membra, suam carnem et sanguinem, si totum<sup>1)</sup> etiam orbem ad consortium verae et unicae religionis Christi permovere.

*Ut non facile sit, ubi religio refricerit, revocare homines a duriori ad molliorem, a continenti ad voluptuosam, ex obedientia ad libertatem.*

Ultra Sauromatas fugere hinc libet. Quis enim in tanta impudentia stomachum teneat? ubi pietatem refrixisse flebiliter deplorant, qui cum ipsis nullum prorsus habeant Dei sensum, et totam religionis doctrinam, et quidquid populum in Dei timore continere poterat, e mundo quoad in ipsis fuit profligarunt. Unde enim ista, quam pii omnes non sine magno gemitu cernunt, religionis dissolutio? unde contemptus Dei? unde sacrorum omnium neglectus? nisi quod Rothanensem partim socordia et ignavia,

partim inscitia, partim etiam malitiosa perfidia, Christi veritas sepulta fuit, vel potius e mundo exterminata. Nam quales habuit pontifices Roma a quadringentis aut quingentis circiter annis, notius est quam ut commemorari necesse sit. Qui vero sub illo dominatu titulos personasque gesserunt episcoporum in orbe christiano, quasi nihil aliud haberent muneras, quam ut praeclarentur expilarentque ecclesias, docendi curam maxima ex parte a se ablegarunt. Qui vero docendi officium usurparunt aut stultis et insulsi nugis inebriabant plebem aut impensis perniciosisque opinionibus dementabant. Interim extincta veritatis luce exposita erant praedae et quaestui sacra mysteria, nec alium fructum habere putabantur, quam ut populus ad ea obstupesceret. Sic enim de industria boni interpretes obscurabant, quo facilis deinde venalia prostituerent. Eant nunc et querantur fidem refrixisse. Quod autem dicit nihil esse proclivius quam abducere homines a continentia vita ad voluptuosam, a duriore ad molliorem, ab obedientia in libertatem, quis sine risu legat? si quidem quam continenter et [fol. 21] austere vivat romana curia et omnes illic formati, postremo quicunque notam et characterem eius ubique gentium ferunt, dicere quid attinet? Non ergo mirum si hic se persuasurum mundo speraverit, actum esse de continentia, sanctitate, obedientia et omni genere virtutis, si semel a romana disciplina discessum fuerit; verum ubi subierit, hic eos loqui qui totum orbem nequitia sua corruperint, ac omnibus flagitiorum formis terram contaminaverint, quis non graviter indignetur audere ita aliis exprobrare mollitatem, delicias et inobedientiam? scilicet ignotum est romanis libidines pudori ac pudicitiae nihil reliqui fecisse, luxum, intemperiem, portentosas delicias laxatis fraenis apud omnes romanae sedis creaturas dominari, obedientiam omnem Dei verbique ipsius ita projectam, ut iam nec apud homines dissimulent. Quum ergo pudere ipsis desierit, bonis certe ex animo deplorandum est, tam sceleratos, probrosos et ad omne impunitatis nequitiarumque genus projectos homines audere so adhuc ostentare prae custodibus severitatis, continentiae et obedientiae. Quum nullum unquam in terra extiterit hominum genus magis ab omni moderatione, disciplina, obedientia alienum et abhorrens, nullum ad delicias, importunas voluptates, insolentiam, impunitatem, legum omnium contemptum, scelerum omnium licentiam, magis dissolutum et prostitutum.

*Neque seducunt homines solum sed ecclesias diripiunt, episcopos eiiciunt, religionem profanant, atque id impune.*

Primum non seducunt, qui homines ab inviis erroribus ad Christum reducunt. Non ecclesias di-

1) Sic quidem expressum legitur, nobis tamen scribendum videtur: sed totum.

ripiunt, qui diripientibus eripiunt, ut veros pastores praeficiant. Non episcopos eliciunt, qui instituant religionem. Non profanant qui instaurant. Quod facere protestantes palam est, sed non impune. Quid enim aliud sonat, quid contendit tota eorum doctrina quam Christo Domino, quia via, veritas et vita est, fidendum et vivendum esse, quum pontificii fiduciam salutis in divos, in ossa et simulacra eorum, in cæremonias, in opera hominum distrahant. Plerique nihil docent quam quem vivunt epicurismum. Notior enim est romana religio quam boni omnes velint. Iam quid est diripere ecclesias, si id, quod in solenni usu pontifici habent, non est? Quae parochia, quae abbatia, quis episcopatus, aut quodnam opulentius sacerdotium idoneis et qui in suo ministerio servos se esse ecclesiae intelligent confertur, et non occupatur ab iis qui, quum non alias artes didicerint [fol. 22] quam venationes, lenocinia et similes vel ineptias vel nequicias, quum ad episcopatus veniunt, putant esse iusta illarum praemia. Itaque ne a professione sua desciscant, nihil quam satrapas, venatores, lurcones, ganeones, scortatores, milites etiam et gladiatores praestant. Id vero canones sacrilegium esse definiunt, et ecclesiarum deprædationem. Quidquid enim rerum ecclesiasticarum, non vel in usum sacri ministerii, vel in pauperes, vel publicas populi Dei necessitates impenditur, id per sacrilegium ecclesiis eripi canones iudicant. Ita quem quaeso protestantes episcopum potuerunt elicere, quum pridem inter eos, qui ecclesias hoc nomine detinent, rarissimus sit qui haberi episcopus possit? Nec enim episcopus haberi populo christiano potest, nisi qui supremo in ecclesia loco hac conditione sedet, ut et doctrina et vitae sanctimonia primus emineat, ut summo studio in id se impendat, docendo, sacra mysteria administrando et disciplinam Christi exercendo, quo ecclesia sibi credita quum accessione corum, qui a Christo abducti erant, quotidie augeatur, tum profectu incrementoque pietatis, in iis qui ad Christum iam conversi sunt, novos subinde progressus faciat. Quae est vero denique illa religionis profanatio quam protestantibus isti impingunt? Curarunt protestantes apud suos, ut populus pro impuris et irreligiosis hominibus, qui sacrum ministerium, et id modis omnibus depravatum, pro quaestu habebant, eos ministros acciperet, qui et ministerium Christi sincerum praestent, et vivant sine crimine. Pro impiis et pestilentibus commentis, quibus et verus Dei cultus destruebatur et tota pietas una cum salute hominum eversa erat, sanam Christi doctrinam audit. Pro ea, quam depravatissimam habebat, et sacramentorum et disciplinae administratione, legitimam et a Christo institutam amplecteteretur. Atque istuc ita habere non dubitant protestantes se coram concilio et quibuslibet piis et religiosis iudicibus posse facile comprobare, quod etiam facturos

saepe obtulerunt et nunc offerunt, et tamen, si pontificis credimus, religionem profanarunt.

*Imo in tantum progressi sunt ut integerrimum iudicium divellere conentur . . .*

An iudicium divellunt, qui non nisi iniquas, et non minus contra Caesaris iussa et pacta quam contra Dei legem latas sententias repudiant? Quod si probe intelligere velis, nihil integri, nihil sancti, nihil aequi apud illos iudices esse, reputa quis sit, qui eos tam bellis encomijs praedicat. Neque enim a pontificio [fol. 23] legato nisi nefaria mercede hanc laudem consequuti essent. Et sane satis apparet, ut projecto religionis studio eam sacrorum profanationem, ex qua plerique eorum deliciantur, impudenter defendant, colluviem pseudocleri, publicam Germaniae pestem, non sine aperta patriae proditio suo patrocinio sustincent, omissa Caesaris dignitate, neglecto iure, in asserendo pontificis romani tyrannide pertinacissime insistant. Quid in iudicio tam corrupto integratatis aut reverentiae esse potest?

*Ut eo divulso etiam autoritas caesareae maiestatis in Germania concidat . . .*

Bellum est hoc artificium, si quidem uno verbo profligatus hic nepos imperatori persuadere valeat, protestantes illius potestati insidiari, pontificios autem eam conservatam velle. At protestantes hanc doctrinam profitentur, quae ex verbo Dei iubet omnem animam potestatibus, quae gladium gestant, subiici. Pontificii autem se omni humano imperio exemptos volunt, imo superiores. Protestantes cupiunt valere leges, quas pii imperatores de personis et rebus ecclesiasticis sancte considerunt. Pontificii eas, ut nullo iure nixas et sine imperio latas, abrogarunt, condereque quamlibet sanctas et pias temeritatis et illicitae audaciae esse pronunciarunt. Protestantes denique nullum episcopum, ne romanum quidem recipi volunt, nisi qui secundum canones ab imperatoribus fuerit comprobatus et cui examinando adhibiti sint imperatorii magistratus. Pontificii vero non solum se a principibus rite et veteri instituto probari non sustinent, sed hoc quoque vel iuris vel licentiae sibi sumunt, ut in sua manu sit et imperatores instituere quos velint, et destitutos a se honore abdicare, idque pro mera libidine et summa cum reipublicae christiana pernicie, uti saepe fecerunt. Per ambitum quidem profligata omni canonica electione, episcopatus, abbatias et pinguiora sacerdotia a principibus accipiunt, sed et haec non aliter aestimantur quam aulicorum obsequiorum praemia, nihil ad eam, quam principibus canones deferunt, legitimam examinis potestatem. Et tamen protestantes autoritati quoque, potestati imperatoria inimici, adversi, insidiatores, infesti, et pontificii amici ha-

bendi sunt? Sed dicunt, repudiato supremo imperatoris iudicio, quod protestantes moliuntur, maiestas imperatoria intercedat oportet. At respondent protestantes quod improbis absurdisque sententiis intercedunt, se in eo non eversum camerae iudicium, sed iuris legumque observantia firmatum bonisque et aequis viris instauratum velle. Nam de [fol. 24] religione subire iudicium apud eos iudices, qui verae religionis ex professo et acerrimi hostes sunt et violenti vexatores, nihilque quod in ipsis est ad tollendos e medio omnes qui veram religionem sectantur et ipsi faciunt reliqui et aliis faciendum imponunt, cuius vel inertiae vel socordiae esset? praeassertim quum detrectare iure liceat.

*Et ipsi impune in omnium bona et vitam grasse possint.*

Graves sane et truculenti grassatores sunt protestantes qui civium loco eos tolerant, imo ampliorum quam ullis civibus libertatem vel licentiam potius iis apud se concedunt, quos certum est cum capitalibus suis hostibus conspirare. Et cum iis hostibus quos nemo ignorat quotidie exitium ipsorum moliri. Nec enim dissimulant cuius sint animi, quum ipsorum in religione consortes, ubi imperium habent, novis et inauditis tormentis excrucient et trucident.

*Nulla igitur spes firmae et diurnae pacis ex amicis tractationibus haberi potest, nisi eam pacem velimus, quae et omnem dignitatem sedis apostolicae in primis opprimat et catholicam religionem conculcat ac omnem ecclesiae ordinem confundat ac destruat.*

Si dignitas sedis apostolicae est apostolicam disciplinam praestare, si religio est quam Christus nobis tradidit, si ecclesiae ordo quem idem Dominus et spiritus sanctus per apostolos instituit, quis est qui dignitatem opprimat sedis apostolicae, qui catholicam religionem conculcat, qui omnem ecclesiae ordinem confundat et destruat, nisi pontifex ipse cum creaturis suis? Apud hos enim quid non ex diametro cum disciplina apostolica institutisque Christi pugnat? Protestantes ea quae Christus sancivit, quae per manus tradiderunt apostoli, quae martyres et sanctissimi patres observarunt restituta cupiunt. Nihil vero sublatum, nisi quod his adversatur. Quare nemo cum illis pacem facere detrectabit nisi qui Antichristi spiritu occupatus regnum Christi ferre non potest.

*Haec omnia reverendissimus dominus legatus non ignorat caesareae et regiae maiestatibus esse manifesta, ac multo plura in hanc sententiam, quae hic colligi brevitatis studium non permittit.*

[fol. 25] Ut falsissime haec in protestantes confinguntur, ita nemini manifesta, sed multis per calumnias persuasa esse possunt.

*Restat nunc tractandum qua via et ratione providendum sit periculo turcico salvis rebus religionis. Periculo turcico provideretur, si ab utrisque, catholicis scilicet et protestantibus, auxilium maiestatibus suis tribueretur, sed dubitatur, non posse id impetrari, nisi prius de religione inter eos convenerit.*

Et quid facerent status imperii, dum per romanam Aten et furias ab ea subornatas civilis belli faces perpetuo iniiciantur?

*Igitur quum publica res religionis universalis concilio, non autem in diaetis particularibus tractanda sit, quumque catholici semper optarint concilium, ut patet per ratisponensem recessum et per capitula ligae catholicae . . . .*

Ergo particularibus regnis nullam de Christi religione apud se restituenda curam suscipere fas est. Et pereundum omnibus est, Christi vocatione et salutari visitatione usque reiecta, dum pontificii quod ferre non possunt generale concilium, tum variis et subinde novis inter monarchas dissidiis accensis, tum excitatis bellicis tumultibus, tum innumeris aliis, quibus pollent artibus, extrahunt et eludunt! Quid vero magis antichristianum dici possit quam regna Christo consociata non debere tractare de religione Christi, non consultare, ut non disruptis perniciosis Antichristi vinculis iugo sese rursus Christi submittant commodo et salutari?

*Reproponit maiestatibus suis reverendissimus legatus ut velint hoc concilium oecumenicum statim prosequi et celebrari. Hoc enim modo satisfactis catholicis non poterunt auxilia denegare et res religionis remittant concilio ut decet.*

[fol. 26] Quasi vero et Caesar et rex non semper toto pectore prosequi christianum concilium optaverint atque in id studium fideliter incubuerint: quasi neosciatur, per pontificem solum et eius creaturas hactenus factum esse quo minus pii principes voti sui hac in re compotes fieri potuerint. Sed eo nequiore et desperatione et impudentia est impurus hic nepos, quod apud eos sic loquitur, qui rem totam optimae omnium neverunt. Haec igitur una ratio est convocandi concilii, inducant pontifex et eius creaturae in animum, ut quam impie scelerateque exercent tyrannidem, et totum hoc abominationis regnum, cum omnibus flagitiis Antichristi tandem abiiciendum putent. Ita fiet ut a concilio christiano eversionem status sui nihil metuant. Tum in maiestate imperatoris et regis mora erit nulla quin con-

cilii convocandi, cogendi, habendi curam habeant, et  
eam ad extremum prosequantur.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

*Et quantum ad protestantes, incutiatur ipsis hoc concilio maximus terror.*

Concilium christianum protestantes ex animo appetunt, pontifici ut summam status sui pestem horrent: utris iam terrori futurum sit indici serio concilium? Et a quo tunc sibi protestantes metuant, qui cum sola antichristiana pontificis romani tyrannide bellum gerunt? Tum autem concilium christianum ille admetit, quum abdicare se pontificatu decreverit. Ita vel hoste composito vel sublata belli materia securi tunc essent, sed ea res nondum maturuit. Quare exspectemus ab eo solitum artificium ut varias inductiones promulget, quae in totidem bullas exeant.

*Qui videntes rem serio tractari, timebunt suis rebus et sic erunt tractabiores et magis obedientes maiestatibus suis, ut qui sentiant sibi esse resipiscendum et redeundum ad cor, et forsan venient ipsis aut mittent ad concilium, praesertim si cognoverint maiestates suas nolle amplius pati haereses in Germania, sed velle ut ipso concilio, hoc est regia via vivatur.*

A christiano iudicio non protestantes, sed qui Christum ipsum sibi ac suis studiis adversari norunt, metuere sibi solent. Audeant in apertam lucem semel prodire pontifici et concilium indici sinant, [fol. 27] quale scripturae et canones praescribunt: si tum protestantes aberunt, licebit ut totus orbis illos dicat causae suae diffidere, lucemque concilii ideo fugere, quod sibi male consci sint, itaque suo ipsorum praeiudicio sese damnabunt. Sin aderunt errorum convicti, quod facile erit, vel in viam revocabuntur, vel ecclesiis merito exterminabuntur, praesertim si concilium cogatur ex piis sanctisque iudicibus, doctis ad regnum Christi, non aucupibus ad captandas per simoniam et sacrilegia opimas praelaturas intentis; ex iis qui sincero restituenda domus Dei zelo ardeant, non furiosa libidine stabilienda immanis suae potentiae flagrent, ut scelerate flagitioseque pro more suo et opibus ecclesiasticis luxurientur et ecclesias licentiose opprimant; ex iis denique qui dociles se et obosequentes dare Christo parati, non aliud sequi in animo habeant quam quod ille docuerit; non ex iis qui clausas ad omnem veritatem aures, animos contra Christum eiusque verbum obstinatos afferunt. Nam et inania sine re nomina, larvaeque ab impietatis sociis impositae nullos episcopos et ecclesiae praelatos faciunt, ita nullis quoque locum in concilio christiano faciunt. Sed multos scilicet ex puriore illa nota reperiet in grege suo pontifex? Quid quod tantam illi formidinem iniicit mala conscientia, ut ne sub corruptissimis quidem iudicibus sibique ad-

dictis stare se posse confidat? Hinc reputa, quo animo ad legitimum consessum sit descensurus.

*Est et rationi consonum, quum res religionis et fidei pertineant ad omnes Christianorum provincias, ut omnium votis componantur ex quorum consilio et autoritate si quid in religione erit mutandum vel corrigerendum, id immutetur et corrigatur.*

Sane consonum, nec unquam vel ab una ecclesia componentur, siquidem ex verbo Dei id fiat, quin communibus omnium Christianorum votis componantur. Hoc enim perpetuis consentientibusque votis ubique terrarum spirant, ut Christi religio, quae diu adeo misere collapsa afflitaque fuit, aliquando excitetur et quasi postliminio reversa suaequae integritati ac puritati restituta vigeat ac floreat. Verum si unus quilibet Christianus simul ac Domini vocem audierit, quocunque vocatur sequi debet, etiam si totus orbis reclamat ac repugnet, multo minus impediri aut retardari debet, si sint qui se comites adiungere cunctentur. Quod si hoc privati cuiusque [fol. 28] officium est, quid ecclesiis est faciendum aut nationibus quibus Dominus veritate sua illucet, ut se in rectam viam recipient? An non protinus, postposito omnium hominum respectu, suspicere debent quod mandatur? Neque enim timendum est ne in eo rem ingratam, taceo iniuriam, aliis ecclesiis facturae sint. Omnes enim id Christiani, omnes ecclesiae Christi primum in votis habent, ut Christus, sicut unus est dominus et magister, ita ubique cum summa reverentia et observantia audiatur. Sed nec spiritus Christi, si invocetur, deesse ecclesiis sustinebit, quo docente non tantum intelligent, quid recipiendum, quidve reiiciendum sit, sed etiam ad pacis unitatisque studium dirigantur. Sic fiet ut agnita priorum ecclesiarum resipiscencia, posteriores se libenter accommodent. Et sicut<sup>1)</sup> ea quae restitui flagitant protestantes, sic clare in divinis literis tradita, quae correcta volunt tam aperte a Deo improbata et damnata, ut multos propterea convenire, quo obscura plenius illustrentur, involuta explicitur, dubia confirmetur, nihil necesse sit. At ut commodum esse demus plures nationes de reformatione communiter consultare, an est tamen propterea uni aut alteri perseverandum in manifestis religionis virtutis, adeoque in repulsa regni Christi, quia caeterae nationes Antichristi arte aut vi impeditae, consilium hoc suscipere in praesentia vel non volunt vel non possunt?

1) Quae hic sequuntur minus sana nobis videntur. Sensus quidem satis perspicuus, verum in phraseo tenore elucidando haeremus, et vel autorem ipsum vel correctorem libri humani aliquid passum esse credimus. Quid si pro: sicut, responderemus: simul?

*Nam respicere oportet non solum ad Germaniam, verum etiam ad Gallias, Hispanias, Itiam et reliquas Christianorum provincias neque credendum est, quod si quid ob quietem Germaniae novi in religione fiet, sine scitu et consensione aliarum provinciarum, id posse carere aut magna calumnia et scandalo aut perniciosissimo exemplo. Praeterea si quid privatum in Germania constitueretur, quod ab aliis provinciis non probaretur, esset magnum monstrum in corpore Christi, quae est ecclesia, quod membra non cohaerent, et unitas non servaretur.*

Respiciendum plane est, nec solum ad Gallias, [fol. 29] Hispanias, Itiam, sed ad totum quoque orbem. At quia nihil in religione petunt novari protestantes, sed ea in usum modo revocari, quae tradidit Christus, ipsi commendarunt apostoli, observavit vetus ac purior ecclesia, corrigi autem et repurgari, quae his ipsis adversantur, si ad eum, quem postulant modum, reformatum ecclesiae, de assensu omnium ubique Christianorum minime ambigendum est: eodem enim spiritu Christi aguntur, quicunque Christi sunt. Atque ut aliqui sive per errorem, sive propter vim Antichristi assentiri statim non queant, non est tamen Christi mandato salutique ecclesiarum sic praefienda eorum vel ignoratio, vel infirmitas, ut dum his nostros attemperamus, utrumque illorum negligamus; in mediis rebus plurimum semper est deferendum fratrum imbecillitati, at in iis quae certa ratione a Christo sunt commendata, qui hominum gratiae vel minimum aliquid concedendum putat, eo ipso prodit se parum in Christi schola profecisse. Pietas enim sine controversia, sine exceptione pro necessario habet, quidquid Christus iubet. Quum per hos viginti annos toties concilium vel pollicendo vel denunciando verba dederit pontifex et Germanis et aliis gentibus, quis non credit eum, quoties de concilio loquatur, fucum pro more facere ut effugium inventiat? et omnino fallitur, qui ab ipso exspectat plium concilium, quamdiu in antiqua sua disciplina perseverat. Ergo in re desperata, in tam magna populi Dei iudicatione, quid aliud Germanis superest, quam ut ipsi tandem in Domino convenient, de restituenda, quam prostratam iacere vident, religione pliam habeant consultationem? Et sua quidem consulta reliquis nationibus iudicanda offerant, ipsi tamen interim, et quae certo praeepta sunt ore Christi amplectantur, et quae palam sunt prohibita, corrigan, tollantque de medio? Inde quid apud ullos homines, quorum habenda sit ratio, vel offendiculi, vel calumniae metuendum est? Fuerunt certe et semper erunt aliqui ex eo hominum genere, quos regnum Christi, simul ac erigitur, ad insaniam rabiemque adigit. Sed de illis scriptum est mittendos esse, quia caeci sunt et duces caecorum.

Et merito. Si quis enim illis approbare se velit, is Christi servus esse non potest. Nec vero durum videatur, eos contemnere, de quibus alibi scriptum est: Omnis plantatio a patre coelesti non plantata eradicabitur. Ad haec reformatione ecclesiarum secundum Dei verbum instituta, etiam si non obtineant Germani, ut ab aliis nationibus communis consensu quamprimum recipiatur, exemplum tamen praeclarum edent universo nomini christiano cum primis salutare, hoc certe tempore necessarium, nullis vero [fol. 30] nisi antichristianis exitiale. Nam quid obiicitur monstrosam fore rem, si separatim a reliquis novam ecclesiae formam instituant, id nullo negotio refellitur. Monstrum est quod contra naturae legem vitium suboritur. In corpore igitur humano, quod membris omnibus foedum sit ac deformis, si pars una ad rectum naturae ordinem restituta fuerit, in eo quid obscro erit monstri? Nam si membris omnibus apta compositione inter se cohaerentibus unum aliquod a legitima sede dimovreas, id vero monstrosum foret. Ad hunc modum in civitate, quae abiecta omni moderatione, fractis disruptisque legum vinculis, tota se ad insolentiam probrosamque vivendi licentiam prostituerit, si pauci aliqui se a communi depravatione recipient, vitaque legibus conformant, utros potius monstrosos dicemus? eosne qui ad legitimam civitatis formam sunt compositi, uteunque pauci sint, an qui multitudine freti, nihil stati, nihil moderati, nihil ordinati habent, quibus rebus constat civitatis et res et nomen? Quae igitur ratio est, si gens una se a communi corruptione receperit: si aliae non protinus exemplum eius sequantur, diversitatem in eo cœu horribile monstrum abominari et anxie formidare? Quod autem ecclesiae membra plus quam portentosa defectione a capite suo quodammodo divulsa sunt, in eo nihil monstri horrere? scilicet execrabile portentum Germani edemus, si reliquias gentes adducere non poterimus, ut ad eam a quoniam nobiscum deviarunt evangelii veritatem nobiscum revertantur. Non erit autem portento deputandum, si illae, quod Deus avertat, propositis melioribus exemplis animum in sua pravitate obstinaverint. Sed species ipsas proprius intueri operae pretium est. Monstrum erit, si Germani nullum habeant sacrum conventum in quo non secundum apostolicum institutum vel lectionem, vel doctrinam, vel exhortationem adhibeant, qua aedificetur populus ad pietatem. At vero quod passim in omnibus regionibus, ubi invocatur nomen Christi, nihil quam non intellectae caeremoniae, eaeque vel in totum absurdæ, vel multis modis depravatae, omnes ad impium quaestum prostitutione exhibitur, nulla autem, vel rarissima auditur lectio, aut exhortatio, ex cuius intelligentia populus fructum aliquem recipiat; et si quid interdum vel a fatuis monachis,

vel deliris theologastris ingeratur, non alio spectat, nisi ut profundius in caecitatem defigant hominum monumenta, nequaquam monstrum est. Monstrum erit, si quidquid in ecclesia geritur eo dirigit Germani, ut plebs ad legitimum Dei cultum instituta, omnem iustitiae et salutis fiduciam spemque bonorum omnium in uno Christo reponere edocta, in veram pietatem [fol. 31] proficiat. At qui<sup>1)</sup> innumeris superstitionibus et Dei cultus eversus est et dispersa in vanissimas vanitates hominum fiducia, et tota fere pietas extincta est, id nihil habet monstri. Monstrum erit si propheticae et apostolicae doctrinae locum apud se dederint Germani, quae nobis praecipit ab uno Deo pendere, illi tribuere laudem omnium bonorum, ad illum unum, quoties aliqua urget necessitas, confugere, quidquid boni habemus, eius benignitati acceptum referre, vitam aeternam non nisi gratuita eius misericordia exspectare, renunciare nostrae sapientiae, ut illi dociles nos praebeamus, omnem propriae virtutis, iustitiae, sanctitatis gloriam ac fiduciam exuere, ut virtute eius roborati, eius iustitia induiti, ornati eius sanctitate, in bonitate eius acquiescamus et gloriemur, deinde totam istorum bonorum summam sciamus in Christo esse repositam, admonet ne quam alibi particulam quaeramus. At quod in varia deliramenta hominum mentes a vero Deo avocatae distrahuntur, quod Dei gloriam sacrilega ingratitudine inter creaturas partiuntur, quod mortuos homines pro Deo invocant, quod laudem bonorum gratiarumque actionem ad ipsos a Deo transferunt, varios sibi aditus ad vitam aeternam configunt, inani propriae sapientiae, iustitiae, virtutis, fiducia adversus Deum superbunt, impiis imaginationibus Christum obscurant et fere sepeliunt: hic nihil est monstri, nec timendum est, si in futurum ita pergent. Monstrum erit, si agnoscant Germani nullam esse hominibus cum Deo reconciliationem nisi in Christo, non aliter quam ipsius intercessione exorablem propitiumque Deum nobis fieri, quia omnes sint peccatores indigni Dei conspectu, non aliter recipi in gratiam, nisi expiatis per eius crux peccatis, omnes esse impuros, nisi eius sanguine abluantur, nusquam alibi quam in illo unico sacrificio esse perpetuam satisfactionem, quae nos a damnatione liberet. Hac certitudine subnixas conscientias, indubiam aeternae salutis fiduciam et quavis notitia solidorem concipere debere. At quod totus passim mundus nova piacula et sacrificia comminiscitur, quibus Dei iudicium effugiat, novos subinde mediatores, quorum intercessione se sustineat quaerit, inquinamenta nescio quae pro ablutionibus sibi accersit, fictitiis satisfactionibus redimere se co-

natur, omni caret monstri suspicione? Si excusso inutilium vel etiam impiarum traditionum iugo et saeva illa conscientiarum carnificina, regulam vivendi ab uno legislatore et magistro petant Germani, interim tamen non ea negligant exercitia, quae et Christi legibus sint consentanea, et ad eas observandas subsidio esse queant, monstrum erit. At quod praepostera obedientia [fol. 32] Dei verbo praeferuntur hominum leges, quod in frivolis ac inanibus observatiunculis homines obstupescunt, quod sine ullo fructu aut aedificatione in nughis illis servandis se excruciant, quod illic iustitiam collocant, in eo nihil est monstri. Monstrum erit, si sacramenta a Domino instituta Germani ad nativum finem revocent, ut nimirum communicationem Christi plenius illic percipient fideles animae, et in gratia Dei roborentur, et tam exerceantur ad studium sanctae vitae, quam in Christi agnitione augescant: si deinde operam dederint ut caeremoniae ritusque omnes in hunc scopum conferantur, eas autem, quae sunt prorsus alienae, abrogaverint. At quod sacrosanctis Christi mysteriis insolenter abutuntur sacrificuli ad obscoenam nundinationem, nihil inde spiritualis emolumenti ad populum reddit; quod baptismus, quo nos initiari oportuerat in veram puritatem, tot modis est contaminatus; quod sacratissima coena tot implicita sacrilegiis fere obsoleta et in nihilum redacta est, cius in locum successit execrabilis profanatio, qua et Christus sacerdotii sui honore spoliatur, et impuri sacrificuli, quod eius proprium erat sibi arrogant, et beneficium quod nobis sua morte praestit obliteratur; quod immensa caeremoniarum farragine ex iudaismo et gentilitate permixta christiana ecclesiae obruuntur; quod plurimae ex iis nullam significationem habent, multae etiam prorsus sunt ridiculae et pueriles; quod non modo crassis ineptiis populus perpetuo occupatur, sed in manifestam impietatem se praecipitat, dum adorat mortuorum ossa, statuis et imaginibus supplicat et multa eiusmodi designat, id nihil habet viti. Si tyrannide Antichristi, quae hactenus apud nos grassata est, abolita, eos ecclesiis ministros praeificant Germani, qui officium suum neverint et exerceant, qui sana doctrina plebem pascant, sanctae vitae exemplo praeceant omnibus, in salutem ecclesiae sedulo advigilent, patres denique et pastores se esse meminerint, neque plus sibi usurpent, quam ut sub unius Christi magisterio populum retineant, iidem familiam prudenter et moderate regant, liberos in timore Dei erudiant, coniugium qua decet honestate et pudicitia colant, non tantum monstrum erit, sed aliquid monstro immanius. At quod idolum illud romanum in sanctuario Dei sese pro Deo ostentat et adoratur, quod miserrima servitute universum orbem premit, quod potestate quam falso praetexit ad perniciem omnium abutitur, quod tot

1) *Omnino legendum:* At quod.

habet animarum carnifices, quod<sup>1)</sup> suo charactere satellites notat, quod non modo de verbi Dei ministerio nihil sunt solliciti, sed quoad possunt ferro et igni persequuntur, quod dum coniugium aspernantur, ut se impuri caelibatus larva venditent, non tantum omnium [fol. 33] toris insidiantur, sed terram ipsam obscoenis libidinibus contaminant, id videtur perquam tolerabile. Monstrum erit, si disciplinam erigant Germani, qualis et a Christo requiritur et in veteri ecclesia fuit, ut populus quibus expedit rudimentis in ordine retineatur, ut pigri existimulentur, moneantur imperiti, reprehendantur qui deliquerint, idque pro modo delicti fiat, coercentur contumaces, in hunc usum ministros et seniores habeat ecclesia, qui censuram exerceant, et severitatem quoque a Christo institutam, ubi opus erit, adhibeant. At quod nunc pseudoepiscopi de potestate ecclesiastica impudenter nundinantur, quod excommunicatio res saluberrima in extraneum prorsus usum degeneravit, quod impune palam feruntur multa non toleranda flagitia, quod populus sine correctione vagus disfluit, nec aliud curatur, nisi ut bestiis istis salvum maneat suum regnum; in eo sunt merae deliciae? Monstrum horrendum edent Germani, si de facultatibus ecclesiae rite dispensandis hiscere ausint, nedum si deliberent de reprimenda istorum latronum direptione, ut opes Deo dedicatae in eum, cui destinatae sunt, usum conferantur. At quod nunc ex tantis, quae ecclesiae relictae sunt, facultatibus, nihil, unde alantur fideles ministri, fit reliquum, nihil scholis, nihil pauperibus residuum est, quorum revera esse debuerant omnia, aut absorbent inexplebiles illi gurgites, et indignis modis dilapidant, alii in scortationem, alii in aleam, alii in beneficia aut caedes, omnes in profanos et minime consentaneos ordini suo luxus: hoc procul abest a monstro. Quid plura dicam? Nihil hodie monstri est in mundo, ubi omnia incomposita, luxata, dissoluta, inversa, deformata, distorta, confusa, dissipata, disiecta, mutila esse notissimum est. Monstrum erit, si quis hanc lernam repurgandi animo attrahet, imo si quis ad remedium tantis malis afferendum vel minimum digitum admovereat. Hic exclamare libet, non in puerum hunc duntaxat, sed totam romanensem catervam: o portenta, non dicam in ultimas terras exportanda, sed culeo insuenda, quando omnes scorteas sapiunt, qui sunt ex illa faece.

*Fuit etiam mos antiquus et ab apostolis traditus ad haec usque tempora conservatus, ut in controversiis fidei concilium adhiberetur, quo sequestre et medio controversiae omnes finirentur et pax restitueretur.*

Fuit certe mos ille diu non immerito sanctis

observatus, ut si quid, vel in doctrina erroris, vel in [fol. 34] disciplina vitii exortum esset, statim coacto concilio, neque generali semper, sed provinciali potius vel nationali, correctionem idoneam quaererent. Nec hodie melior futura erat ratio, si suum ecclesiis ius permitteretur. At quis neget unius romani pontificis arte et vi factum esse, ut nullum iam intra annos quadringentos vere pium et liberum concilium in occidentalibus ecclesiis cogeretur, quamquam innumerae interim labes et aliae subinde aliis importuniores in doctrinam, in mores totamque religionis administrationem invaserint? Constantiense quale fuit? In quo, ut reliqua taceam, quae summam ignorationem cum temeritate coniunctam ostendunt, nihil puduit sanctos Romanenses, hominem innocentem, fide publica vocatum, non minore perfidia quam saevitia trucidare. Nam quod communione calicis in coena populo interdixerunt, si qua vel scientiae vel pudoris scintilla in ipsis fuisset, an unquam facere essent ausi? Sed per tumultum et ferociam quidvis decernere promptum est, ubi non aliud agitur quam ut armata manu exsequamur quod libuerit. Et tamen illuc, ne omnia perversa essent, decretum fuit ut decimo quoque anno concilium haberetur. Quando ex hoc decreto habitum? Nam Basiliense nec suo tempore indictum fuit, et tamen ut interciperetur, strenue romanis artibus curatum est. Primum transferendi eius praetextu bis dissolvere admolitus est Eugenius. Quum nihil hac via proficeretur Ludovicum tunc Galliac Delphinum ad horibilem Alsatiæ direptionem vastationemque armavit. Nec ullum crudelitatis genus est praetermissum, quo ad discessionem adigerentur, qui conventum habebant. Quum illi vel constantia vel pertinacia superiores exstitissent, non conquievit bonus pontifex, donec concussa fere tota Europa tandem extorsit, ut acta omnia rescinderentur. Et tamen si quis vere reputet, spectrum illuc concilii fuit magis quam verum concilium. Quid igitur facturum putemus, si in rem semel ventum fuerit? Sed hoc est nimirum quod iam aliquoties dixi: sicut apostolicis viris mos est, statim ut vitiari aliquid in religione contigerit, ut obviam eatur, sancta concilia congregare, sic romanis antichristis, quia non nisi ex vitiata mercere voluptuantur et regnant, semper solenne fuit et hodie est, legitimum omne concilium re vera morte peius odisse, refugere, avertere, falsa autem eius promissione, quoties reformationis metus aliunde iniicitur, orbem lactare, ut concilium effugiant. Quod si extortum illis semel fuerit ut cogatur Acheronta potius et inferos totos movebunt quam ad umbilicum venire sinant. Quod nisi serio coeptum esset de concilio nationali prout ecclesiae necessitas flagitabat habendo deliberari, pontificii hac parte satis conquescerent, [fol. 35] nec sibi ipsis ulla tam ingratae rei mentione molesti essent.

1) Sic male archetypon pro: quot.

*Neque erit difficile hoc concilium celebrare, quod omnes pii homines continua precibus et votis a Deo vel summo pontifice efflagitant, ut inter alios fecit paulo ante rex Poloniae per proprium legatum.*

Recte, nulla enim unquam celebrandi pii concilii difficultas sanctis fuit, nec hodie foret, nisi a pontifice romano eiusque creaturis, quibus ad legitimam aliquam cognitionem descendere intolerabile est, impedirentur. Vere enim pridem omnes pii homines continua id precibus et votis flagitarunt, sed ut hactenus frustra id factum fuit, ita nihil in futurum melius sperandum, nisi principes ipsi illud invito pontifice indicant et celebrent.

*In primis que ipsi confoederati foederis sive ligae catholicae per quos, ut supra dictum, in uno articulo constitutum est et iuratum, ut velint totis viribus suis procurare concilium quod in diuina ratissoni, ut supra dictum est, sine autoritate caesareae maiestatis fuit conclusum.*

Utinam hoc foedus non magis ad deterrendos a studio reformationis bonos sit institutum, quam ad corrigenda per concilium vitia ecclesiastica. Georgius quidem Saxoniae dux, ut hic articulus de concilio insereretur, autor fuit, sed quo animo eum creatureae pontificis tum admirerint, etiam si ipsi dissimulassent, quod non fecerunt, tamen res ipsa satis testaretur. Solenne enim hoc habent quoties reformatione urgentur, quod Georgius faciebat, polliceri concilium quod se semper pro libitu posse impdire non dubitant.

*Tempus enim opportunum est, nam quum caesarea maiestas et christianissimus rex Gallorum sunt in hoc tractatu pacis, cuius sperari potest (Deo dante) finis optimus, dumque tanta inter maiestates suas facta est coniunctio animorum, et tot signa benevolentiae omnibus ostensa, omnium provinciarum suarum praelati [fol. 36] tuto et commode venire poterunt.*

Sicut concilium pontificii pium et verum celebrari cupiunt, ita student, ut monarchis inter se per omnia conveniat. Atqui si concilii celebrandi tunc optima est opportunitas, dum ii duo monarchae, imperator et rex Gallorum, inter se sunt concordes: qui factum est, ut quum mantuanum suum concilium indixisset Paulus tertius, quo tempore duo isti principes gravissime inter se configabant, et in speciem etiam celebrare coepissent, statim atque induciae decennales inter eos compositae sunt, revocaverit quos Mantuam, ut fucus nationibus fieret, miserat, conciliumque sic distulerit, ut omnem eius spem penitus abscinderet?

*Accedit insuper securitas conscientiarum in primis caesareae vel regiae maiestatis, deinde reliquorum prin-*

*cipum catholicorum, qui in privatis tractatibus aliquid vel approbare vel permettere possent, vel forte ipsis invitatis decerneretur, quod esset in magnam Dei offenditatem et animarum perniciem, ut supra dictum est.*

Eant nunc qui pontificem negant de servandis conscientiis esse sollicitum. Ne quid enim suscipienda ecclesiae reformatione peccent pii principes, et in eo conscientiam suam sacient, mavult hanc conscientiam coram Deo et hominibus sustinere, ut se autore non solum non corriganter manifesta vitia, quae in ecclesiam invaserunt, sed quotidie etiam augentur. Quid enim aliud est correctionem reicere in concilium, quam omne corrigendi studium prorsus abiicere? Ac bellum certe argumentum obtinetur: possent aliquid approbare, vel concedere principes, posset aliquid invitatis ipsis decerni, quod in magnam cederet Dei offenditatem et animarum perniciem. Id ergo periculi ut vitent, concilio melius est omnia corrigenda delegare. Eius porro convocandi arbitrium penes pontificem sit: quis enim dubitet fideliter daturum operam, ut primo quoque die cogatur? Nempe inductionem saltem mantuanam promulgabit, quae mox in fumum abeat. Iam nimis meticulosi sunt principes, nisi se omni religione solutos credant, ubi in tam fidelem vicarium se exoneraverint. Nihil enim dubium est, quin sic a iudicio Dei liberentur. Atqui periculum illud, quod iste [fol. 37] tam formidabile facit, ne quid perperam decernatur aut concedatur, quale est hoc tempore? Petunt enim protestantes, ut ad normam, quam semel Deus per apostolos posuit et sanguine Christi sui confirmavit, ecclesiae reformatur. An evangelium quod Deus omni creature voluit praedicari tam obscurum est, ut nesciatur quo nos ducat? Nonne exemplar quod sequamur habemus in veteri et puriore ecclesia? Nonne exstant et decreta veterum conciliorum et patrum sententiae satis clarae, quae adiuvare nos et quasi dirigere ad scopum poterunt? Ad haec an putamus fallere Christum, quum spiritum suum pollicetur omnibus, qui ex corde ipsum invocaverint? Tot adminiculis quum nos Dominus confirmat, hoc unum terriculamentum nos percellet, ne opem ferre ecclesiae extremo periculo laboranti audeamus, timendum esse, ne quid perperam inconsulto romano pontifice fiat. Interim quum tota ferme religio apud homines collapsa, ad extremam quodammodo ruinam inclinet, quum ecclesia lacera et diserpta fidem nostram imploret, sponsione pontificis suffulti securis animis connivebimus?

*Quod si ad concilium rejectum erit, maiestates suae et reliqui omnes vacabunt omni culpa.*

Quasi vero unquam habendum sit, si potestas illis demandetur.

*Nec omittendum est concilium futurum utilissimum fore maiestatibus suis, quia durante eo omissis tractationibus religionis et ad concilium reiectis, interim quae sibi utilia et necessaria erunt commode tractabuntur.*

Ne principum conscientiis tantum consulere videatur optimus pater, quam bene etiam eorum utilitatibus studeat, hic ostendit. Revocata enim ad se omni ecclesiasticae reformationis cura et facta concilii spe, quod ipse pro sua commoditate, ubi visum fuerit, convocabit, principes solutis otiosisque animis ea duntaxat iubet cogitare quae sibi utilia censuerint. Cuius rei tanta non esset commoditas, si ecclesiis in verum et legitimum statum restituendis convergentur esse intenti. Fruantur ergo principes beneficio minime contemnendo, ut ablegatis a se tot difficillimis ac molestissimis curis in suam unam utilitatem toti incumbant. At quum dominus ecclesiae sua tutelam principibus singulariter commendet, quum hanc velit praecipuam esse ipsorum sollicitudinem, [fol. 38] ut religio rite administretur, quum graviter etiam denunciet, se fore severissimum iudicem si negligenteries hic fuerint, quibus incantationibus vult eorum mentes hic fascinare, ne quid sibi a Domini iudicio timeant? Deinde quum hoc debeat in legitimis comitiis esse propositum, ut imperium in vero statu conservetur, cuius principium in pura sinceraque religionis observantia situm est, putamusne fore ut Dei benedictione prosperentur eiusmodi comitia, in quibus religio tanquam res extranea negligetur? Denique ipsa necessitas manum principibus iniicit, neque eos obdormiscere patitur, quin partes istas suscipiant. Et ipsi profecto hoc viderunt, quum aliquot decretis pronunciarunt sui officii esse periclitanti ecclesiae opitulari. His, inquam, decretis ad stricti et apud Deum et coram hominibus tenentur. Quo magis videndum nunc ipsis est, an cum bona Dei pace sibi liceat, praeterita ecclesiae causa, non nisi quae utilia sibi putaverint, tractare.

*Convocato igitur, ut dictum est, concilio et exclusis omnibus privatis tractatibus religionis maiestates suae poterunt, quos sibi videbitur ex catholicis congregare ac cum eis tractare de augendo foedere catholico, quod foedus quanto erit magis validum et potens, tanto erit utilius.*

In hoc cardine vertuntur omnia sanctissimi patris consilia, ut foedus hoc adversus protestantes miris Heldii<sup>1)</sup> artibus initio concinnatum augeatur,

1) *De Matthia Heldio vide Sleidan. II. 57. 133 ss. 161. Seml. Fuit camerae imperii primum assessor, postea procancellarius, protestantibus infensissimus et Farnesii in Belgio sua molinaria persecutus fides socius, foederisque principum catholicorum diligentissimus promotor. Postea vero intercedente inter eum et Granvellam discordia imperatoris gratia excidit.*

idque plus satis Haganoae animadversum fuit, quantopere in ea re sudarent pontifici. Quanquam tunc mirifice Dominus eorum conatus aut fregit aut impeditivit. Nam ut plurimas eorum nefarias conspirationes his viginti annis dissipavit, ita eius procul dubio opus fuit, quod quum tanta dimicatione satagerent illi technarum omnium artifices, ne qua consultatio nisi de augendo foedere institueretur, melior pars procerum, non armis sed vera disceptatione tentandam esse compositionem censuit. Itaque prouinciavat concilio opus esse, ut ecclesiae succurretur. Postea nonnulli pactionum pollicitationumque internuncii et fortassis imprimis ille ipse, vel Furvus vel Fuscus,<sup>1)</sup> improbitate sua tandem extorseunt, ut a sententia pauci aliqui discederent, sed eos Dominus, qui nondum passus est aliquid atrociter eos designare, facile reducet ad consensionem bonorum. Neque enim tam sunt omnes in patriam *άστοροις* ut furvi aut gigantes, neque ubi Germaniam uno incendio totam conflagrare [fol. 39] viderint, suas fortunas quounque libuerit tam facile possunt transferre; neque ita devotis animis in defendendo Antichristi regno insaniunt, ut perire pro eo parati sint, modo una aboleantur, qui regnum Christi cupiunt excitatum. Denique ubi quid serio agendum erit, in mentem veniet germani sanguinis principibus, aliam longe esse suam rationem, aliam pontificis romani. Nam ut contingat totam Germaniam infaustis armis usque ad ultimam internectionem vastari, etiam si omnes et stipendiarii et voluntarii milites pontificis una cum hostibus occumbant, adeoque illi ipsi tubicines, qui iampridem classicum canunt, id quoque in lucro poneret, quod excidio gentis unius, e qua non nisi mediocre habet emolumentum, regnum sibi in aliis nationibus magis suo fisco fructuosis confirmatum foret. Neque enim hoc non videt, si eo quem hactenus dedit Dominus successu aliquantum adhuc progressi fuerint protestantes, fore ut aliae quoque nationes ad causam se adiungant. Sic igitur res ipsius ferunt, ut Germaniae dispendio illam, quae nunc de filo pendet, suam potestatem in Italia, Gallia, Hispania stabiliri malit quam salva Germania alias provincias exemplum habere defectionis, quod se impune sequi posse confidant. Neo mirum est, eiusmodi plena desperationis consilia ipsum volutare, quum tam difficulti periculosoque in loco res eius versentur. Quum olim minus discriminis immineret, ad hanc gladiatoriā rabiē se proripuit, et audaciam suam, quacum sanctos Domini, nunc urbes nunc reges et caesares impetebat, me-

1) *Sub hoc nomine latet Conradus Braun (Brunus) cameus Spirensis assessor, Heldii in exagitatione protestantibus satelles; de cuius in colloquio wormatiensi partibus, v. Seckendorfii hist. luth. I. III. p. 296. Interfuit ab electore moguntiaco missus. Textus impressus literis minusculis utitur.*

minit a fortuna adiutam. Tentet igitur nunc oportet quod decet contemptorem Dei et hominum. At protestantes ~~hac fiducia~~ consistere oportet, quod ducem habent universo mundi robore validiorem. Eius sunt voces: Confide pusille grex, quia complacuit patri tuo tibi dare regnum. Item: Nolite timere eos qui postquam occiderint corpus, non habent ultra quod faciant, sed eum timete qui et corpus interficere et animam in gehennam coniicere potest. Item: Qui animam suam propter me et evangelium meum perdiderit, inveniet eam in vitam aeternam.

*Nam eo aucto et corroborato vel protestantes patientur se adduci ad concilium et eius determinatione, ut debent, subiicient, vel si erunt obstinati illo ipso met foedere maiestates suae utentur ad eos corrigendos et ad saniorem mentem reducendos post concilii decretum. [fol. 40] Atque haec quidem dicta sunt, quantum ad religionem attinet.*

Ne quis vafre agere pontificem insimulet, consilii sui rationem simpliciter hic exponit. Siquidem aucto foedere alterutrum e duobus confidit evenire oportere, vel ut se protestantes concilii determinationi subiiciant, vel si recusent vi et manu coerceantur. Hoc autem in summa est, nisi dedicatione facta, se suaque in pontificis romani protestatem tradiderint, armis subigantur, nec finis sit aut modus fundendi sanguinis donec exstet qui hiscere ausit contra abominabile illud romanae sedis imperium. Quis nunc miretur eos ita iudicare, quo magis validum sit ac potens hoc foedus, tanto sibi fore utilius? Quare haec romani pastoris virga, hoc pedum est, quo statuit oviculas ad caulas reducere. Sed ex adverso propheta clamat: Inite consilium et irritum fiet, percutite foedus et dissipabitur. Et sane iam antehac non semel ostendit Deus, nullum contra se posse stare hominum consilium. Sed quorūm hic meminit de concilii determinatione, qui nihil aliud cogitat quam habendi concilii necessitatem quoque modo effugere? Hoc omnino est quod dicam. Accessione de qua laborat facta, rationes sibi ad manum esse non ambigit, quibus efficiat ne foederati de habendo concilio sibi amplius molesti sint. Haec enim iusta est, saltem usitata præparatio et concilii habendi et causae disceptandæ, ut ante omnia in integrum ecclesia restituatur. Porro haec restitutio duobus potissimum membris constat: ut a repurgatione doctrinae et ecclesiae reformatione quam temere attentarunt protestantes supersedeant, imo potius hoc totum, quod perperam nulloque iure sibi sumperunt, abiiciant: deinde quamcumque sibi fidem ac religionis formam tradiderit romana ecclesia, eam se promittant obedienter suscepturos. Quidlibet autem facturos non dubitat, ubi viribus superior gladium exsertum super eorum cervices tenuerit, si unum hoc obtinuerit, pacata pror-

sus ecclesia, quis erit concilii usus? Imo facile persuadebit esse nimis periculosum tranquillo et composito orbe concilium cogere, cuius finis possit esse turbulentus; item esse longa experientia compertum, solere concilia magis concutere ecclesias quam pacificare: et quae in eam sententiam dici poterunt. Quod si crassiores fumum offundere oportuerit, non est tam difficile bullam unam in dictoriā conscribere. Indictione facta hoc præcipue agetur ut se adfuturos spondeant protestantes et patrum sententiae [fol. 41] staturos. Ipse vero non tam stupidos esse credit, ut indicta causa sponte cessuri sint, ut suspensam esse velint Christi causam ab eorum nutu, quos norunt diabolico furore in evangelium ardere, seque permissos eorum libidini, quos tot annis crudelissimos hostes experti sunt. Nam hoc etiam diserte admonet, armis esse cogendos ut se iudicio sistant, quia aliter non sint facturi. Et sperat hac parte iudicium camerae sibi minime defuturum, cuius sancti Areopagitas et magua ex parte sunt illi autorati et fideliter operam suam illi impenderunt. Nam si rebus minus ad tumultum comparatis, clarigationibus tamen et proscriptionibus tam cupide fulgurarent, quae non fulmina tunc iacularentur, quum armatas manus ad exsequendam suam crudelitatem cernerent? Armis semel sumptis, aut funditus exscindentur protestantes, aut aliqua insigni clade frangentur, aut metu domiti in voluntariam servitutem se dabunt: quidquid acciderit, cur frustra tot venerabiles praelati fatigarentur, ut undique in unum locum convenient? Cur tot sumptibus supervacuis gravarentur? satis enim scitur quanto viatico instructos venire oporteat, qui tantum satellitum secum trahunt, tanto splendore, tantis lautiis triumphantis ecclesiae dignitatem sustinent. Et fortasse aliqua ex parte exhausti conferendis belli impendiis erunt. Hac igitur determinatione finietur concilium, quando nec minus impedire ne conveniat in pontificis manu est, quam non vocare, et si convenerit tam facile poterit abrumpere, quam alias factum esse notum est.

*Quantum vero ad imminens periculum turicum spectat reverendissimus dominus legatus in primis (ut saepius ex mandato sanctitatis suae fecit) non cessat hoc caesareae maiestati cum omni affectu repetere, ut pax primum cum christianissimo regi Gallorum concludatur; ab ista enim salus pendet reipublicae christiana. Nam si illa non concluderetur (quod Deus avertat et quod tamen non speratur) dubium est an concordes vires totius christianitatis possent viribus illius potentissimi hostis resistere, quum domini non plena [fol. 42] adeo esset securitas, sed huius pacis utilitatem multifariam ideo nunc explicare minime est necessarium, quum saepius de ea actum sit cum cararea maiestate.*

Tantis per forsas consensum horum monarcharum pontificii optent, dum publica christiani nominis pace ad conficiendos extinguendosque protestantes abutantur. Quam autem alias veram et stabilem concordiam inter hosce monarchas ferre pontifex soleat et ipsi sunt optimi testes et satis superque pridem tot gravissimis Italiae calamitatibus declaratum est. Protestantes autem quia non principum dissidiis sed Christo confidunt et quum ab omni rerum humanarum perturbatione tum sanguinis christiani profusione, ut par est, abhorrent: hos principes sublatis dissidiis omnibus convenire intor se ex animo optant. Neque enim dubitant quin tum daturus sit Deus, ut inita sancta conspiratione sicut Turcis propulsandis, ita et ecclesiis restituendis sese impendant. Habent igitur protestantes causam cur perpetua et virium et animorum coniunctione cohaerere ipsos inter se velint.

*Poterunt etiam maiestates suae reiectis (ut dictum est) tractibus religionis ad concilium interim cum principibus catholicis de auxilio contra Turcam se stabilire sine ulla mora.*

Atqui si Dei beneficio porro fiat quod fieri coepit est, ut plures communi religione Christi quam vulgari superstitione catholici fieri malint eaque causa se protestantibus adiungant socios, potius quam in pontificii foederis societatem adduci se sinant, quid inquam tunc futurum est? Nam ipse iam pontifex confessus est, non aliter resisti posse huic atrocissimo hosti quam si universae christiani nominis vires inter se coalescant et coadunentur ad ipsum opprimendum.

*Quod si etiam stabilito catholicorum foedere et coepio per maiestates suas concilio, et incisa protestantium spe, de religione pervertenda et bonis ecclesiarum diripiendis . . .*

[fol. 43] Bella et expedita pontificis ratio, siquidem eam Christus ratam habeat. Nihil benevolentia, aut humanitate obtineri a protestantibus posse spes est, eo itaque necessitatis adigantur, ne se movere ausint. Deinde coepio concilio admonendi erunt a principibus, ut ad audiendam, quae in caput suum feretur, sententiam sistant. Atque hic obiter aperit, quoque progredi in animo habeat. Coepio, inquit, concilio quamprimum de protestantibus agatur, et quando perficietur? Ex ipsa agendi serie aestimare licet. Est tamen aliiquid quod de inchoando loquitur, quasi difficile aut novum sit fucum facere, ut indictum habeatur pro incepto. Verum fingamus huc quoque se extendere papae largitatem. Quid prima statione fiet? Sicut gravioribus malis quaerenda sunt priore loco remedia: a protestantibus sumendum exordium. Compareant igitur vel ad causam dicendam, vel si ita patribus visum fuerit, ad audiendam indictae causae senten-

tiam. Quid statutum, decretum, pronunciatum fuerit, dicto si audientes fore recipiant, de suis capitibus, imo de suis animis decerni quod visum fuerit consentiant. Atqui non tantum periculose id sint facturi in re dubia, sed cum certa sui pernicie religionem insigni perfidia prodituri. Quibus enim tantum iuris deferent? certe minime obscurum est, quibus vel pecudibus, vel beluis, maxima ex parte chorus ille venerabilium episcoporum et abbatum constet. Pauci quidem liberalibus disciplinis egregie sunt instituti, sed eo peiores quod quidquid habent ingenii ac doctrinae in pessimos usus conferunt. Ex aliis vix decimum quemque reperias, qui vel medocri literarum cognitione leviter tinctus sit. In vera Christi intelligentia totaque religionis administratione vix centesimus, qui non sit asino quolibet stupidior. Postremo ut doctrinam illis et singularem regendae ecclesiae peritiam concedamus, certum est tamen obstinatis et auribus et animis contra Christum eiusque veritatem staturos. Ubi ergo claris iudiciis providebunt protestantes, vel potius quasi habito praeiudicio cernent, summam esse postulati ut in religionis abolitionem consentiant, deinde ut se suaque latronum libidini permittant, quid facturos iudicamus? Sed indulgentiores erunt sancti patres quam ut funditus perditos velint protestantes. Quis autem erit lenitatis modus? adhibita scilicet paterna castigatione ut propter rebellionis ac defectio- nis scelus tripla vel quadrupla in bellum turcicum collatione mulcentur. Religioni porro quam bene consuletur? At nefas est de mysteriis a sede ro- mana comprobatis vel apiculum unum convellere: prostrata ergo in eo statu iaceat, quo ante annos vi- ginti quinque fuit. At quid calamitosius est? nonne [fol. 44] praestiterit centies potius iugulum praebere quam evangelii causam deserendo et Christum ab- negare vitam nostram, et Deo renunciare? Esto, sed quamecumque in partem res cadat, hic tamen erit finis concilii: si obsequentes se ad omnia protestan- tes praebuerint, sanctissimus pater valere iubebit ac plaudere; sin vero restiterint, classico abrumpet ses- sionem. Verum quum omnia consilia ex foederis robore pendeant, viderit ut eam ad quam tanta contentione anhelat actionem assequatur. Quod si hac parte obtainuerit, nos tamen scimus et ipse aliquando sentiet: nullum consilium, nullam astutiam, nullos conatus, nullas vires adversus Dominum valere, cui nos bona conscientia militamus. Intentus enim vul- tus Domini super omnes iniquos, ut de terra excidat memoriam eorum, pios vero et se timentes cas- tris angelorum suorum circumdat, ut eripiat eos ex omni malo. Nam quod eversionem religionis opum- que ecclesiasticarum direptionem protestantibus hic obiicit sua ipsius vanitate abunde refellitur.

*Maiestates suae et reliqui Germaniae principes*

32\*

*suadere possent protestantibus ut ad concilium venient, nulla omissa ratione vel cautione honesta, quae illos adducere posset: non esset neque rationi alienum, neque difficile, ut supra dictum est, aliquid etiam auxiliu ab ipsis contra Turcam obtinere.*

Quo illustrior fiat paterna sacri consistorii mansuetudo, hic Caesari ac principibus mandatur, quid sit officii sui futurum. Nempe ut ad cogendum armati protestantibus suadeant, ne quam a patribus impositam sibi legem suscipere detrectent, quo sint deinde paratores ad ulciscendam contumaciam, nisi extemplo pareant. Hoc tamen boni est quod nullam rationem vel cautionem vult omitti, quo adduci ad officium queant. Sed non est quod hinc sibi multum protestantes placeant. Honestam enim in primis esse oportebit sedis apostolicae maiestati; hoc autem ex eius amplitudine esse: in Ioanne Hussio et Hieronymo Pragensi semel est constitutum, ne qua iis quos haereticos iudicaverit, servetur fides. Stipulationes sint factae, iusu randum praestitutum, sponsiones bonorum intercesserint, obsides denique sint dati, nulla in his omnibus certa securitas: sunt enim vincula astringendis hominibus inventa, sedes apostolica omni lege est superior.

[fol. 45] *Sin autem maiestates sua absque mala concordia religionis nihil contra Turcam obtinere possent, videndum est etiam, quod sit maius detrimentum et quid cedat in maiorem Dei offendionem, an ipsius Dei verum cultum ac religionem destrui, quod fieret quando Germania in malo pro concordia conveniret, an ipsius Germaniae auxilio contra Turcam destitui. Non enim facile discerni potest (ut christiane loquamur) qui sint inimici Christo, protestantes an Turcae, quia hi captivant et occidunt corpus, illi captivas ducunt animas et in perditionem trahunt; non cogunt hi religionem mutare, illi sub specie boni corrumpunt religionem ac destruunt. His igitur omnibus perennis poterunt maiestates sua rectius deliberare quid et quo modo agendum sit.*

Et hic mirifice elucet pius in Caesarem, regem omnesque imperii principes papae affectus et vere paterna de ipsorum salute sollicitudo. Quia veretur sanctus pater ne puriorem doctrinam recipiendo et de ecclesiae reformatione cogitando, conscientias suas laesae romanae tyrannidis obligent, hoc tanto discrimine mature eos liberat. Non enim tantum omnia huic uni posthaberi iubet ut coercentur protestantes, sed persuadere denique conatur, longe melius fore ut Turcis se potius prodant Germani, imo civilibus ac intestinis discordiis fractos eius Ianenae se obiiciant, quam ut reclamante sua sanctitate in concordiam et piam et patriae salutarem cum protestantibus redeant. Principio de protestantibus ad obedientiam romanae sedis reducendis posthabito

concilio agi, quid aliud est quam repressa eorum importunitate, qui adversus portentosas cleri libidines mussitant, male agendi licentiam in posterum maiorem erigere? et deletis omnibus qui sanctam sedem inquietant, omnem vel [fol. 46] correctionem vel reformationem excludere? Vetare autem ne qua concordia, nisi ex animi sui sententia, recipiantur, quid aliud est quam denunciare irreconciliabile dissidium, donec ipse omnis pietatis adversarius iis conditionibus pacem dederit, quae exstincta evangelii luce Christum totum ex hominum mentibus oblitterent. Sed videbor illi iniuriam facere, quando longe aliud prae se fert. Videre enim iubet, utrum sit magis noxiun et in maiorem Dei offendionem cessurum, Germaniae auxilio destitui Christianos contra Turcam, an ipsius Dei cultum et religionem destrui. Tantane impietas est protestantium ut nulla cum illis pax haberi queat nisi everso Dei cultu, religione excisa? Non est credibile eos qui doctrinae suae summam publicarunt, nihil magis desiderant quam ab omnibus piis examinari, de ea satisfacere bonis omnibus parati sunt, non refugiunt ecclesiasticum iudicium, huc tendere sic agendo ut religio verusque Dei cultus destruatur. Sed quid connecturis pugnandum est? quasi rei veritas procul eruenda sit, qua nihil est apertius. Integer est scilicet et illibatus Dei cultus sub papa, ubi tot dii eriguntur, quot consecrantur ab eo sancti, ubi creaturae pro ipso Deo invocantur, ubi de Christi intercessione, qua sola verus Dei cultus sustinetur, altum est silentium, ubi omnia quae Christi maxime propria sunt ad sanctulos nescio quos transferuntur, ubi mortuorum cadavera palam adorantur, ubi supplicatur statuis et picturis, ubi denique non nisi praeposteris modis colitur Deus ipse pro sua portione. Quid enim? an legitimus est ritus colendi Dei? vocibus non intellectis multas horas in templis detonare, thus adolere, candelas multas accendere, multis histrionicis caeremoniis oculos simplicium oblectare, interim nullam afferre animi attentionem, nec aliud quam obstupescere in illis extensis pompis? Alius sane deus quaerendus esset, quam is qui toties asseverat, omnes illas gesticulationes nihil se morari, cor requirere, non alium esse caeremoniarum usum nisi ut nobis sint, pro modo ruditatis nostrae, ad pietatem exercitia; linguam se in precibus abominari, cui mens non respondet. Sed ego haec non longius persequar, quia multis piorum scriptis clarissime demonstratum est, totum papatum crassiore idolatria implicitum esse, quam ut aliqua excusatione celari amplius possit tanta abominationis. Protestantes autem satis testatum mundo fecerunt, se non alia ratione adductos, ut tam arduam ac difficultem causam susciperent, nisi ut vindicarent cultum Dei ac suae integritati restituerent, quem talibus inquinamentis violari, ferre non pote-

rant. Sed hic homo [fol. 47] peccati et in veteribus illis nequitiae latebris adhuc corpore et animo prorsus demersus est, tenebras quoque illas somniat, quibus mundum excaecaverat, itaque quidquid annuerit et principes et alios statim credituros sperat. De religione quid dicam? Nam si et fiducia timore que Dei constat vera religio et ex vera eius notitia nascitur, quibus argumentis se fidum eius custodem ostendet papa? et quis coelestem illam sapientiam, quae Dei oraculis continetur, vel aboleverat, vel christiano populo abstulerat? Quis ab unius Dei reverentia divinaeque legis observantia, ad tyrannidis suae obsequium homines abduxerat? Quis mentes hominum in extraneas fiducias spesque inanis distrahendo omnem fidei sinceritatem corruperat? Non est difficilis responsio, ubi palam est nec aliud magis urgere protestantes quam ut Christiani omnes et se discipulos Dei esse meminerint et in ipsius schola indies proficere studeant; quam ut Christus unus magister ac legislator audiatur, solus ipse plenam docendi iubendique autoritatem habeat; quicunque eius ministerio funguntur, sub eius magisterio se contineant; quam ut omnes mortales et sibi ipsis et omnibus alienis auxiliis diffisi totam in uno Christo fiduciam defixam habeant, in ea consistant, ne ulla vi dimovere se inde sinant. Haec omnia autem tanto fervore, tanta acerbitate, tanta rabie a papa impugnari, ut satis appareat, ipsum pro aris, ut dicitur, et focis dimicare. Ita sane est quia non aliud regnum se habere sibi conscius est, quam quod nefando sacrilegio eruptum Christo sibi arrogavit; tantum sibi deperire videt, quantum honoris, dignitatis, potentiae Christo ipsi tribuitur. Ergo, ne quam de istis Antichristi corruptelis particulam repurgent germani principes, potius et patriam turcicam crudelitati atrociter vastandam prodant et se ipsis in voluntarium supplicium dedant. Et ne quid impudentiae reliquum faciat, audet os impurum, primo in dubium vocare utri sint inimiciores Christo, protestantes an Turcae, deinde etiam definire illos esse hostes nomini christiano et priores et nocentiores. Quid huic monstro facias? Contendasne rationibus sic prosternere, ut pudore confusum penitus obmutescat? Sed quid proficies apud desperatae inverecundiae bestiam? an magis eligas, ostensa palam eius turpitudine facere prout mereatur, ut sit omnibus odio et execrationi? Quam facile id foret, si omnium aures ad audiendum essent erectae. Nam si ea qua decet orationis gravitate ac vehementia explicetur, quam miserabili servitute animas tenuerit et adhuc teneat captivas romanus pontifex, quot laqueorum retiumque generibus eas trahat [fol. 48] in exitium, quibus inquinamentis profanaverit religionis nostrae puritatem, quam nefariis mendaciis Dei veritatem obscurarit, quam impiο furore renascentem hodie persequatur, quam

scelerata audacia sancta Dei mysteria in foedam et profanam nundinationem converterit, dubium est scilicet quin totus mundus, ut ipsissimum Antichristum et diaboli vicarium, cum apostatica sua sede diris omnibus devoveat. Quid si vitae pontificum, qui quadringentis continuis annis tyrannidem exercuerunt, fideliter ob oculos ponantur? Quid si illa dictu audituque horrenda, omne genus facinora re censeantur? Quid si hodierna duntaxat curiae romanae facies proferatur? an erit ulla tanta vel patientia vel stupiditas, quae non extrema indignatione ebulliat? Sed quia et aures et oculi multis desunt, nec ubique locus datur liberae veritati, conscientia interim nostra et bonorum omnium testimonio contenti simus, usque dum omnem istam caliginem ac fumum Dominus fulgore vultus sui discutiat. Quanquam nec eos ipsis, qui sunt eius praestigiis fascinati, vel in tenebris quibus obvoluti sunt latet, romanae curiam sic omni scelerum genere refertam, ut contemptus Dei et meri lucianismi et epicurismi, quam christiana pietatis schola haberit possit.

*Reverendissimus legatus est huius sententiae, ut concilium ante omnia convocaretur et celebretur hoc anno.*

Quum ius sibi arroget indicandi concilii pontifex, quid Caesarem de inductione frustra fatigat? Faciat ipse quod iactat sui esse munera, nec Carolus Augustus, nec Ferdinandus Caesar repugnabunt. Quid ergo cessat facere, utroque approbante atque etiam adiuvante, quod adeo necessarium putat? Imo quid veluti per ludibrium ab ipsis petit, quod in ipsorum potestate esse negat? Nempe ut magis ac magis pateat, quod iam toties diximus inani concilii nomine fucum facere, quia sine colore aliquo obstare nequit, ne conventu de religione habitu germanica nationi salutis consulat.

*Et in conventibus Germaniae nihil de religione tractetur, ut foedus catholicorum augeatur et corroboretur; ut eo foedere aucto protestantes omnibus modis ad [fol. 49] concordiam allicantur. Interim vero cludatur cum rege Gallorum et colligantur auxilia omnibus ex partibus contra Turcam. Illud etiam in fine non omittendum est: quod antequam Spirae tractatus amicabiles perficiantur et auxilium imperii stabilietur, elapsum erit tempus occurrendi hoc anno Turcae, et anno sequenti negotium auxiliu ferendi poterit melius tractari communibus votis, contra hominem inimicum. In his tamen omnibus praefatus reverendissimus legatus remittit se singulari prudentiae serenisimorum maiestatum suarum, quibus omnia feliciter contingere optat.*

Valeant igitur superstitionum hominum de ecclesiae calamitate querelae, de idololatria super-

stitutionibusque repurgandis, de pacificandis controversiis, de reformando clero, de reducenda ad veram unitatem ecclesie inanes consultationes ac supervacui conatus: haec via, hoc compendium est omnia ad felicem exitum perducendi. Quaecunque urgeat necessitas, a procuranda religione abstineant principes. Has partes capitali totius religionis religiosorumque omnium hosti resurgent, dum modo per concilium nunquam futurum vitia ecclesiae corrigenda suscipiat. Quid igitur? Num ut hac molestia soluti quam citissime se ad turcicum bellum accingant? id enim res ac tempus videtur flagitare. Ne festinat, inquit sanctus pater, annus enim praeteriret antequam exercitum armare possent. Huc potius incumbant, hoc moliantur, hoc omni cogitatione ac studio persequantur, ut foedus suum augeant ac modis omnibus corroborent. Quis tandem finis? ut ecclesia ad antichristi libidinem exposita, prodita Turcis patria, ipsi devotis et animis et corporibus in sua ipsorum viscera desaeviant. Mox hic fructus consequetur. Quod truculentissimus ille tyranus cum scelerato purpuratorum grege totaque faece satellitum, multo licentiosius regnabit, illam inexplebare avaritiam ac rapacitatem, illam [fol. 50] libidinum intemperiem, illam in omnes pios ac probos, gentesque multas innocentes rabiem, quae nunc quodammodo inclusae erumpere toto impetu non possunt, velut fractis repagulis sine lege et modo effundet. Quod romana curia confirmata in perpetuum omnium maleficiorum impunitate, in mendaciis, imposturis, officiis et similibus veteris nequitiae artibus liberius lasciviet. Nefaria illa sedes novis fulturis stabilita Christum sanctumque eius evangelium proculando, impiis ac pernicioseis doctrinis orbem excaecando, miseris animas in ruinam praecipitando, ferocius insolevet. Quod denique romanenses creaturae cum suo capite, ut sunt hostes boni et recti totiusque honestatis sonitae pestes, profligata omni verecundia, grassari securius, ut libuerit, poterunt. Cur non tam praeclara mercede ad locandas romano lanistae suas operas, germanici sanguinis principes adducerentur? Neque aliquid horum odiose amplifico. Quicunque enim expendere volet, quae nunc agit, omnia quae dixi, tunc facturum et forte plura fatebitur. Nec dubito quin multos omnium ordinum ex iis qui aliqui protestantibus non consentiunt adhuc habeat nostra Germania. Qui dum haec mala imminentia provident, melius publicae et saluti et tranquillitati consultum cupiunt et fideli studio, quum occasio offeretur, declarabunt. Sed sunt etiam, proh dolor, perfidiosi quidam et impii patriae prodidores,

qui vel execrabilis mercede conducti, vel quia sic improbi sunt natura, ut sine pretio malefacere ipsos delectet, intestini belli semina huc illuc spargunt, variis aculeis animos hinc inde exasperant, ubi aliquid est praeparatum, subiectis facibus accendunt ignem, ubi scintillam aliquam conceptam vident formata adhibent, et malarum artium flabellis flamam excitant. Nec quieturi videntur, donec uno incendio totam Germaniam viderint conflagrare; et quia eiusmodi facinoribus volunt inclarescere, non invidebo illis honorem suum. Quanquam omnes commemorare nec volo nec possum, sed in Heldio et Fusco quam insigne par videmus ad omnes nequitiae numeros comparatum? Quorum prior Germaniam per multos iam annos variis factionibus lacerando hoc consequutus est ut Deo hominibusque sit exosus, nec secus ab omnibus bonis, ac infaustum aliquod ominosumque portentum refugiatur, et tamen novas identidem nocendi occasiones reperiat. Alter ex tenebricoso aliquo coeno non ita pridem emersus, unde etiam nomen retinet, quo moram compenset strenua sedulitate, cursitando, prehensando, [fol. 51] satagendo turbare, si quid est tranquilli et compositi, non desinit. Et quo virus suum latius evomat, sanguinariis dialogis ad caedes et strages clementissimum Caesarem aliasque principes instigat. His hodie emissariis utitur sanctissimus pater ad columen rerum suarum sustinendum. Ac ne quis dubitet ex genuina, et quasi domestica sedis apostolicae cohorte ipsos esse omnibus vitae partibus testatum faciunt, se non esse, a romana sanctitate degeneres. Nec a privilegiis abstinent, quae solidis curialibus alias conceduntur. Nam quod Furvus ipse puellam adhuc viro imparem beluina ac prorsus monstrosa intemperie stuprando ita graviter violavit, ut paulo post sit mortua, et misera matre contumeliae orbitatisque iniuriam persequente, disruptis legum ac iudiciorum vinculis impune evaserit, quis ex singularibus illis Romanensium privilegiis esse neget? Hoc obiter volui indicare, ut qui salvam patriam cupiunt, bono publico favent, communi pace student, non tantum ab illis artificibus, qui huc ex officina romana emituntur, sed ab his etiam intestinis scelerum omnium architectis cavendum meminerint. Ceterum quia tot difficultatibus circumcessi vix inventiunt pii quo se vertent, nisi praeteritis hominibus recta in Deum respiciant, hoc agendum nobis est, ut Christi nostri adventum exspectemus, qui sua claritate hunc Dei adversarium dissipabit et spiritu oris sui conficiet. Datum Bethuliae Iudeae Anno 1541. mense Martio.

# **LES ACTES**

**DE LA**

**IOURNÉE IMPERIALE TENUE EN LA CITÉ DE REGESPOURG,**

**AULTREMENT DICTE RATISPONE,**

**L'AN MIL CINQ CENS QUARANTE ET UN, SUR LES DIFFERENS QUI SONT AUJOURDHUY  
EN LA RELIGION.**

**M. D. XLI.**

## S'ENSUYT LA TABLE DE CE PRESENT LIVRE:

Et premierement, la proposition de l'Empereur, qu'il fit en la premiere assise, touchant la maniere de proceder.

Le livre mis en avant par luy mesme contenant les articles qui sont en controverse, et monstrent quelque moyen de les accorder.

Les articles des protestans touchant les poinctz qu'ilz ne pouvoient passer de leur part, comme ilz estoient couchez au livre.

Le rapport fait par l'Empereur aux estatz apres avoir recceu le livre et les articles, avec sa demande, qu'ilz eussent à deliberer.

La response des protestans, contenant deux parties; assavoir de la doctrine et la discipline ecclésiastique.

Les abuz que les protestans vouldroient estre corrigez en l'ordre ecclesiastique, avec la forme de la reformation.

La response des Electeurs et Princes qu'on nomme Catholiques.

La replique de l'Empereur.

Le iugement du Legat sur ce qui avoit esté faiot.

[fol. 2] La proposition de l'Empereur, pour sçavoir ce qui seroit de conclure.

La response des Electeurs.

La response des autres princes qui se nomment Catholiques.

La response des villes franches et imperiales, lesquelles ne sont du nombre des protestans.

L'ordonnance de l'Empereur et des estatz, touchant la reformation des gens d'Eglise.

Deux escriptz du Legat, où il declaire son iugement de ce qui a esté faict.

La response des docteurs protestans.

Certain advertissement sur le tout, pour adviser les lecteurs de plusieurs choses requises à l'intelligence du tout.

## EPISTRE AU LECTEUR.<sup>1)</sup>

Pour ce qu'il y a plusieurs saintz personnaiges en toutes nations, vrais amateurs de la verité de Dieu, et desirans l'avancement de son Royaulme, qui attendent de iour en iour quand il plaira au Seigneur de remettre son Eglise en bon ordre: et sont comme aux escoutes incontinent qu'ilz entendent qu'il y a quelque ouverture faicte, pour reduire l'Eglise en meilleur estat: pourtant aussi qu'il y a beaucoup d'infirmes par le monde, qui ne se osent pas resouldre quel chemin ilz doibvent suivre, iusque à ce qu'il y ait une reformation faicte par l'auctorité commune de ceux ausquelz Dieu a donné la puissance et le gouvernement de la Chrestienté: i'ay pensé que ce seroit un labeur bon et profitable à tous Chrestiens, de mettre en ordre la somme de ce qui a esté n'agueres traicté entre tous les estatz de l'empire à la iournée de Regespourg, qu'on nomme aultrement Ratispone touchant des differens de la Religion [fol. 3] affin que les premiers aient matiere de se consoler et resiouir en nostre Seigneur, voyant que la verité de l'Evangile, comment qu'elle ayt esté assaillie du diable, n'a pas esté oppressee ne vaincue, mais plutost advancée: et que les secondz par la procedure qui a là esté, recongnoissent que c'est temps perdu de s'attendre aux hommes, comme il leur apparoistra facilement: et ainsi reçoivent la lumiere de Dieu quand elle leur est offerte, sans regarder qā ne là de quel costé le vent souffle. Ceux qui mettent tous les empeschemens qu'il est possible, à ce que la verité ne vienne en avant, craingnans que leurs cautelles et pratiques obliques ne se descouvrent, vouldroient bien que de tout ce qui se fait il n'en fust iamais nouvelles puis après, les saiges aussi de ce monde ne trouvent pas bon que ces matieres soient publiées iusques au simple populaire, pour ce qu'il leur semble qu'il n'y a iugement ne raison pour discerner, sinón en leur teste. Mais puis que Dieu n'a pas donné sa parole affin qu'elle fust ensepvelie, ou tenue comme prisonniere entre petit nombre de gens scavans: mais a voulu qu'elle soit preschée à tout le monde: ce n'est pas raison de priver le peuple Chrestien du benefice que Dieu luy a voulu communiquer par sa bonté. Puis que ainsi est donc, que par la malice de Sathan la doctrine, laquelle nous debvoit reconcilier à Dieu et engendrer paix et concorde entre tous les hommes de la terre, est à present tant debattue avec si merveilleuse contention, en telle sorte que l'Eglise en est misérablement dissipée, et quasi desolée, il n'y a rien meilleur à tous Chrestiens, que d'enquerir et scavoir quelles sont les matieres dont il est question, de discuter et bien poiser les raisons d'une part et d'autre, affin de se resouldre devant Dieu: et prendre un fondement certain, pour avoir repos en leurs consciences. Car c'est un paovre estat que de vaguer et chanceler tousiours: mesme en ce qui nous debvroit estre tant certain et asseuré. Mais il n'est ia mestier de poursuivre plus amplement ce propos. Car ceux qui liront ce present livre en sentiront bien l'utilité par experiance, sans qu'on les en adver-tisse de parolles.

1) Comme cette Epistre au Lecteur ne se trouve ni dans les Actes de Bucer ni dans ceux de Melanchthon, il y a lieu de l'attribuer à Calvin lui-même.

## CE QUI A ESTÉ FAIT A LA PREMIERE ASSISE DE LA IOURNEE.<sup>1)</sup>

[fol. 4] L'Empereur en la premiere assemblée, apres avoir recité les causes, qui l'avoient empesché ces années passées de tenir les estatz, pour adviser les moyens d'appaiser les dissensions et troubles qui sont aujourdhuy en Allemaigne touchant la Religion: apres aussi avoir remontré qu'il n'y avoit meilleure forme de proceder, que par conference amiable: demanda qu'il luy fust permis deslire six personnaiges de scavoir, craignans Dieu, et aymans la paix. Assavoir trois d'une part, et trois de l'autre, qui sans dispute contentieuse regardassent ensemble, s'il y auroit ordre de reduire l'Eglise en bonne unité. Laquelle chose luy fust permise. Ajant donc esleu ceux que bon luy sembloit, il les appella tous ensemble, les exhorta gracieusement de regarder Dieu plus que les hommes, et ne se soucier de haine ne de faveur, moyennant qu'ilz servissent fidellement à l'Eglise. Puis les fist iurer de s'en acquiter comme il appartindroit. Afin que tout ce qui se feroit se peut rapporter plus fidellement, et aussi qu'il n'y eust nul desordre: Le Duc Frederic, frere du Conte Palatin et le seigneur de Granvelle feurent ordonnez presidens, et avec eux trois auditeurs de chascun costé. Cela fait, l'Empereur presenta un livre, qu'il dit avoir esté composé par gens scavans, et qui avec la crainte de Dieu et bonne prudence avoient taché de moderer les differens qui sont aujourdhuy en la Religion. Ainsi l'ordre de proceder fust de lire le livre et où les parties trouveroient quelque chose à redire, le corriger, fust en adioustant, ou diminuant, ou bien changeant du tout. Parquoy devant que proceder oultre, il sera bon de veoir quel est le livre sur lequel toute la conference a esté faicta.

## LE LIVRE MIS EN AVANT PAR L'EMPEREUR, CONTENANT LES ARTICLES QUI SONT EN CONTROVERSE ET MONSTRANT QUELQUE MOYEN DE LES ACCORDER.<sup>2)</sup>

De l'estat et condition de l'homme, et de l'intégrité de nature devant le trebuchement d'iceluy.

[fol. 5] Dieu a créé l'homme à son image et semblance (Gen. 1, 26), non point en corps (ia soit qu'il l'ayt rendu aorné de choses admirables, et ap-

proprié à usages divins) ains en l'esprit, lequel, assorty des forces d'intelligence et volonté, il a revestu (en second lieu après soy) de Vertu, c'est à dire, il l'a merveilleusement décoré de certaine liberté d'arbitre, lumiere de sapience, beaulté d'innocence, et gratuite participation de sa divinité, et tout cela à la louange de sa gloire (Sir. 17, 3 suiv.). L'homme donc estably en telle intégrité d'image

1) Récit succinct de ce qui s'est passé à la diète du 5. au 27. Avril, c'est à dire avant l'ouverture du Colloque. La rédaction appartient à Calvin.

2) Au sujet de ce premier document on consultera avec fruit la savante préface que le Dr. Breitschneider a insérée dans son édition des Œuvres de Melanchthon (Corp. Ref.

T. IV. p. 190). Pour la commodité de nos lecteurs nous en reproduisons ici la substance avec quelques additions nouvelles. Pour ce qui est de l'auteur de la pièce, il est certain que, pendant la session même, les députés protestants, orateurs du colloque, ne le connaissaient pas d'une manière sûre, et ne dissimulaient

et semblance, possedoit en son intelligence vraye et vive congnissance de Dieu qui est son patron.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

